IAMBLICHVS
DE MYSTERIIS
ÆGYPTIORVM,
Chaldæorum, Assyriorum.

*

PROCLVS *in Platonicum Alcibiadem de Anima, atque Dæmone.*

Idem de Sacrificio & magia.

PORPHYRIVS *de diuinis atq; dæmonib.*

PSELLVS *de Dæmonibus.*

MERCVRII *Trismegisti Pimander.*

Eiusdem Asclepius.

LVGDVNI,
APVD IOAN. TORNAESIVM,
TYPOGR. REGIVM.
M. D. LXXVII.

Witchcraft
PA
4220
L3A4
1577

4519756
317
x

MARSILIVS FICINVS

Florentinus Reuerendißimo in Christo Patri D. Ioanni Medici sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinali suppliciter se commendat.

*

CVM epistolam ad te scribere statuissem in Cardinea dignitate nuper tibi collata gratulaturam, cogitarémque, cui potissimum eam d rem tibi reddendam, qui congratulationem nostram efficeret admodum gratiorem, in academiam me subito contuli, sperans in eius saltem penetralibus salutatorem nobis aliquem tibi acceptissimum non defuturum. Illic ergo diuina quadam sorte, primus occurrit Iamblichus, inter academicos cognomento Diuinus, & magnus ibi sacerdos. Cui quidem, Salue, inquam, Iambliche sacerdos magne. In præsentia (vt vides) Ioanni Medici, nouo Christianæ religionis antistiti congratulatus sum: tu precor, si iusta peto, congratulationem nostram, alioquin ieiunam, diuinis verbis, misteriisque tuis efficies pleniorem. Annuit ille precibus, atque hac ad te sententia Ioannes sacerdos magne, venit magnus ille sacerdos. Tu igitur salutatorem tantum lætus excipe, atque post salutationem primam, post lectam epistolam, quid diuinus ille loquatur, si placet attentius audi. promisit enim, vt sua, tuáque persona pariter digna diceret, se tibi breuibus, quid Ægyptij, & Assyrij sacerdotes de religione, rebúsque diuinis senserint, expressurum.

Argumentum in librum Iamblichi.

Porphyrius, qui inter Platonicos propter excellentiam philosophus appellatur, longam in Aegyptũ misit epistolã ad Anebonem sacerdotem variarũ, & grauiũ quæstionũ plenam ad omnes philosophiæ partes spectantiũ, præsertim ad Deum, atq; angelos, dæmonesq;, & animas, ad prouidentiam, ad fatũ, vaticinia, magicen, miracula, sacrificia, vota. Porphyrij quæstionibus respondit Iamblichus eius auditor. Introducit verò Porphyrio respondentẽ Abamonẽ Aegyptium sacerdotem pro Anebone discipulo suo, ad quẽ Porphyrius misit epistolam. Huius ergo quæstionis totius, atq; responsionis profectò diuinæ, tanquam in Plotino adhuc nimium occupatus, singula fermè nõ verba, sed sensa traduxi, vt non mirum putari debeat, sicubi diuulsa videatur oratio, præsertim inter ipsa disputandi principia, vbi leuior iactura verborum. Iam deinceps verborum etiam contextus magis perpetuus apparebit. Coactus verò sum interdum in eum aliquod verbum vel continuationis, vel intelligentiæ gratia interserere. Velocioris autem editionis etiam in causa fuit Pierleonus vir omnium cupidissimus secretorum. Verũ, id quod inprimis admiror, hic semper affectare videtur, quæ iam possidet. Nam diuinitate quadam ingenij Philosophorum arcana, & Græcorum, & Barbarorum nondum lecta consequitur.

IAMB

IAMBLICHVS DE MYSTERIIS.

*

De cognitione diuinorum.

AEGYPTII ſcriptores, putantes omnia inuenta eſſe à Mercurio, ſuos libros Mercurio inſcribebant. Mercurius præeſt ſapientiæ, & eloquio. Pythagoras, Plato, Democritus, Eudoxus, & multi ad ſacerdotes Ægyptios acceſſerunt. Dogmata huius libri ſunt Aſſyriorũ, & Ægyptiorum, & ex colũnis Mercurij. Pythagoras, & Plato didicerunt philoſophiam ex columnis Mercurij in Ægypto. Columnæ Mercurij plenæ doctrinis. Ante omnem rationis vſum ineſt naturaliter inſita deorum notio: imo tactus quidam diuinitatis melior, quàm notitia, ex quo incitatur naturalis appetitus boni, & ratiocinatio, atque iudicium. Eſſentialis cognitio diuinorum, quæ anima eſt perpetua, ac re vera non eſt cognitio hæc, qua Deo fruimur. In cognitione enim eſt alteritas, ſed contactus quidam

essentialis, & simplex. Non enim possumus attingere vnitatem ipsam, nisi vnitissimo quodam, & vnitate mentis, quæ super animæ, mentisq; proprietatem extat. Vnitas ipsa deorum vnit sibi animas ab æterno per vnitates earum secundum cõtiguitatem tam propriam, & efficacem, vt esse continuitas videatur. Intellectus diuinus dat esse animę per intelligere suum essentiale. Ergo esse animæ, est quoddam intelligere, scilicet deum, vnde dependet. Esse nostrum, est deum cognoscere, quia præcipuum esse animæ, est intellectus suus, in quo idẽ est, esse, quod intelligere diuina actu perpetuo. Ab illo autem esse præcipuo deriuantur potentię animæ discurrentes. Post deos ponimus dæmones, heroës, animas puras: hi tres ordines pedissequi sunt deorum. Non possumus solitis humanæ rationis discursionibus attingere deorum pedissequos dæmones, heroës, animos puros. Sed necesse est con surgere ad essentialem intelligentiam, & æternam. Sicut dij semper attinguntur notione innata, sic numina deorum pedissequa, tunc primùm attinguntur, quan do anima deposuit modum cognitionis mobilem, qui ad potentiam spectat rationalem, quæ intellectu, intelligentiaq; formatur,

matur,quem vocāt intellectum adeptum. Nam prima notitia in agente intellectu consistit. Cùm cognitio per adæquationem fiat,sequitur vt minima sempiterna, & immobilia attingamus,notione sempiterna, immobili,simplici. Cognitio,qua cognoscimus substantias separatas, est in alia specie, quàm illa, qua cognoscimus alia. Cognitio diuinorum fuit semper in anima per simplicem intuitum, vel contactum. Aliqui putant se assecuturos separata per quendā oppositionis modum,scilicet materialia sunt,mobilia, localia, patibilia,&c. Ergo separata sunt immobilia, &c.Sic vtique cognoscitur,quid non sint, quid verò sint, adæquatione cognitionis ad illud,quod animo naturaliter per intellectū inest: acquiritur autem in rationali potentia studio quodam,nec tam comparationis,& cōiecturæ,quàm separationis, & purificationis officio. Erat & modus disiunctionis, scilicet, dij, & diuina, vel sunt temporalia,vel æterna. Non temporalia,ergo & æterna.hic etiam modus sua mobilitate non congruit immobilibus.

De proprietatibus vniuscuiusque superiorum.

SI qua compositio cōtrà substantiis separatis, & separabilibus inest,non est

ex genere per se indeterminato, & differentia terminante. Illæ enim substantiæ sunt completæ species vndiq; in actu determinato, atq; cõpleto. Si substantiæ separabiles tanquam simplices nõ differunt inter se per differentias speciales sub eodem genere, ergo neq; per indiuiduales sub eadem specie discrepant. quælibet igitur est, quasi vnum genus, vel species per se existens. differunt verò se ipsis, & ordine graduum, & quoniam ad primum, aliter referuntur. Intelligentiæ inter se non conueniunt, vel differunt genere, & differentiis vllis: simplicissima enim sunt, sed quatenus vel eadem, vel diuersa ratione referuntur ad primum, & aliæ in prioribus, aliæ in sequentibus perfectionis gradibus dispositæ sunt. Differentiæ rerum inter se in actionibus, passionibusq; resoluendæ vbiq; sunt in iurium differentias, atq; hæ in differentias essentiarum, neq; alicubi quiescendum est in sequentibus, sed ad priora proficiscẽdum. Neq; in substantiis superioribus anima nostra, neque in hac est motio vlla passiua, sed totum est actus efficax. Motus animæ, quo ex se mouetur, non diuiditur in motorem, & motum vel mouere, atque moueri, sed est essentialis actus progrediens temporaliter.

ter. Cōpositis & formis, quæ sunt in subiecto, competunt accidentia, formis immaterialibus non conueniunt. Quicquid est in formis separabilibus, est esse, & essentiale præcipua quadam, æqualiq; forte. Neque aliquid ibi accidens, aut consequens reperitur. Motus, & actiones, sunt differentes propter differentias naturarum, non ecōuerso. Si dicamus vnum esse genus separatorum, confundimus theologiam. Substantiæ separabiles non conueniunt vno quodam genere, in quo per differentias distinguantur, sed se ipsis, & ordine graduum distinguuntur: quatenus per alios perfectionis gradus referuntur ad primum. Cōueniunt autem magis inter se quæ per similiorem modum referuntur ad primum, atq; vltimum. Bonum duplex, quod super essentiam, quod secundum essentiā. Essentia est proprietas Deorum omnium. Ipsum verò bonum super essentiam, & dicitur causa boni scilicet essentialis boni principium. proinde secundum gradus essentię, gradus Deorum inter se distinguuntur. Animabus rationalibus vltimis non inest essentiale bonum, sicut diis, sed participatio boni secundum pulchritudinem intellectualem, sed hæc immobiliter inest.

De ordine superiorum.

ANimæ nostrę in diuinorũ generibus cõputãtur. Heroës sunt maiores hominibus, ergo multò grandiores sunt dæmones. Primum diuinorum est ipsum bonum diiq; sequentes. vltimũ particulares animæ rationales: horũ media duo sunt, scilicet heroës prope animas, & dęmones prope deos, sicut inter ignẽ, ac terram est aër, & aqua. Heroës etsi potẽtia, virtute, pulchritudine, magnitudine nobis præstant, tamẽ cum anima nostra, & vita eius multum cõgruunt. Dæmones sunt superiores heroibus, & ministri deorũ tanquã architectorum in opificio mundano. Quę sunt in diis ineffabilia, & occulta, dæmones exprimunt, atque patefaciunt. Dæmones, & heroës accommodant inferioribus vniuersales, simplices, immobiles deorũ dotes, & cõciliant omnia, atq; harmonici consensus, & compassionis omnium inuicem sunt autores. Traducunt diuina ad nos, & nostra æqualiter ad diuina perducunt. Præterea gradus in donis superiorũ, & in præparatione suscipientiũ æquè disponunt. Diuersa diuinorum genera differunt inter se per triplicem modum proprietatum scilicet quãtum ad essentias, & virtutes, & actiones pertinet. Proprietas

deorum est vnitas, permanētia in seipsis, immobilis motionum causa, prouidentia eminens, nihílque commune habēs cum iis, quibus prouideat: atq; hæc proprietas in eis secundum essentiam, & virtutem, actionémq; seruatur. Animarū proprietas est declinatio ad multitudinem, & motum, cōiunctionémq; cū diis, atq; ad accipiendū ab aliis aliquid, & ea motu vitali replēda, & congruendum vbiq; cū omnibus, partim manētibus, partim verò fluentibus, & ad omnia in se, & per se ipsam cōtēperanda. hæc verò proprietas in eis secundum essentiam, & virtutē, actionémq; seruatur. Proprietates dæmonū sunt, continere in se dotes deorū, inferiori quidem modo, quàm dij, sed sub idea, rationéque earum continere deteriorum cōditiones, dum scilicet multiplicatur quidē, sed vnitè miscetur quoq;, sed impermistè: mouetur denique, sed stabiliter. Heroës contrà, sub conditione multitudinis, & motus, permistionísq; vnitatē, identitatē, statū, excellentiā habēt. Dæmones, & heroës sunt proximi extremis. illi quidem diis, hi animabus. Differentię dæmonum ad heroës præcipuè, quoniā heroës magis aliquādo declināt ad particularia, mobiliáq;, quàm dæmones. Duo media, scilicet dæmones,

hero

heroësq́; componũtur ex proprietatibus extremorum, ſcilicet deorum, atque animarum, ſed in dæmonibus plus eſt diuini, in heroibus plus humani.

Quomodo ſuperiorum actiones inter ſe diſtinguantur.

DIj tenent entium ſummum, animæ infimum. Dij poſſunt omnia, momento vniti: animæ cõtrà, nec omnia, neq; momento, neque vnitæ. Dij faciunt, curantq́; omnia non inclinati: animæ cum inclinatione, & conuerſione quadam agunt. Dij ſunt præcipuæ cauſæ: animæ ex illorum voluntate perpetuò pendent. Dij vigore celerrimo fines ſuos intimos vnà cũ principiis comprehendunt: animæ ab aliis in alia, ab imperfecto ad perfectum pergũt. Dij cõprehendi nequeunt aliqua mẽſura, vel forma: animæ inclinatione, & habitudine, & nutu detinẽtur, atq; ſuperãtur. Et appetitu deteriorũ, familiaritateq́; tangũtur, & certas inde contrahunt qualitates.

De Intellectu, & Anima.

INtellectus omnium opifex adeſt ſemper omnibus diis pleniſſimè per actũ vnum in ſeipſo manentem. Anima eſt particeps intellect⁹ magis partibilis, multiformisq́;

ad

ad gubernationem accõmodati, ac naturaliter inanimatis prouidet aliâs aliis figuris affecta. Item, diis adest à causis superioribus ordo, ipsaq; pulchritudo, vel causæ vtriusq;: animæ verò adest ordo, intellectualisq; pulchritudo. Itẽ in diis est mensura in omnia potens: anima verò mensuram illã determinat, ac per eã agit in aliqua. Dæmones, & heroës tanquam medij inter deos, & animas, competenti proportione quo ad extrema, & seipsos pertinet, componuntur ex proprietatibus tam animarũ quàm deorum, quas in superioribus enarrauimus. Si vis ergo deorũ speciẽ apprehendere, proprietates animæ rationalis vltimæ cogita, & oppositas in perfectione diis attribue. Si speciem dæmonis componere placet, ex vtrisq; cõpone plus interim diuinitatis attribuẽs. si deniq; species herois, verũ ex ambobus, plus tamen de animæ conditionibus inserens. Carpit Porphyrium separata per habitudines ad corpora distinguentẽ, scilicet deos per habitudinem ad corpora ætheria, dæmones ad aëria, animas ad terrena: quia videlicet nõ debeant priora & causæ per posteriora effectusq; distingui. Incorporeæ substantiæ nõ sunt in corporibus: sed extrinsecus ea ducunt, dantq; eis aliquid, nõ accipiũt:

igitur

igitur nec vnà cum his cõmutantur, neq; ad eorũ distributionẽ distribuuntur. Non enim sunt habitus corporũ, vel materiales formę, sed subsistẽtes, separabilesq;, immo iam separatæ, & ante corpora viuunt. Substantiæ separatæ separabilesq; non tales euadũt, quia talem sortem, prouinciamq; elegerint, vel sortitæ sint, immo vicissim, qualẽ anima ante corporis ingressum, vitam, speciemq; in actum in se eduxit, tale corpus sortitur organicum, talemq; consequentẽ sibi naturã, quæ quidẽ vitæ ipsius animæ perfectiori subiicitur, anima rationalis, in corpus iam viuum venit, sed imperfectè viuum. Diuina progenerant in se ipsis naturaliter totum opus suum distinctum antè quàm pariant. Penes illa, quæ rationẽ vniuersalis principij habent, inferiora in superioribus, corporea in corporeis, opificia in opificibus producũtur, in eisq; circulariter continentibus diriguntur. Circuitus ergo cœlestes ad circuitum cœlestiũ animarum redigũtur, animæ verò mundorũ, id est sphærarũ, syderumque in intellectũ suum accedentes cõprehenduntur ab ipso penit⁹, atq; in ipso primùm progonerantur. Intellectus particularis in vniuersalem, ac ille in superiora similiter. Cùm ergo semper sequentia conuertãtur

in

in prima, & superiora tanquã exemplaria ducãt inferiora, certè à superioribus producitur, adestq; inferiorib⁹ essẽtia simul, & species, & omnino in meliorib⁹ primo sequẽtia producũtur. Ideoq; ab illis ordo, & mẽsura in sequẽtibus, non ecõuerso dependet. non sunt igitur ab his illorũ assignandæ proprietates. essentia igitur incorporea per corporea qualia, quibus cum nihil habet commune, distingui non potest. Principia diuina operibus suis non solùm essentiã tribuunt, sed totam distinctionem, ordinemque formalẽ. Essentia, quæ adest corporibus non localiter, locis corporeis non distinguitur, & quæ non cohibetur particularibus circũscriptionibus subiectorum, eadem particulariter à mundi partibus minimè continetur. Natura incorporea subitò vbicunque vult, adest, nullo alicubi prohibente.

Omne diuinum, & incorporeum vbiq;.

MVltò magis diuinitas quo minus sit, vbique nullo limite coërcetur. Itẽ, quę apud nos sunt, fieri formariq; nequeunt, nisi vna quędam virtus opifex, & specierũ participatio per omnia diffundatur. Deniq; nisi diuina sint, vbiq; tollitur sacrificij virtus, quæ in quadam deorum ad homines cõmunione consistit. Dij ex

hoc

hoc maximè omnia continent, quod nusquam continentur. Terrena quoniam facta sunt, & constant munere diuinorum, quoties paratiora ad diuina redduntur, deos subitò sortiuntur existẽteis hîc etiã ante naturas proprias terrenorum: præterea, cùm in quolibet deo potẽtia sit infinita, & natura indiuidua, incõprehensibilisq;, meritò certis alicubi locis cohiberi non possunt. Item non esset vera inter deos vniuersalis prouidentiæ vnio, nisi omnes pariter essent vbiq; præsentes. Dicitur etiam, deorum alij quidem aërij, alij verò aquei, non quia ibi solùm sint, sed quia ibi maximè regnãt. Sacerdotes deos terrenos, & subterraneos aduocabãt, qui certè dicùntur tales, non quia ibi sint solùm, (sunt enim vbique omnes) sed quoniam alij alibi potissimum operantur. Nam & anima cuiuslibet stellæ est vbiq;, quamuis ibi potius agat. Statuis diuina quædam illustratio capitur.

De Prouidentia & quomodo Dij sint vbique.

QVando dij varias mundi partes, vrbes, ædes, statuas proprie sortiri dicũtur, intellige essentiã, potentiãq; illorũ vbiq; in se vigentem, hoc aut illud potissimum illustrare: atq; sicut lumen in se manens,

nens, sine mistione, diuisioneq́; sui diuersa passim illuminat, ita dij. Sicut lumē solis idem totū continuū est vbiq;, neq; potest in partes diuidi, neque alicubi claudi, neq; à fonte proprio separari, neq; miscetur aëri, licet adsit. Quippe cùm nihil relinquat luminis, calore tamē à calefaciēte relicta, ita cuiusq; Dei lumē, totū indiuiduè, toti mundo penitus adest, licet parti cuidā pcipuè vim suam maximè sibi accōmodatæ cōcedat. interea tamē quodāmodo implet omnia, ob potentiā perfectā, & excessum causalem prorsus immensum. Vnde perficit omnia, vnitq́; cum extremis extrema, per media cōprehēdēs in se omnia, & se ad sic reflectens sibi prorsus vnitum. Quod quidem munus imitatur & mundus circulari motu, partiumq́; in vnū connexione, & cōciliatione quadā transferente elementa vicissim in elemēta atq; virtutē superiorum ad inferiora mittente. Qui manifestā hanc suscipit deorum statuā vbique prorsus vnitam, vereri debet omnino de diis mūdi causis aliena sentire, scilicet esse localiter (vt ita dixerim) separatos. Si enim nulla est cōmunio mūdi ad numina quo ad essentiā, vim, actionē spectat, nullaq́; cōdistributio, vel consortiū, nulla nimirū nec coëxtēsio, & con-

distributio secundũ locum, atq; determinans quãtum ad illud pertinet, specie, vel genere cogitata sunt, mutua cõprehensio, & permistio esse potest. Quæ verò se totis omnino differunt, reciprocã inter se condistributionem, vel mistionem, vel cõprehensionem nullam prorsus admittunt. Quãdo per diuersas mundi plagas fit numinum distributio, intellige alias plagas aliter munera deorũ pro sua proprietate suscipere. Quod quidẽ cõsiderans ars sacrorum operum propriis inuocationibus vtitur, quæ eiusmodi distributioni, proprietatiq; numinũ cõsentaneæ videantur. Quælibet mundi pars accipit aliquid à quolibet Deo: quilibet enim Deus cuilibet parti mũdi totus adest. Sed partes alię aliter hinc accipiunt, Aether quidẽ ætheria, Aër autem aëria suscipit ratione. Certis nanq; materiis, inuocationibusq; munera deorum naturaliter attrahuntur.

Quod omne diuinum sit à passionibus alienum.

NVmina nobis superiora nihil habent in se passibile: atq; hanc (vt ita dicã) impassibilitatẽ non habent acquisita virtute, sed natura: neq; etiam anima, quæ est vltima diuinorum, passibile quicquã habet:

bet:animã dico à corporibus puram, quæ neq; etiã tangitur perturbatione voluptatis eius, quæ est restitutio in naturã. Cùm sit vita supernaturalis ingenita, neq; dolore quopiã dissoluẽte, cùm sit extra omne corpus, naturamq; circa corpus diuisam, & harmoniã descendentem in corpus ab harmonia animę principali, neq; etiã passionibus sensum præcedentibus eget. Nõ enim corpore continetur, neq; per instrumenta exteriora corpora ꝑcipere cogitur. Iam verò cùm sit indiuidua, & vniformis essentia secundũ se incorporea permanẽs, cum corpore nihil cõmunicans, nimirum passiones diuisionis, vel alterationis, vel mutationis alicuius nullas admittit.

Loquitur de anima separata à corpore.

ANima neq; etiã, dum adest corpori, patitur: vel ipsa quicquam, vel rationes seminales, quas ipsa corpori tradit. Species enim sunt simplices, vniformesq;, nullã turbationem, vel exitũ, à seipsis suscipiẽtes. Passiones, qualescunq; sint, in animali nõ sunt in anima, qualiscunq; sit, sed in corpore, quod sub anima certam possidet qualitatẽ, qua & patiatur, & agat. Nulla est in anima passio, vel peremptoria, vel turbatoria: Atq; hanc impassibilitatẽ anima non solũ aquirit electione, sed possi-

det ipsa natura admodũ superiore corporibus. Dæmones, & heroës sunt impassibiles, atq; sempiterni. Semper enim sequuntur deos in mũdi ordine cõseruando, vbi verò passio est, ordo perpetuus nõ seruatur. Porphyrius suspicabatur dæmones mundi rectores aliquo modo esse passibiles per ea, quæ adhibeantur illis in sacris. Iamblichus negat, quia vbi est ordo perpetuus, nõ est passio, quã essentia incorporea per sempiterna nequit accipere. Forte verò concederet dæmones infimos, malosq;, & gubernatione priuatos tangi passionibus effectiuis nõ quidẽ in anima, sed in corpore tali per animę pręsentiam cõstituto. Sicut natura ex occultis rationibus manifesta facit, ita Sacerdos adhibet manifesta, vt occulta significet. Sacerdos operatur sæpe multa, quibus aliquid simile, propriumq; diuinis efficiat, qua quidẽ cognatione aliquid diuinitus attrahat. Interea operatur & multa, per quæ purificet animã, ac mala nobis auertat. Dæmones, qui sunt nobis præstantiores, nullã naturalem vtilitatem à nobis accipiũt, aut enim nõ indigẽt, aut ipsimet sibi abunde vbiq; suppeditant. Nullam verò ex rebus corporalibus mutationẽ aliquando patiũtur. Insunt nobis perturbationũ principia quædam,

dã,quæ si violentius à principio,& subito cohibẽtur, tandẽ acriores erumpũt instar flãmæ cõpressę,risusq́; cohibiti. sunt ergo remissius corrigenda. Heraclitus sacrificia medicamenta nominat, quia purgent animã à morbis in hac generatione concretis. Porphyrius suspicabatur non modò dæmones, sed etiam deos aliqua passione tangi, quoniam inuocationibus moueantur. Voluntas boni in Deo,diisq́;,qui sunt bonitates,excellentior est,ideoq́; liberior quàm vita nostra electiua circa bonum. Itaq; dij nõ quia inuocantur, mouẽtur ad bonũ hominibus adhibendum, sed spõte nos ad bonũ prouocant, nobisq́; inuocando conuersi occurrunt vltro, ostenduntq́; aliquid,atq; largiuntur. Putant quidẽ homines se esse liberos ad petendũ. Esto ergo,dij liberiores ad dandum. Dij propter liberã voluntatẽ boni, actionemq́; perennem,atq; perfectã omnibus benefaciunt, cùm primùm ad illos sunt inuocando conuersi. Anima in supplicationibus ad contemplationẽ perueniẽs diuinorum, vitam priorẽ obnoxiã passionib⁹ transmutat in vitam passionis expertẽ,dum subit actionẽ vitamq́; deorũ. Quomodo igitur supplicationes nostræ passionibus deos tangũt,cùm & animas antè passiuas reddant

à passionibus liberas? Supplicationes animum influxui deorum aptum efficiũt, qui & vltro facilè peruenit propter diuinam amicitiam omnia connectentem.

De ira Deorum.

QVando à benefica cura deorum quasi à lumine solis nos diuertimus, in tenebris statim sumus, diciturque Deus nobis iratus. Placare igitur deorum irã, est ad illos supplicãdo redire. Placatio eiusmodi nõ affert passionem deo, immo & animũ à prioribus liberat passionibus. Dij, dæmonesq; diuini suppliciter adorati, cultiq;, mala multa repellunt, quæ alioqui naturaliter euenirent.

De necessitate, & libertate Deorum.

NEcesse est deos ita se habere, vt sunt, non necessitate extrinsecus illata, sed naturali sibi, optimaq; sibi: ideoq; maximè voluntaria, quã & nollent vnquam optione proposita aliter se habere. Porphyrius, multiq; philosophi dicunt deos quidem esse intellectus puros, dæmones autem intellectus, vel participationes intellectus, aliquos animales. sed Iamblichus non ita rectè poni dæmonum proprietatem obiicit. nam & animæ intelle-

ctus

ctus sunt animales, & intellectus ipsius participationes quædam, neque rursum deorum proprietatē rectè poni, nam puris intellectibus dij præsunt.

De differentia Deorum ad Dæmonas apud Græcos atq; deuotissimos.

DIj non secundum rationem intellectus ipsius, sed vnitatis.& bonitatis, & intelligibilis obiecti ritè definiuntur.

Porphyrius suspicatur intellectus puros, separatósque habitudinē ad sensibilia non habere, neque preces audire. Principalis cultus, separatis substantiis tamē est adhibendus. in hoc vtique cultu excitatur animæ summū, summísque coniungitur, supremi in vno omnia nostra comprehendunt, atque cognoscūt, actionesq; orationum religiosarum in seipsis comprehendunt. neque à se discedunt, sed in se stantes orantium intentioni prorsus intersunt. supplicare verò humillimè cōuenit. agnoscere enim vilitatem nostram, si superis conferamur, efficit vt maximè supplicemus, conuertamúrque ad illos omnino, & assidua consuetudine similes euadamus. Apprimè verò conferunt orationes missę diuinitus, quibus diuina vis inest: hęc contra Porphyrium opinantem colendos nobis esse propriè mundanos deos, quia

 sent

ſentiant. Item ſupplicationes diuinarum mentium puritati minimè cõuenire. Iamblichus conuenire putat propter ſenſum intimum, qui ſupplicationibus ineſt, præſertim quæ ſunt datæ diuinitus. Intellectus puri ſine ſenſu ſenſibilia noſcunt.

Iterum de Supplicationibus.

POrphyrius ait, materialia quædam in ſupplicationibus adhiberi, ideo adhiberi diis tantũ illis, qui ſint animalia. Reſpõdit Iamblichus, in iis materialibus vltra corporeas qualitates latere etiam rationes, & ſpecies, & mẽſuras incorporeas, atq; diuinas, per quas quæ adhibẽtur ſunt congrua diis. Profectò quicquid admouetur quomodocunque cõſentaneum, & ſimile diis, mox dij adſunt, coniunguntur, exhibentq; munera, precesq; exaudiunt. Parua quædam congruitas rerum noſtrarum ad deos nobis ſufficit, vt aliud ab illis hauriamus. Illi enim ad hoc ſemper promptiſſimi ſunt propter bonitatem naturalem, mirabilemq; potentiam. Cauſa verò præpotens agit in materiam, vel exiliter præparatã. Porphyrius ex eo diſtinguit dæmones à diis, quòd illi ſunt incorporei, hi verò corporei. Iamblichus ait, per hæc ſubſtãtias, & proprietates eorum diſcerni non poſſe.

De

De differentia inter deos, & dæmones, atque de cœlestibus.

DIj cœlestes dici incorporei possunt, quoniam ad suam excellentiorem actionem, & vitæ felicitatē nihil à corporibus impedimenti contingit. Sed quatenus dij ad ipsum vnum tendunt, corpora sponte contendūt eodem, neque continēt animas, sed excellentissimè continentur. Cœleste corpus rebus est incorporeis cognatissimum, propter naturā simplicem, indiuisam, cōstantem, & actionem vnam, id est circuitum, & vitam sibi cōgenitam, atque lucem. Non fit in cœlo compositio ex anima, & corpore, in tertiam naturam vnam, sed prorsus ad naturam animæ trahitur, atq; est quasi visibilis quædam anima, fortè cœlum est lumen ipsum sine materia, & sine dimensione. Dimensio enim ibi propter amplam præsentiam eius apparet. Vnde cœlum est anima cœli se ipsam accommodans oculis, rebusq; caducis, atque circulus ille est circuitus animæ. lumen est intellectus eiusdem. Sicut in infimo corporum forma fit materialis, sic in summo materia fit formalis: & corpus animale non anima corporalis, si qua modò est in cœlo materia. Sicut summus aër fit igneus, ita cœlestis ignis

ſit animalis. Anima illa intellectualis euadit, intellectus boniformis efficitur. Cœleſtia animalia dici incorporea poſſunt. Omnes cœleſtes boni ſunt, atq; benefici, ſuſpicientes tantũ ipſum bonũ, & hoc intuitu agentes æterno. Virtutes inęſtimabiles cõpertæ ſunt, tum in animalibus cœleſtibus, tũ in earũ corporibus inſitæ, tum per defluxus in omnia ſine impedimento vſque ad infima deſcendentes, cõmunicatæ tam diuiduis quàm in ſpeciebus, immutabiles vbique, quãuis in materia mutabili regẽtes generationẽ perpetuo quodã ordine, ſemperq; beneficæ. perinde fluxũ cœli in materiã diſcordibus plenã reſultat aliquid nobis diſſonũ. Tẽporalia tẽporaliter ęterna capiũt. Corpora incorporea corporaliter. Materialia hæc immaterialia cœlorũ vires mutabiliter, & inordinatè ſuſcipiũt. Quæ ſunt in mundo diuino, figurata non ſunt, quãuis vt figurata recipiantur in cœlo: ſic cœleſtia nõ ſunt mala, quamuis hîc ſuſcipiantur, vt mala. Vires cœleſtiũ omnes inde bonę deſcẽdũt, in hac aũt cõtrariorũ permiſtione mutãtur: ideoq; qualitas, quæ nocet in terris, alia iã eſt præter illã, quę cœlitus hucuſq; peruenerat. Primo quod datur, aliud q̃dẽ eſt in datore, aliud aũt extra, etiãſi in ſeipſo permaneat. præterea

terea eſt & minus. Secũdo dũ in ſubiecto viliori ſuſcipiũtur, fit & vilius. Tertio propter naturã ſuſcipiẽtis diuerſam ſuſcipitur modo diuerſo. Quarto qualitatibus inter ſe differẽtibus quæ à ſubiecto eodem pariter capiuntur. Quinto patiente ſubiecto patitur. Sexto ex omnibus ſubiecto comprehenſis aliud quiddam poſtremo reſultat. Influxus cœleſtes immateriales extendunt. Saturni quidem vis contentiua eſt, Martis verò motrix. Illa verò per accidens frequenter obeſt, quando materia frigidiore ſuſcipitur, hæc autẽ quando feruentiore. Itẽ illa nocet, quando recipitur, per modũ congelationis accipitur hæc quando per æſtum, quod quidem fit pro diſpoſitione materiæ, id eſt, quando videlicet materia illa, neq; ſatis calida eſt, atque eſt interea denſior. hæc autem per ſe eſt calidior, atq; ſubtilior. Lux, colorq; ſolis quamuis offendere languidum videantur, neceſſaria tamen ſunt ad vitam, ſimiliter omnes cœleſtium influxus veniunt ſalutares quamuis ſubiecti, vel peruerſitas peruerſe recipiat, vel debilitas facile tolerare non poſſit efficaciam ſuperorum. Omnes motus conferunt, & vniuerſo, & neceſſariis partibus vniuerſi, quãuis interim inter particulas minimas ſub hoc

motu

motu vel alia lædatur ab alia, vel tales particulæ nō facilè motum vniuersi sustineant. Sicut in chorea, dum singuli harmonicè saltant congruuntq; gestibus inter se, & toti choro digitus, & pes premitur, & offenditur. Et si quid debile incederit, pessundatur.

De vicinitate cœlestium corporum ad species incorporeas.

DIj cœlestes principium suum habentes in mundo intelligibili, dum ideas sui cōtemplantur, in eo mouēt cœlos hoc ipso actu intelligētiæ, voluntatisq; efficaci admodum, & perpetuo. Ideoq; sine labore regunt, quod ex ordine semper constante euidenter apparet. Ita verò affectis diis separatis coniuncti sunt potius quàm corporibus. Regimen circa cœlos nō potest deos ab intelligentiæ intentione distrahere, cùm eò potentius, faciliusq; regant, quò illic attentius speculatur: ex hoc enim procedit & illud, idē quoque nostris accideret animalibus, si causam suam cōtēplarentur, vnde est, & vegetādi facultas.

Confirmatio superiorum.

MEns diuina per ideas suas deorum cœlestiū animas procreat, atq; per eas cœlestia corpora, & vtraque sibi coniuncta perpetuò retinet. Dij mundani, qui

qui & intellectuales ſpecies nominantur, inter ſe vniti ſunt, tum quia cuncti idem exemplar, in quo ſunt ſpecies intelligibiles contuētur, tum quia exemplar illud in quolibet deo immūdano viget vbique tótum. Non ſpatium, non ſubiecta diuerſa prohibent, quin quælibet eſſentiæ incorporeæ vbique ſibi inuicē inſint. Dij mūdani in ſe inuicē ſunt, ſuíſque ideis, tū quia ſunt ab vno, & referuntur ad vnum, tum quia diuina vnitas vbique præualens vnit eos, tum quia procedunt inter ſe, & conuertuntur, mutuóque accipiunt. In cōpoſitis naturalibus vnitas aduentitia eſt dependens à ſuperioribus, & à multitudine vincitur. In formis ſeparabilibus vnitas ſuperat multitudinem, & in diis adeo ſuperat, vt illorū eſſe ſit vnitas quędam: dico autē quædam, quia primum principiū eſt ipſa ſimpliciter vnitas. Cùm igitur vnitas in diis intrinſecus ita præualeat, meritò à prioribus exuberat in ſequentes: ita vt hi in illorum vnitate conſiſtant, qua vnitate quaſi omnibus cōmuni cuncti ſunt vnum actu quodam, ſicut corpora inter ſe potentia quadam materiali ſunt vnum. Dij cœleſtes inuiſibilibus diis penitus ſunt vniti, tum quia cœleſtes animæ ſunt extra corpora, tū quia dij ſuperiores, id eſt ideæ vnita

vnitatem infinitam habent, prout omnes sunt in quolibet, per quam vnitatem sibi & inter se deos sequentes vniunt. Cùm enim omnes dij definiãtur per vnitatem, vna cõmunis vnitas dilatatur in omnes, per quam sunt vnum actu cũctorum vno ad vnum prorsus obiectũ, & principium, atque finem, in eodem omnes puncto simul, atque momento.

De Prouidentia & de Dijs, atq; Dæmonibus.

17 DEorum prouidentia vniuersalis est, dæmonum verò particularis, Deus primus dat omnibus omnia. dij sequentes omnibus aliqua largiũtur. Dęmones, atq; animæ aliquibus solùm, & aliqua tãtùm. Sunt dij inuisibiles, sunt & in cœlo visibiles, sunt & dæmones: dij quidem in cœlo conspicui in ipsa vnione ad deos occultos existunt, dæmones autẽ longè ab illis distant, velut à contẽplatoribus puris ipsi in agẽdo propensius occupari. Ideo & à diis cõspicuis longè distãt. Item essentia vtrorunque deorũ, & potẽtia, prouidentiaque vniuersalis est per omnia tendens: dæmonum verò natura prouidentia particularis circa res quasdã, atq; prouincias. Item dij corpora sua adeo supereminent, & corpora adeo his obsequuntur, vt à corporibus separati dicantur. Dæmones verò contraria

ria ratione magis affecti sunt, & copulari corporibus. Itē dij sunt architecti, dæmones verò ministri. dæmones, quòd occulti sunt sensibus, dij rationi quoq; humanæ. quòd si fortè aliquando dij appareant, circa terrā adhuc dæmonib⁹ aëris erūt præstantiores. Mutatio enim loci, vel officij naturā nō mutat diuinā. Denique dij à potentiis fluentibus in generationem liberi sunt, dæmones verò nequaquam. Confutat quæ ex historia Porphyrius adduxerat, scilicet fieri multa ad deos quasi passibiles essent. Quia lex sacrorum iubet à passionibus esse inter sacrificia liberum, quæ quidem lex est data diuinitus etiam à primo patre mundi, à quo & omnia symbola in sacrificiis significantia aliquid occultissimū. Deniq; quæ in sacris ritè fiunt, habēt causam diuinā adeo à passione remotam, vt nec ratio eam possit attingere. Vulgus rationē ceremoniarum diuinitus institutarum attingere nequit, verūtamen assignare conatur. ex suis igitur passionibus assignando, diis passiones attribuit. Vulgus erga potentes vtitur gestibus venerationis, & donis vtitur ad deos eisdē. Sed erga homines id agit, tum passionibus suis, tum propter passiones maioris, putat autē & similes passiones diis inesse,

quæ

quæ hominibus potentibus insunt, atque propter similes passiones in subditis, adoratoribusq; diis talia exhiberi. Sed re vera ceremoniæ diuinitus institutæ nō passione aguntur vlla, sed admiratione potius, & veneratione, & constante prorsus intelligentia, gaudióque persimili.

Quo differant Dæmones, Heroës, Animæ.

SVnt in diis vires generatiuæ, opificesq;, sunt & viuificæ, quæ & in prioribus sublimius continentur. Primę latius diffunduntur quàm secūdæ. Secundæ per primas definiūtur: dæmones post longum earum processum exordiuntur, vbi iam ad partitionē plurimā deriuantur, heroës definiuntur per secundas, id est, viuificas antè quàm deueniāt ad postremum. Nam in postremo earū exordiuntur animæ: officium ergo dæmonū est opificium circa naturas mūdanas, vsque ad singula trāsigere simul, atque perficere, & animas ligare corporibus. Heroum verò est viuificare, ratiocinariq;, & animas custodire, easq; à corporibus soluere. Dæmonum officium latius est quàm heroum: illi circa vniuersum magis, hi circa animas potius operantur. Nō dicimus animas fieri, sed accipere à dæmonibus, heroibusq; nonnihil, & ex se multa insuper adhibere, exordiriq; suæ

officium circa diuinorũ finem: non quia diuina non vlterius agant, ſed quoniam animæ in vltimis diuinorum officiis adſciſcuntur. Item anima ex ſe tam varias viuendi formas promere poteſt, vt pro earũ congruitate ſingulas habitet mundi plagas. Poteſt & congredi quibus vult, iterúmq; regredi in ſeipſam, & tã diis quàm inferioribus ſe coniungere, quatenus rationes diuinorum ſicut inferior promit: etſi ſæpe per dęmones, heroësq; iungatur diis, poteſt tamẽ per ſua quædã media ab illis differentia ſe coniungere diis. Anima nonnunquã conciliat ſe diuinis per alias harmonias eſſentiæ, actionúmq; ſuarum, quàm ſint illæ, per quas dæmones ſuperis ſe coniungunt. Etſi anima non ſeruet vitæ tenorem adeo ſimilem, tamen ſæpe benefica voluntate Deorum illuminata dæmones ſupergreditur ad vitam angelicam potius quàm animalem. Anima quan uis videatur omnes rationes, & totas in ſe ſpecies exhibere, tamen determinata ſemper eſt ſecundum aliquid vnum, id eſt, vnam ſpeciem. Atque interim ex cauſis præcedentibus aliâs aliis ſeipſum coordinat ipſa ſe mouens.

Quando alia numina aliter appareant, atque agant.

 Omnes

OMnes ſuperi inuocati veniunt in conſpectum, ſed alij ſub aliis formis, viribuſq; occurrunt. Animæ quoq; ſtellarum nouis quibuſdam modis aſpectũ mouent. Deorum viſa occurrũt vniformia, ſimpliciſſimaq;, archangelorũ aliquantò minus vniformia vel ſimplicia. Angelorũ quoq; minus, dæmonũ varia iam, principatuum magis varia, ſed ordine varietatis miro, heroũ his quaſi ſimilia, principatuũ varia admodũ, ordinata parũ. Animarũ ſcilicet particularum omniformia. Cùm enim diuerſi ſunt ſuperi naturis, actionibuſq;, & modo ſuo appareant ſingulis, meritò diuerſi diuerſis modis occurrunt. Dij in aſpectũ veniũt admodũ inſalutares, archãgeli horribiles ſimul & manſueti: mitiores angeli: dæmones metuẽdi: heroës verendi minus: principatus ſtupendi: principes noxij & infeſti: animæ ſimiles heroibus, quamuis inferiores. Deorũ imagines apparent penitus immutabiles. magnitudine, forma, ſigura, actione archangelorũ, & angelorũ gradatim minus immutabiles, ſed prope Deos: dæmonum mutabiles quidẽ magnitudine, atq; forma, his enim aliâs aliter apparẽt, ſed eædem agnoſcuntur: principatuũ immutabiles: heroũ fermè ſicut dæmonũ: principũ multiformiter

varian

variantur: animarum mutabiliores longè quàm dęmonum. Dij apparent cum quiete quadam, & ordine: archangeli cum eisdem, sed his adhibent efficaciã: angeli eisdem scilicet quieti, & ordini adhibẽt motũ ordinatũ, & moderatum: dęmones cum turbatione ordinẽ transgrediente: principatus cũ stabilitate, cõstantiaq; in seipsis: heroës cũ motu atque festinantia: principes cũ tumultu: animę ferme sicut heroës, sed minori cũ stabilitate, & ordine. Deorum pulchritudo occurrit inæstimabilis, incõparabilis, admiranda, supra modũ delectans: archangelorũ, angelorumq; consimilis, sed gradatim inæqualis. Dæmonum & heroum spiritus per se apparentes pulchritudinẽ in speciebus determinatis habent, sed illi secundũ rationes essentiæ, hi secũdum fortitudinis actũ. principatuũ pulchritudo principalis est, & natiua: principum ficta, adornata, elaborata. Animarũ pulchritudo in rationibus consistit determinatis quidẽ, sed diuisis magis quàm in heroũ forma, sub vna tamen specie cõprehensis. Deorum actiones, effectusq; velociores sunt quàm intelligentia deprehendere possit. sed interea penitus stabiles. Archãgelorum celeritas mista est, quodãmodo efficacibus actionibus: angelorum

cum motu,neq; pariter habēt,vt vnà cum dicto perficiant. Dæmonum actiones celeriores apparēt,quàm ſint effectu,& veritate.Heroës magnificè quidem incedūt ad actionem,tardius tamen quàm dęmones peragunt:principatus cū autoritate, & imperio veniūt ad agendū. principum conatus plurimā quidem habet emphaſim, ſed defuit ab effectu. animarū actiones mobiliores ſunt, quàm heroū,ſed debiliores. Deorū apparentium magnitudo totum cœlum occupare videtur. Quā incedentē nec terra putatur ſuſtinere poſſe. Archangelis apparentibus partes mundi quædā commouētur,& lumē præcedit in ſe diuiſum. ipſi verò pro magnitudine dominationis ſuæ magnitudinē lucis , & figuræ præſeferunt.Angelica forma,& lux, & minor eſt, & diuiſa magis : dæmonum magnitudo, formaq; diuiſa magis & minor:heroica rurſus anguſtior,aſpectúſque magnanimus:principatus prægrandes,& vaſti : principes inflati, ſuperbiq;,& inſolentes apparent.animarū effigies inæquales,heroibúſque minores.Deniq; quilibet pro magnitudine potētiæ ſuæ, & imperij latitudine magnitudinem formę,lucíſque præfert. Deorum ſpectacula prælucida nobis occurrūt, fulgentiáque ad ſummū, & ſplen

& ſplendore dearticulata mirificè, & lucidiora quàm ſint re vera: archangelorum vera, perfectáque: angelorũ effigies ſpeciem eandẽ ſeruant, præterquam quòd à notitiæ plenitudine agnitionis diſcretione deficiunt: dæmonum exilia, & quaſi caduca: heroum exiliora: principatuum perſpicua: principum obſcura, ſed vtraque imperioſa: animarum vmbroſa. Deorum imagines quamplurimo ſplendore coruſcant: archangelorum quoque præfulgidæ: fulgidæ inſuper angelorum: dæmones turbidus ignis apparent: heroës miſtum lumen ex pluribus habẽt: principatus quidem purius, principes autẽ ex diſſimilibus, contrariiſque confuſum oſtendunt: animæ ignem reddunt plenum ex multis generationis admiſtionibus, atque diuiſum. Deorũ imagines occurrunt tanquã ignis indiuiduus, ineffabiliſque implens vniuerſum mundi profundum: archangelorum ignis etiã indiuiſus, habẽs circa ſe, vel ante, vel retro quamplurimam multitudinem: angelorum diuiſus ignis, ſed in ideis abſolutiſſimis: dæmonũ magis quoque diuiſus, ſed anguſtius circunſcriptus facile exprimendus, & apud illos, qui ſuperiora viderunt, facile cõtemnendus: heroicus ignis habet, quod horum

consimilia, sed nõ æqualia, principatuum ignis apprime lucidus:principum aliquid habet opaci: animarum valde diuisus, & multiformis, atq; ex multis mundi naturis admistus. Deorum ignis omnino stabilis est aspectu, archangelorum stabilitatis particeps: angelorum stabiliter mouetur:dæmonum instabilis:heroum properãtior: principatuum quietus aduenit: principum verò tumultuosus: animarum ignis multis motibus transmutatur. Dij animas perfectissimè purgant:archangeli sursum reuocant: angeli tantum soluunt à materiæ vinculis:dæmones ad naturam trahunt: heroës ad curam sensibiliũ operum deducunt: principatus quidem præsidentiam mundanorum, principes verò materialium studium exhibent: animæ, cùm apparent, contendunt, trahuntq; in generationẽ. Quicquid purum, firmumq; est in imagine nobis occurrente, superioribus attribuito generibus. Iam verò præfulgidum eius, quódue in seipso firmiter permaneat diis attribue: quod verò fulget, atque permanet quidem, sed quasi in alio, archangelis: quod in alio permanẽs, angelis. Item quod mobile est, & vagabundum, & alienis plenum naturis, vbiq; inferioribus ordinibus attribuito. Dęmones

nes miſtos in ſe habẽt mundi vapores, ferũturq; inſtabiliter præter vel iuxta mundi motũ: heroibus generatiuæ ſpirituum compoſitiones admiſcentur, circa quas & ipſi commouẽtur. Principatus eodẽ modo permanent, mundanum quod habent oſtẽdentes: principes materialibus liquoribus pleni ſunt: animæ ſuperfluis maculis, & alienis ſpiritibus ſunt repletæ, quibuſcum quoties apparent, vnunquodque horum generum ſe oſtendit. Dij materiam repente cõſumunt: archangeli paulatim, angeli ſoluunt ab ea, & ad ſublimia reuocant, dæmones diligenter exornant eam, heroës coaptant ad eam competentibus vbiq; mẽſuris eam ſtrenuè commodeq; curantes: principatus adſtant ei ſupereminentes, & hoc pacto ſeipſos oſtendunt: principes impletos ſe penitus materia monſtrant: animæ puræ quidem ſeorſum à materia veniunt: impuræ verò materia inuolutas ſe nobis oſtendunt. Exhibent inſuper alij nobis alia. Dij præſentes dant corpori ſanitatem, virtutem animæ, menti ſynceritatem, omnia noſtra impropria principia reuocant, quod in nobis eſt frigidum, letiferumq; delent, calorem fouent, efficacioremq; reddunt ad vitam: faciũt quoq; vt omnia animæ, mentiq; con-

gruant,& mensurentur eisdē,harmoniáq; intelligibili lumē effundunt:quódue non est corpus, ostendunt tāquā corpus ipsis animæ oculis per corporis oculos. Archangeli eadem agunt, sed nō adeo sufficientia,vel permanētia, vel extra proportionem nostrā : angeli bona etiam magis particularia diuisè distribuūt, effectúmq; agunt valde ab intimo eorum vigore deficientem:dæmones præsentia sua corpus grauant,morbis affligunt,aliter puniunt, animas quoq; ad naturā trahunt,& à corporibus, cognatóq; eorū sensu non discedunt:atq; eos,qui ad ignem cœlestem,diuinúmue cōtendunt,circa locum inferiorem detinent, nec à fati vinculis soluunt: Heroës alia dæmonibus similia faciunt, proprium verò id habent, quòd ad opera quædam generosa, magnaq; nos suscitāt: principatus apparentes bona largiuntur mundana, résq; vitæ huius omnes suppeditant:principes materialia,terrenáq; bona:animæ cùm apparēt,si animæ sunt puræ in ordine angelico constitutæ, sursum reuocant,salutem animo præbent,spémq; sacram,sacráque dona,quę sperantur:animę impurę ad generationem detorquent, spem frustrantur eius fructus auferentes, passionibúsque intuentes implent animā

corp

corpori copulantibus. Ordinem quoque, quem vnusquisq; obtinet, in apparẽdo designat: Dij ostendunt Deos, vel angelos circa se adstantes: archãgeli angelos præferunt, vel pręcurrẽtes, vel circunstantes, vel sequentes, siue aliam quãdam turbam angelorum quasi stipatorum circumuallantium: angeli opera ordini suo congrua præferunt. Boni dæmones opificia sua, & bona, quæ tribuunt, in conspectum adducunt: dæmones vltores ostendunt suppliciorum species. dæmones alij quomodocunq; praui occurrunt circundati feris letiferis, voracibúsque: principatus, prouincias mundi quasdam secum demonstrant: principes, conditionẽ materiæ ordine carentem, errãtémque secum afferũt in conspectum. Anima quidẽ tota in nulla particularium specie detenta ignem ostendit sine certa specie circa mundũ totum, quo animæ mundanæ natura significatur indiuisa, & vna, & nulli addicta speciei. Anima purificata igneam ostendit figuram, ignem purum, & lumen micans, simúlq; stabile, & ipsa vnà cum duce sublimi sequitur, bona voluntate gaudens, atq; ita in operibus suis ordinem, quem obtinet, patefaciens. anima verò, quę deorsum labitur, occurrit trahens secum signa vin-

culorum, atque pœnarum, materialiumq́; ſpirituum compoſitione ſe grauatā oſtendit, turbationibusq́; materiæ diſſimilibus occupatam, ſeq́; ſubdentem imperio dæmonum generationi fauentium. Singuli cùm apparent, oſtendunt prouincias, ſortesq́;, quas ſortiti inhabitāt, aërij quidem ignem aërium, terreni verò terrenū, atque nigrum, cœleſtes autē ignem ſplendidiorem, atque in his tribus terminis omnes diſtributi ſunt eorū ordines. Dij demonſtrant omnium ordinum principia in ſe, cùm apparent. Angeli declarant ſe ab archangelis dependere: dæmones, heroësq́; patefaciunt ſe ſuperioribus miniſtrare, quamuis aliter hi quàm illi: principatus, principesq́; præfecturā oſtendunt. Illi circa mundū, hi circa materiā animæ declarant ſe ſuperiorum poſtrema tenere: vnde vnà cum ſeipſis primi quidem prima loca deſignant, ſecundi ſecūda, tertij tertia, cæteriq́; deinceps eodem ordine. Dij tenuitate luminis tanta effulgent, vt corporis oculi non poſſint capere, atq; perinde afficiātur, vt piſces ab aqua turbida, pinguiq́; tracti in aërem tenuiſſimū: qui enim diuinum ſpectant ignem, non potentes ignis diuini reſpirare ſubtilitatē, cùm primùm ſpectare videntur, virtute deficiunt, atque

innato ſpiritu, prorſus intercludũtur. Archangeli quoq; ſplendorẽ emittunt,ſubtiliorem,purioremq;, quàm tolerari queat, non tamen adeo intolerabilem, ſicut dij. Angeli occurrẽtes tolerabilem perficiunt aëris miſtionẽ,vt ſacerdotes eam attingere poſſint.Dæmones,cùm apparent, nihil totus aër compatitur, nec eis circunfuſus aër fit ſubtilior, neq; præcurrit lumen, in quod eorum ſpecies emicat,aërem anticipans: neq; circa illos circumlucet aër vndiq;: heroibus apparentibus plagæ quædam terrę cõmouentur, ſonitusq; circunſonant, totus verò aër non fit ſubtilior, neque adeò ineptus ſacerdotibus, vt ſuſtinere non poſſint. Sub principatibus circũcurrit eos viſorũ circumuolutio plurimorũ difficilis toleratu, & volumen eiuſmodi circa eos eſt mundanum:circa principes verò terrenũ: neq; tamen ſupermundana ſubtilitas, neq; ſupremorũ elemẽtorum. Animis apparentibus, aër apparens magis cõnatus eſt eis, earumq; deſcriptionem ſuſcipit coaptatus eis. Affectiones inuocantium animorum occurrentibus diis excedentẽ reportant perfectionem,actionemq;,& amorẽ diuinum, incredibilemq; lætitiam: archangelis contemplationem intellectualem ſummopere puram, immuta

mutabilemq́; potentiam:angelis rationalem cognitionẽ, virtutemq́; in ordine positam:ad summũ dæmonibus appetitũ generationis, atq; heroibus talia quædã, & insuper studia ciuilis gubernationis:principatibus,vel principibus motus mundanos, vel materiales agunt animo naturæ, operumq́; fatalium expletionẽ animis, appetitus,generationis, & studia corporum curandorũ. Deorum apparitio veritatem, potestatem, actiones ad summum corroborat,& bona præbet amplissima,archangelorũ similia, sed particularia magis, & cognitionem, potentiamq́; non simpliciter,sed ad hoc,& ibi,& tunc,& hoc pacto, angelorum etiam determinata magis:dæmonũ non animę bona,sed corporis,corporeaq́;, quãdo mũdanus ordo concedit: heroum dona Reip.mũdanę, siue terrenę: principatuũ mundana:& omnia vitæ cõmoda principũ,inferiora, id est magis materialium copiam:animarum,quæ ad humanam vitam cõferunt familiari prorsus occursu.Porphyrius narrauit opinionem dicentẽ communem hoc est diis,angelis, dæmonibus,omnibus deniq; superis,cùm apparẽt,ostentare se,& iactare mirificè,& imaginariam similitudinem ex se producere. Iamblichus vtranq; confutat.Deus,

angel

angelus, dæmon bonus, docẽt hominem, cùm apparent, quæ qualis ve re vera sit eorũ essentia, nihil vltra, vel citra veritatẽ loquentes. Sicut enim lumen naturaliter, & assiduè solẽ sequitur, sic veritas Deum, eiusq; pedissequos, præsertim cùm perfecti, pleniq; sint, neq; egent, neque possunt sibi vltrà quàm sint, arrogare. Quando in theurgia, id est deifica, & sacerdotia facultate delinquitur, tunc non bona quidem numina, quæ optantur, sed deteriora, malaq; nobis occurrunt sub prætextu bonorum: mali enim spiritus in similitudinem bonorũ se sæpe transformãt, iactabundiq; veniunt, & supra quàm sunt, sibi arrogãt. Nempe vbi initium primum adulteratum suboritur, mẽdacium plurimũ ex peruersitate procedit. Oportet sacerdotes apparitiones spirituum regula ordinis totius examinare, & meminisse arrogantiam iactabundã non esse vllo modo propriã veris spiritibus, atq; bonis. Et cauere ne à ritu sacrorũ aberretur vnquã. At si in errore apparitionis quædã repente insolentes aduenient, non decet ex earũ conditione communem, omnémque numinum naturam, cõditionemq; perpẽdere. Quæ enim multis seculis, & operoso labore in sacris cõprobata sunt, nefas est ex nonnullis repente

pente incidẽtibus temere iudicãdo mutare. Et si falsi spiritus mentiuntur, boni tamen circa ignem veridici sunt, atq; legitimi. In omni siquidem genere principalia primùm à seipsis exordiuntur, sibiq; ipsis præbent, quod cæteris exhibẽt. idq; fit in essentia, vita, motu. similiter superi veritatem omnibus exhibẽtes, primo de seipsis vera prædicant, ipsamq; eorum essentiam præcipuè contemplationibus patefaciũt. Ideoq; ignem per se, propriaq; forma spectandum sacerdotibus rite demonstrant. Non enim est caloris frigefacere, vel luminis obtenebrare, atq; occultare, vel vllius per essentiã aliquid facientis, aliquãdo cõtraria facere. Phantasma, id est simulacrum missum ab aliquo sine natura eius, sed solùm per modum idoli specularis, vanè trahit animum intuentis, fallitq;, dum simulat se esse aliquid, de cuius natura nihil habet. Est igitur causa falsitatis, quod nullo modo competit alicui essentiæ verę. Ideo neq; diis, sed hi, eorumq; sectatores, non exiles, inanesq;, sed naturales, & veras sui reuelẽt imagines, non quidẽ speculares (vt dixi) vanas: cur enim eas mitterent? non vt demonstrent essentiam suam, atque potentiam. nam illæ ab hac ex tota natura deficiunt, non etiam ad intuẽtium

vtili

vtilitatem. Quæ enim vtilitas eſt ex mendacio ſimul, atq; deceptione? Non deniq; ob hoc mittunt, quia natura eorum ſit ita ex ſe idolũ mittere, nempe eſſentia firma in ſeipſa cõſiſtens, & ita reliquis eſſentiæ, veritatiſq; cauſa nullo modo in aliud mittit imitamen ſui vllum fallax, & deceptoriũ, quod ſimul & ſe eſſe aliquid, de cuius natura nihil habeat. Neq; igitur dij, neq; ſequaces eorum vel transformãt naturam ſuã in aliqua ſimulacra, neq; hæc in aliud ex ſe producunt, ſed veras ſui formas in veris animæ moribus illuſtrant, atq; demonſtrant. Nota huic ſimile illud, quòd in patria mens beata diuinã eſſentiam videt non per imaginem ab ea creatã prorſus deficientem, ſed per eãdem eſſentiam, ſicut is, qui lumen videt per lumen in lumine: non ſicut qui calorem per lumen, vel qui corpus ſpeculo. Subſtantiæ ſeparatæ, non habent vllum ſibi commune genus. Item dij, angeli, dæmones boni non apparent phantaſtico modo, ſed proprio prorſus, & vero. Spiritus verò mali phantaſtico, fallaciq;, neq; decet ex cõditione, qua hi apparent nobis, reputare modum, quo boni ſua præſentia formant animam. Porphyrius ait, cognitionem quidem diuinorum eſſe rem ſacram, ignorantiam

vero

verò profanam. hæc Iamblichus comprobat: quia cùm dij per intelligentiam agãt entia, meritò nos per intelligentiã entium placere diis, atq; probari, sed operationẽ religiosam anteponit intelligentiæ: tanquam quæ sola sit efficax ad acquirẽdam animæ cum Deo deificam vnitatẽ. Tanta est virtus sacrorum rite Deo factorum, vt etiam si hæc ignores, piè tamen obserues, non minorem habeant efficaciam. Non enim intelligentia coniungit sacrificatores Deo, alioquin philosophi vnionẽ deificam reportarent.

De virtute Sacramentorum.

OBseruantia decens præceptorũ, operumq; diuinorũ, quę omnẽ excedunt intelligentiam, atque symbolorum, sacramentorumq; potestas mira solis nota numinibus, præstat nobis deificã vnionem. Quãdo operamur in sacris, nõ cõficimus per intelligentiã sacramento, alioquin & actio eorũ intellectualis foret, & daretur à nobis: cõtrà verò & nobis nõ intelligẽtibus, hæc propriũ opus peragũt, & deorũ potestas, quò hæc referũtur, ineffabiles ex se ipsa proprias agnoscit imagines non à nostris intelligentiis excitata. Vniuersales enim causę a particularibus effectibus non

non mouentur: vnde nec ab intelligentiis noſtris diuina principaliter mouentur ad operandum, ſed intelligentias, & affectionem optimam, puritatemq́; præcedere neceſſarium eſt, tanquã concauſas quaſdam. Quę verò principaliter diuinam prouocãt voluntatem, ipſa ſunt ſacramenta diuina: atq; ita diuina à ſeipſis incitãtur, neq; ab vllo ſubdito principiũ actionis accipiunt. Ne putes igitur totam in nobis autoritatem eſſe efficacis rationis in ſacramentis, neq; in veritate intelligentiæ noſtræ, verum eorũ opus abſolui, vel hæc ex noſtra deceptione mẽtiri. Nam nec etiã ſi nouerimus, quæ genus quodlibet propriè cõſequuntur, ſubitò cõſequimur ipſam eorum in opere veritatem. Abſque cognitione quidem nunquam aduenit efficax vnitas ad diuina, neque tamẽ idem eſt omnino. Quapropter neque diuina puritas per rectam cognitionem efficitur, ſicut corporis puritas per ſanitatem. ſed ſuper cognitionẽ vnita eſt, & purificata puritas, id eſt per poteſtatẽ cognitione ſuperiorẽ. Neq; igitur aliud quicquam in nobis humanũ ad diuinarum actionũ finem aliquid confert. Cõclude ſententiã Iamblichi, Aegyptiorum, Aſſyriorum, ſicut in agricultura, medicina, arte imaginum, coitu huma-

no homo materiam opportunè coaptat. causa verò superior, vniuersalisq; adhibet formã: sic in sacrificio, quando fiunt symbola, atq; synthemata, id est signacula, & sacramenta, sacerdos adhibet materialia quædam, quo ordine deus instituit. Deus autẽ vim efficacẽ imprimit sacramentis.

Vaticinium quid, & vnde.

VAticiniũ ipsum nec ab arte, nec à natura, nec à naturalibus, vel animalibus rationibus motibús ve efficitur: neq; fit vllo modo, sed vtrinq; sempiternum est missum ad nos vsq; diuinitus, totaq; potestas præsaga refertur ad deos: & omnis huius autoritas consistit in eis, atq; inde traditur, diuinisq; operibus, signís ve perficitur. spectacula quidem habet diuina, & contemplationes vera sciẽtia præditas. Cętera verò cuncta, velut instrumenta subiiciuntur, misso diuinitus præsagij dono. quæcũq; ad animã pertinent, aut corpus, vel in totius natura sunt, siue naturis: loca verò & talia quædã ad vaticinium exigũtur vice materiæ. Non decet vaticiniũ deducere sine causa, scilicet à quibusdã nullam in se habentibus præscientiam, sed à diis continentibus in se terminos totius scientiæ rerum. Contemplari decet vaticinium

nium distributum circa totum mũdum,& circa omnes diuisas in mundo naturas: sic vtiq; causa vaticinij præcipua est,& communissima, possidensq; in se ipsa quęcũq; sui participãtibus exhibet, præcipuè præbẽs veritatem qua opus est vaticinio,& in primis essentiã, causamq; eorũ, quæ fiunt, obtinens in se ipsa, à quibus necessario procedit, perpetua præsagij consecutio. Porphyrius ait, quãdo dormimus, aliquãdo præsentire futura, absq; vlla præsentis status animaduersione, etiam si in ecstasin minimè concitemur. Volens arbitror non tam externo influxu tũc diuinitus influẽte, quàm ex ipsa natura animę, mentisque præsagire: Iamblichus ait somnia, quæ humanis proueniũt causis, siue per naturam nostrã, siue per affectus, & cogitationes, & actus, raro admodũ & obscurè nimiũ, & sæpius casu quodam attingere verum.

De somnijs.

SOmnia quandoq; incitantur in nobis ab innatis intelligẽtiis, rationibùs ve, vel ab imaginationibus, curisque diurnis, quæ aliquando verum assequuntur, plurimum verò falluntur, atque hæc humanis principiis oriuntur, dormientibusq; contingunt vigiliæ nihil habentibus. Somnia verò missa diuinitus non ita contingunt,

ſed veniunt, vel inter vigiliã, atq; ſomnũ, vel inter ſomnum, atque vigiliam, vel in ipſa vigilia. Tunc breues audiũtur voces, quid agendum ſit admonẽtes, & aliquando ſpiritus quidam non corpulẽtus, non tractabilis, ſe iacentibus circunfundit: qui tamen non perſpicitur, ſed alio quodam ſenſu, & animaduerſione, quæ in conſenſu percipitur, impetu quodam ingrediens, & ſe vndiq; circunfundens abſque contactu, atq; mirificè paſsiones animi, corporisq́; expellit, aliquando verò lumẽ ſyncerum, quietumq́; fulget, ſub quo viſus clauditur anima patẽs. Sed alij ſenſus interim peruigiles ſunt, perſentiuntq́; quando dij in lumine ſe oſtendunt, & quæ illi loquũtur, arguuntq́;, continuata animaduerſione percipiunt. perfectius verò id totum diſcernitur, quando viſus quoq; perſpicit, atque intellectus corroboratus, quæ fiunt aſſequitur, & qui ſpectant ſimiliter commouentur. Tanta, tamq́; differẽtia qualia diximus, non ſunt humana. cõtingunt verò quando ſomnus noſter eſt grauedo quædam capitis, vel inclinatio, & occupatio viſus, vel medium quiddam inter vigiliam, atq; ſomnũ, vel excitatio ſubita, vel ipſa vigilia. Quæ omnia diuina ſunt ad deos ſuſcipiendos idonea, diuinitusq́; mittunt,

mittunt: atqui talia quædã prçcedũt, quasi apparitionis diuinç partes. Somnia humanis causis procedentia defectus patiuntur duos. Nam & in ipso somno omnino dormiẽtibus accidũt, & nos tũc nõ distinctè, vel plenè animaduertimus, aut quç occurrũt, aut statũ ibi nostrũ. Quãdo verò diuinitus mittuntur somnia, neq; re vera dormimus, & assequimur, animaduertimusq́; clarius quàm consueuerimus vigilantes: ideoq; in eiusmodi somniis maximè ponitur vaticiniũ. Anima duplicẽ habet vitam, vnã quidem simul cum corpore, alteram verò ab omni corpore separabilem. Quando vigilamus, vtimur plurimũ vita, quæ communis est cum corpore, præterquàm siquando penitus separamur ab eo, propterea quòd vel intelligam⁹, vel puris rationib⁹ cogitemus: sed in dormiẽdo penitus solui possumus, velut à vinculis adhibitis animo, atq; vita à generatione separata tunc vti. Quando quodãmodo dormiẽtibus animus à corpore soluitur, tunc illa vitæ species secũdum seipsam permanens separabilis, separataq;, siue intellectualis, siue etiam sit diuina, protinus expergiscitur in nobis, agitq; queẽadmodum sua fert natura. Quoniam verò & intellectus entia contemplatur, & anima ge-

nerabilium rationes in se complectitur, meritò secundū causam comprehendentē futura in præcedētibus sui rationibus ordinata prænoscit. Dictum est de præsagiis animæ redeuntis in se in statu simili somno. In se, inquam, id est in rationes seminales, & intellectuales: sed hactenus sub forma quadam propria præsenti vitæ, id est sub forma particularis actionis huius, & vitæ: sed si mox explicet vniuersam rationum, cogitationumq; formā, secundum quam vixit aliquando, tunc reportabit præsagia pertinentia magis ad vniuersalem mundanarum rerum conditionem, sub qua & particularia passim conspicere poterit. Si rursum per formam vniuersalē eiusmodi suam ipsis deorū mentibus copuletur, videbit insuper, quæ ad mundum spectant superiorem, & quæ ad hunc, itē per illa tanquam præcipuas causas intelliget absolutius, in quo statu non solū cogitatio erit perfecta, sed imaginatio quoque habebit imaginamenta syncera de rebus corporeis, atque diuinis. Quoniā verò sunt in anima rationes generabilium penes potentiam eius, tum effectiuam, tū etiam cognitiuā, atq; hæ rationes dependent à rationibus, quæ sunt in diis, ideò anima his coniuncta, rationes in se suscitat

tat in actum, ſaltem cognitionis ampliſſimum, & ſub diuinæ prouidentiæ modo, per quem & per quas reputat præterita, futuraq́;, & temporalia omnia, eorumq́; actiones,& paſſiones,paſſionumq́; remedia,& curationes morborum, vitiorumq́; animi,& ſtatuta legum, & artes generi hominum neceſſarias: ſic in Æſculapij templo accipiuntur ſomnia,quibus morbi curãtur,ipſaq́; ars medendi ſomniis eſt comparata diuinis. Exercitus Alexandri morbis mox deperiturus euaſit diſcrimẽ remediis adhibitis in ſomno à Dionyſio deo. Lyſander rex Aphutim vrbẽ obſederat,& in ſomno iuſſus ab Ammone,ſoluit obſidionem. Multa quotidie ſimilia fiunt ſupra orationem, rationemq́; humanam.

De inſpiratione diuina, quæ fit in vigilia.

PORphyrius duas diuinas afflationes tetigit: vnam,quæ cõmuniter dicitur in ſomno fieri:alteram,quæ in vigilia,vbi afflati, & perciti præſagiunt,ita vigilãtes, vt etiam vtantur ſenſibus.Neq; tamen interim ſunt humanæ rationis compotes. Iamblichus ait animos verè præſagiẽtes, afflatosq́;, & cùm dormire videntur,non dormire,& cùm vigilare, non propriè vigilare,neq; more hominum ſenſibus vti. Animi diuinitus afflati, percitiq́;, ſubie-

cerunt vitam ſuam penitus afflanti deo. Ideo ſiue vt vehiculum, ſiue vt inſtrumentum ſe ſubiecerint, priorem vitæ modum depoſuere, atque vel vitam propriam in vitam diuinam cõmutauere, vel vitam ſuam penitus ad deum agunt. Ideo neque vtuntur ſenſibus, neque ita vigilant, vt qui vigiles habẽt ſenſus, neque ipſi præſagiunt, vel mouentur humano quodam impetu, atque more, neque ſuum ſtatũ animaduertunt, neq; vllam edunt cognitionẽ, actionémque propriam, ſed totum illic agitur ſub forma, actionéque diuina.

Miracula multa fiunt à Prophetis.

23 QVod autem afflati diuinitus non viuant, tunc ipſa animalis vita patet, quia multi eorum admoto igne, nõ vruntur, ignem videlicet repellente deo intus afflante: vel ſi vruntur, non perſentiunt, neque pungentia percipiunt, vel radentia, vel vlla tormenta. Item quòd actiones eorum non ſint humanæ, cõſtat, quoniam per inuia vadunt, pérque ignem feruntur intacti, & flumina tranſeunt mirabiliter, quod & ipſa ſacerdos agit in Cataballis. per hæc patet illos non viuere vitam humanã, nec animalem ſenſibus, impetúque vtẽtem, ſed diuinam, quaſi anima eorum otietur, & deus ibi ſit pro anima, moue-

atq;

atq; tanquam excellentior anima. Variæ ſunt diuinitus inſpiratorum ſpecies, tum pro varietate deorum, qui alij aliter inſpirant, tum pro differentia modorũ in ſpirationibus: hi modi ſunt tales. Aut enim deus ipſe nos occupat, aut nos ei nos addicimus, totiq; illius efficimur, aut communem agimus ad deum actionem: item vel vltimæ diuinæ potentiæ euadimus cõpotes, vel mediæ, vel ſupremę. item aliquando nuda eſt dei præſentia, aliquando vltra pręſentiam fit communio. interdum vltra hanc conficitur vnio, rurſum inſpirationis vel anima ſola fit compos, vel etiam corpus ſubinde fit quodãmodo particeps, vel etiam commune animal ex æquo fit compos. Secundum horum diuerſitatem, differentia ſunt inſpiratorum ſigna, & effectus, & opera. Secundum prędictam inſpirantium, inſpirationís ve diuerſitatem, inſpirati alij mouentur vel toto corpore, vel quibuſdam membris: vel contrà quieſcunt. Idem choreas, cantilenasq; concinnas agunt, aut contrà. rurſum corpus eorum vel excreſcere videtur in altum, vel in amplum, vel per ſublimia ferri, atque contrà. Item voces edunt, vel æquales, perpetuáſve, vel inæquales, & ſilentio interruptas. Et tum remittunt tonos,

tum intendunt.

Inspiratus vacat ab actione propria, ac deum habet pro anima.

24 MAximum verò afflationis diuinæ signum est quòd ille, qui numen deducit, insinuatq;, prospicit spiritum descendentem, & quātus sit & qualis, atque ab eo mysticè docetur, & regitur. Quinetiam qui numen suscipit, ante susceptionem aspicit quandam ignis speciem. Interdum verò hæc conspicitur, & presentibus, siue adueniente, siue recedente deo. Quo ex signo in his rebus periti verissimè discernunt, quæ sit potestas numinis, quis ordo, & de quibus vera loquatur, & quę perficiat: sed qui absque eiusmodi spectaculis clàm spiritus introducēt, velut in tenebris latitantes concutiunt. Neq; quid agant intelligunt, nisi exigua quædam, id est signa nonnulla in ipso afflati corpore. Cùm igitur ignis diuini præstantia, & luminis species quædam, ineffabilis extrinsecus incubet occupato, impleatq; ipsum totum, & penitus dominetur, & circùm vndique in se complectatur, adeo vt nec vllam queat actionē peragere propriam, quisnam sensus, perceptioue, & animaduersio propria potest adesse animo diuinum ignem suscipienti? vel humana motio,

tio,passio,peruersio phantasiæ, & alienatio, qualem aliqui suspicantur? Porphyrius afflationem diuinam definit ita, Motio mentis vnà cum inspiratione dæmonica. Iamblichus ait, in animo afflato diuinitus, neque mentem, cogitationém ve humanam ferri, si re vera continetur à deo. Neque dæmonum, sed deorum fit inspiratio, neque rursum definiri debet exitus, & alienatio. hæc enim lapsum significant in deterius, sed potius dici debet reductio, restitutioq; in melius. Est igitur afflatio nihil aliud quàm totos à deo animos occupari, atque contineri. Hinc verò posterius sequitur ecstasis, id est exitus, vel alienatio quædã tanquã consequẽs ad afflationem accidens. Plato in Phædro dicit antiquos vaticinium nominauisse maniam, id est furorẽ, quoniã soli diuino furore correpti, verè vaticinantur. posteriores autem adiuncto t, nominasse mãtiam. Itẽ Sacerdotes, Sibyllas, Prophetas, quãdiu prudẽtes sunt, vel paulùm admodum, & obscurè præsagire, vel nihil: quando verò rapiuntur deo, verè vaticinari. vnde præuidisse apud multas gentes pericula diuinitus imminentia, admonuisse populos, & per sacrificia diuinã Nemesim placauisse. item ait præsagiũ arte factum appellari

pellari putationem coniecturalem, nec vllius eſſe momenti, ſi cum diuina inſpiratione, & vaticinio comparetur. Iamblichus ait, diuinum afflatum, vaticiniumq; non eſſe in mente, vel anima, ſiue vt qualitas in ſubiecto, ſiue vt actio in agente, ſed totum eſſe actum ipſius dei ex deo ſimpliciter dependentem. Actum dico à deo peractum in mente, vel anima ſimpliciter, vt inſtrumētis ab omni proprio motu vacātibus: atque ita vera præſagia dari. at ſi quis motus ex corpore, vel anima, vel qualitas talis interim inſeratur, vel præcedat, confundi viſa, neque vera vaticinia fore, neque legitimā eſſe ibi diuinam afflationem, vbi aliquid miſcetur humanum. Tres generatim opiniones erant de afflatu, vaticinioq; diuino: prima, cauſam eius referebat ad animam, ſecunda ad corpus, tertia ad compoſitum. Prima ponit ipſum in eo ſtatu, in quo anima tota eſt redacta in diuinum ſuum, vel in mentem, aut quando eius actio facta eſt vehementior, ſiue amplior, aut quando cogitatio facta eſt acuta, motuq; velociſſima, aut cùm mens incaluerit. Secunda ponit illius cauſam in corpore, quādo certam habet complexionem, ſcilicet vel melancholicam, vel temperatam, ſiue qualitatem

quan

quandam elemẽtalem, siue præterea specialem, siue certũ spiritum. Tertia causam eius ait certam proportionem, qua corpus, & anima inuicem sunt cõpacta. Iamblichus ait, ipsum non esse opus animæ, vel corporis, vel compositi, nec causam in eis habere. Nam afflatus ille fatidicus agit tum in prædicendo, tum in efficiendo, super omnem humanæ naturæ consuetudinem. Non potest autem homo, vel aliquid hominis vltra terminos suos ad diuinos progredi terminos. Neq; possunt præstantiora à deterioribus generari. causa igitur huius est duntaxat ipsa diuinitas, quando scilicet à diis descendunt in nos lumina, spiritusq; tradũtur ab eis, adestq; nobis dominatio, potestasq; illinc absoluta comprehẽdens omnia, quæ sunt in nobis, & exterminãs penitus propriam nobis animaduersionem, & motionem, proferensq; sermones, per hominem quidem, sed non cum ipsa cogitatione hominis, imò pronuncians ipsa per os furentis extra se positi. Dum videlicet quæcunque sunt in nobis seruiunt tota numini, ceduntque soli dominanti actioni diuinæ. Porphyrius ait Musicã passiones inferre animo, itẽq; sedare, & alios sonos aliis animis, & moribus cõuenire. Itẽ cõplexiones

affect

affectionesq; corporis permutare, furorē mouere, cohibere furorē. Iamblichus ista cōcedit, sed negat hæc esse causas afflatus diuini: quoniam sunt humana, partim naturalia, partim artificiosa, nec quicquam in se diuinum habent. Quod videtur suspicari Porphyrius, dicens aliquos afflari, cùm audiunt tibias, vel cymbala, aut tympana, alios verò cùm alias melodias. Variis deorum ordinibus respōdent in mundo variæ motionum species, certæq; certis. ex his verò variæ profluunt melodiæ, quæ congruunt similiter per suos, quæq; motus certis ordine diis principiis motionum. hi, cùm vbique sint, & sua potissimum suis impartiant, melodiis sibi præcipuè congruentibus adsunt præcipuè, nostrisq; spiritibus per eas affectis se insinuantes occupant hominem, suaq; mox essentia, & potestate penitus implent. cuius afflationis causa est, nō tam passio hominis excitata per musicam, quam ipsa ad deum musicæ congruentia, cui naturaliter deus adest. Quæ ad visum veniunt, nimis imaginaria sunt, & intelligibilia potius referunt. Quæ ad sensum infra auditum, materialia nimis. quæ ad auditum, media, & animę congruunt, spirituiq; insinuata cum motu, affectu, significatione

vehe

vehementer afficiũt animã quidem hinc, & inde corpus, vnde totus homo secundũ proprietates melodiarũ: euadit susceptaculum huius numinis, aut illius: & qui afflati sunt aliter, aliterq; se habent in motu, & quiete, aliisq; habitibus, pro diuersitate numinum, quibus afflantur principalius quàm pro differentia musicæ. Cessauit enim iam hic affectus soni, quando deus agit. Anima in mundo intelligibili audiuit harmoniam diuinã, cuius hic reminiscitur, quando audit melodias habentes diuinæ vestigium, reminiscẽs verò ad eam vehementer afficitur, si est è numero animarum, quæ ipsam harmoniæ ideam præcipuè contẽplatæ sunt in patria. Eiusmodi verò affectu facta familiaris deo, iam afflatur singulari quadam præsentia dei, vnde mirabilia facit. huius ergo afflationis, miraculiq; causa est non passio ex sonis illata, non animæ natura ex harmonia composita; sed similitudo ad deum, deiq; præsentia. Multò quoque minus dicendum est, afflationem in eo consistere, quòd per musicam & afflationem ipsam superflua quædam in anima, corporeq; concreta purgentur. Vaticinij ius non est ex certa complexione. deorum enim dona non variè spirãtur secundũ corpoream

varietatem. Munus enim diuinum impatibile est, & super naturæ vim datur per propriam dei actionẽ: neque aqua, neque aër, aut corporeum aliud præbet vaticinium, sed sacra, quæ fiunt circa hæc, imò mentis purificatio vna, cum purificatione vehiculi, intentioq; in deũ suscipit vim diuinam vbique, semperq; prõptissimã. Cùm afflatus animus & dicat, & agat supra, & cõtra naturæ morẽ, causa afflationis eiusmodi non est naturalis, vel ex corpore nostro, vel qualitate loci, vel dispositione cœlesti nascente homine, vel operante, sed ex dei præsentia ista fiunt, vnde & variæ afflatorum species non sequuntur naturales varietates in nobis, sed differentes species, tum numinum aflantiũ, tum modorum, quibus diuinæ præsentiæ participes sumus. Quod igitur homines afflati diuinitus alij conquiescant, alij concitentur, alij montes & deserta petãt, aliterque alij se habeant, non procedit ex differentiis naturalium in nobis causarum, vel locorum, vel musicarũ, quas nuper audiuerint, audiánt ve, sed ex variis deorum proprietatibus, quibus afflati reguntur, atq; ex variis afflandi modis. Porphyrius tria è multis in medium adducit oracula, vnum colophonium, vbi aqua bibita, vaticini

ticinium veniebat:alterũ Delphicum, vbi ſedens ad os antri vaticinabatur: tertium Branchidicum, vbi hauriẽtes vaporem ex aqua prophetabant. Vnumquodq; ſecundum naturę ſuæ modum agit circa ſe effe ctus, & opera. Ideo ſpiritus ipſi, qui à diis pendentes ſuſcitant homines, atq; concitant, in hoc ipſo opere excedũt omnẽ naturalem, humanumq́; motũ. atq; hæc ipſa eorum actio nulla conditione ſimilis eſt conſuetis actionibus homini notis. Erat in Colophone ſubterraneus locus, in quo fons erat. Sacerdos igitur ſtatutis noctibus ſacrificabat, poſtea guſtabat aquã, tan dem vaticinabatur ibi factus pręſentibus inuiſibilis. Videri poteſt alicui ſpiritus diuinus tranſiſſe per aquam in ſacerdotem. Neq; tamen eſt ita. ipſum nanq; diuinum non ita ſecundũ diſtantiam, diuiſionemq́; tranſcurrit per ea, quę participant, ſed extrinſecus cõprehendit, penitusq́; illuſtrat, & implet aquam virtute quadam ad vaticinium conferente, ſcilicet purgatoria. ita quòd quando ſacerdos bibit, ipſa purificat luminoſum ſpiritum nobis inſitum, & accommodat ipſum deo: qua purificatione, accommodationeq́; deum capere poſſumus. Sed extat pręterea alia dei pręſentia præter virtutẽ infuſam aquæ, ac prior,

& desuper, circum, & intus illustrans, qui à nullo abest, modò propter cōgruitatem contingere possit. Adest itaq; subitò, vtitur propheta vt instrumento, qui interim neq; sui iuris est, neq; animaduertit, quæ loquitur, sed & vbi sit ignorat, vnde & post responsum vix seipsum recipit, quinetiam ante potum aquæ, diem noctemq; cibis abstinet, & ad sacra quædam se reuocat inaccessibilia vulgo. Itaq; propter sequestrationem à rebus humanis, syncerum se reddit, aptumq; ad deum suscipiendum. Ex quibus colligitur, duobus modis hîc ad deum hominē præparari. vno per purgatoriam aquam factam à deo talem, quę purificat spiritum: altero per sobrietatē, solitudinem, separationem mentis à corpore, intentionemq; ad deum. Sibylla in Delphis duobus modis suscipiebat deū, vel per spiritū quendam tenuem, igneúmque, qui erumpebat alicui ex ore antri cuiusdam: vel sedens in adyto super sedem æneam, habētem tres, aut quatuor pedes, & deo dicatam, & vtrobiq; exponebat se spiritui diuino, vnde radio diuini ignis illustrabatur. itaque aliquando ignis plurimus simul totus ex antro euolans, vndiq; circunfunditur ei, repletq; splendore diuino. Aliquando, dum inhæret sedi sacratæ

deo,

deo, per quam accõmodatur deo, coaptatur ſtabili vaticinio dei. vtrobiq; verò per hæc Sibylla fit tota dei, vnde ſubito deus adeſt, ſed interim ſeparatus, exiſtens alter præter ignem & ſpiritum, ſedemq; propriam, & omnem eius loci apparatum, vel artificioſum, vel naturalẽ. Fœmina quinetiam in Brancis fatidica, vel ſedet in axe, vel manu tenet virgam ab aliquo deo datam, vel pedes, aut limbum tingit in aquã, vel ex aqua quadã vaporem haurit, & his modis impletur ſplendore diuino, deúmque nacta vaticinatur. Nam ex his omnibus fit accommodata deo, quem extrinſecus accipit. Quòd autem ex nulla virtute corporea vel animali propria, vel locorum, inſtrumentorúmue vaticinium fiat, ſed ex præſentia dei venientis extrinſecus, patet ex eo, quòd ipſa ſacerdos, antè quàm det oracula, multa rite peragit ſacrificia, obſeruat ſanctimoniam, lauatur, triduum prorſus abſtinet cibo, habitat in ſeceſſu, iamq; incipit paulatim illuminari, mirificeq; gaudere. Per quæ patet prouocari deum extrinſecus, vt adueniat, & forinſecus aduenire. & prius quàm ſacerdos ad locum aquæ veniat, quodam modo inſpirari, & in ipſo loco, dum ſpiritus quidã ex aqua euolat fontis, conſtat aliud quid-

dam præter hæc esse deum separatum ab his omnib', causamq́; loci,& fontis eiusmodi,totiusq́; vaticinij. Virtus,quę inspirat nobis vaticinium, est absoluta à locis & temporibus:alioquin nõ posset omnia simul loca,temporaq́; exprimere. Si enim inseparabiliter inhæreat naturę locorum, materiarúmue,vel procedat secundũ motum determinatum numero, non poterit, quæ vbique, sempérue sunt, nec ipsa vbique,& semper æquè pręnoscere. sin autem ab his fuerit absoluta,tanquã præstantioribus,quæ tempore fiunt,vel continentur loco,omnibus,vbicũq; sint aquæ,adest,& iis,quę tempore fiunt,vndiq; simul adest, atq; in vno simul comprehendit omnium veritatẽ, propter essentiã eius saparatam prorsus & omnia superantem. Vis diuina vaticinij origo est, vbique tota & semper tota. Ea vis nõ est à corpore,neq; ab animo corpori addicto, sed absolutis, id est angelis,deoq́;, qui sunt vbiq;,vel saltẽ vis ipsa est,vbicunq; est aliquis angelorũ,qui sunt vbique: ipsaq́; ab omnibus separata corporeis,præsens omnibus, nõ comprehensa loco vel corpore,vel anima, quæ in aliqua specie particulariũ sit addicta. sed hæc ipsa fatidica deorum potestas, & separata est ab omnibus, & ideo tota simul

vbiq;

vbiq; adest subitò participare potētibus, illustrans forinsecus, & omnia replens, perq; omnia elementa discurrens:nec relinquens animal aliquod,vel naturam,cui pro capacitate sua non imprimat ex se aliquid conferens ad præsagium: ipsa verò propterea implere se omnibus æquè potest, quòd pariter est ab omnibus absoluta. Porphyrius præter vaticinia publicè celebrata cōmemorat aliquod priuatum, eorum scilicet, qui profitentur per certos characteres se spiritus attracturos ad vaticiniū, quod Iamblichus reprobat,quia, cùm totam religionem, sanctimoniamq; negligant solis confisi characteribus, nequeunt ipsam alicuius dei, boniq; numinis præsentiā adipisci, qua solent vera vaticinia dari. sed in eo falluntur, quòd per characteres quidem diis congruos, & intentionem animi,reportant imaginariam quandā à superis apparitionem exiguam, & obscuram. & quoniam interim sanctimoniam negligunt, veniūt sub malorum dæmonum potestatem, qui mentiuntur, & fallunt,& quātulumcunq; indiciorum, apparitionumq; à diis contigerit,peruertunt, atque confundunt. Sed qui veram deorum præsentiā sortiuntur, præsagium reportant verum & immutabile, quod à

malis ſpiritibus deturbari non poſſit. Si-
cut enim veniente ſole, tenebræ eius præ-
ſentiam ſuſtinere non poſſunt, ſed ſubitò
ſubterfugiunt, nihil ſolem impedientes: ſic
vndiq; refulgente poteſtate deorum, quæ
replet omnia bonis, perturbatio omnis,
quæ ſolet à ſpiritibus malis accidere, nul-
lum habet locum, ſed repẽte diſperditur.
Bonis enim numinibus omnino præſenti
bus, mali ſpiritus euaneſcunt, neq; moue-
re ſe valent, neq; ſplendorẽ obfuſcare di-
uinum. Damnat eos, qui omnem contem
plationẽ, ſanctimoniamq; religioſam ne-
gligunt, ſolis cõfiſi characteribus, qui ſpe
rant ſe incluſuros ſubſtantiam ipſam ali-
cuius dei, quo præſente vaticinẽtur. Horũ
quoq; confidentiam Porphyrius impro-
babat. Qui etiam narrat præter hos, eſſe
alios, in quibus phantaſia aliquando con-
citatur, quando certa quædam adhibue-
rint, etſi alioquin in aliis mentes compo-
tes ſunt, dum ſint phãtaſia furentes in ſa-
cris. Quando ſcilicet vel in tenebris latue-
rint, vel certa pocula biberint, vel canti-
bus, vel constructionibus quibuſdam vſi
ſint. Tunc ergo furentes imaginantur oc
culta, futuraq;, alij quidem in aqua viden
tes, alij in muro, alij ſub dio, id eſt ſereno
aëre, alij in ſole, alij in ſtellis aliis. Lumen

hoc

hoc diuinum venit in phãtasiam propriè, ac si quid extra videmus, mirabile fit, per visum phãtasiæ pedissequum. Dij vel præsentia tantũ sine medio mouent animum quoties volunt paratum, scilicet vel lumẽ aliquod ex se fundunt in ætherium animæ vehiculum, quo imaginationes mouentur in phantasia, quales ipsi volunt, & vtrobique diuinitas nusquam includitur. Cùm adhibentur prędicta vaticinio congrua, attentio quidem animi, & cogitatio animaduertit, quæ fiunt, quãdo diuinum lumen nõ attingit propriè ad hæc, scilicet ad rationales potentias, sed interim imaginatio furit alienata, quia supra morem humanum desuper incitatur. Tenent ali quando in tenebris hominẽ diuinandum. Nihil enim in eis obsistit venturo lumini. Aliquando tenent in lumine quãdo eum præparant, vt maior sit ad lumen diuinum similitudo, & tunc accipitur illud in lumine solis, vel lunæ, vel serenæ noctis, vel in aqua propter diaphanũ parata, vel in pariete sacris characteribus præparato. hic enim propter soliditatem, quod diuinitus semel accipitur, diutius retinetur. Admouẽt præterea quædam cognata diis insinuandis, & exhibent diuinaturo potiones, & compositiones quaſdam, &

cantilenas, vel excantationes conuenientes ad præparandum susceptaculum & ad commodandam presentiã, apparentiamq; deorum scilicet, quod lumen eorũ occultum alicubi pateat sensui, sed semper pro volũtate deorũ, siue deducatur ex æthere siue aëre, vel sole, vel luna, vel alia sphæra cœlesti. Quatenus placet diis, qui liberi dant, & vt præcipui autores, & mouent imaginationem, & per eam quãdoq; sensum in obiectis accõmodatis, & aliquando eam per sensum, imagines magicæ factæ ex materia solida diutius virtutẽ seruant. Superi dant dona paratis, nõ solùm naturaliter, sed per intellectũ & liberam voluntatem ipsorum deorum. dij dant futurorum ostenta in extis, auibusq;, & stellarum nouis prodigiis, ex quibus humana sagacitas coniicit euentus per proportionem signorum aduẽtus, vt ex casu auis casum viri, ex defectu membrorum in extis defectioni, exiguè cadente deiectionẽ eorum. Dij imprimunt futurorum signa in rebus ministerio naturæ vniuersalis, & naturarum vel obsequio dæmonum seruientium diis, & dominantium elementis, animalibusq;, similibusq; cunctis, quę agunt facile pro voluntate deorum. Etsi symbolicè declarant in signis voluntatem dei,

dei,& futuros euentus,vt inquit Heracli-
tus, repræſentant interim opificij modũ.
ſicut enim per imagines firmas faciunt
res,& euentus præſignant,ſic & per noua
oſtenta,& qualiacunque ſigna,& interim
acuunt ex eadẽ cauſa,& occaſione ſagaci-
tatẽ noſtrã. Viſcera in oſtentis trãſmutan-
tur contra naturam in animalibus ab ani
ma eorũ,& à dæmone eis præſidente,& à
motu aëris,motuq; cœli, præter naturam
& pro voluntate deorum ad homines ad-
monendos. Quod autẽ diuinitus fiat,pa-
tet,quia ſæpe non inueniuntur in anima-
libus principalia quædam membra ad vi-
tam neceſſaria, quæ repente miraculo au
feruntur,cùm neceſſe ſit ea pauloante nõ
defuiſſe.In auguriis captandis aues mira
culoſæ mouentur ab anima ſua, & dæmo
ne præſide,motuq; aëris, atq; cœli:à quo
cœlo deſcendit virtus per totũ aërem con
formans, & commouẽs illum ad deorum
ſententiam,pro ſignis efficiendis.Senten
tiam dico ab initio præſignatam,atq; de-
cretam:ſic aues ſæpe ſe ipſas præcipitant,
vel allidunt, vel aliter ſe necant, dum ad
ſignificandum cõferunt, quod non ſpon-
te faciunt,ſed tractæ diuinitus. Flammæ
quædam ſtellarum inſtar factę diuinitus,
aliquando pro ſignis futurorum in aëre

facillimæ fiunt, ad nutũ deorũ cœlestium accenso illic aëre summo, qui ductu, formatuq; facillimus est presertim à diis, atque in ignẽ descẽdunt interim in hũc aërem corporũ cœlestiũ influxus quidam, cõducentes ad creandas, mouẽdasq; stellas eiusmodi, similes cœlestibus luce, virtute, motu. Mundanum animal est adeo secum vnitum, vt membra eius compatiantur inuicem, commoueãturq; etiam quæ remota inter se videntur, quasi sint proxima, tanquam eiusdem animalis membra. Atq; hæc vnio, & compassio confert diis ad exhibẽda signa hominibus, primò per cœlum, subinde per aërem. Dij non immediatè, sed per media instrumenta scilicet dæmones, animas, naturas, & omnia hinc dependentia faciunt hominibus signa, exordiẽtes secundum principium vnum: & inde diffundentes deinceps motionem ab ipsis descendentem, quocunq; volunt ipsi. Ideoq; sine habitudine, & coordinatione eorum ad generabilia, regunt eiusmodi singula: & sicut in opificio, & prouidentia, ita in exhibendis signis non deflectitur eorum intellectus ad nostra, sed, dum ille in se permanet, signa omnia, vaticiniumq; cõuertit ad se, eaq; animaduertit à seipso procedere. Vates omnes confitent

fitentur, per deos, vel dæmones vaticiniũ nancisci, quia nequeāt futura videre, nisi qui sint causæ, & domini futurorum, per quos & alij videant. Porphyrius admiratur, quòd dij adeo inseruiant hominibus, vt vates aliqui etiam per farinam vaticinentur. Respondet Iamblichus, deos non obsequio id præstare suo, sed excessu potestatis & bonitatis. & causa omnia in se continente, dum in seipsis manent absq; cõuersione ad subdita, eis pro gradu præparationis dona & signa largiri, sicut sol diaphanis, oculisq; lumen, atq; hoc calorem. Quia videmus homines subiecta curare cõuersione quadam ad opera, & distractione ad diuersa, & distrahi à seipsis, & laborare: ideo similiter suspicamur prouidere deos. qui cõtra, quatenus ad se conuertuntur, vnamq; sui formam, quæ est inferiorũ causa, eatenus agũt, mouent, regunt omnia, non distracti per diuersa, sed ab vno principio, nutuq; simplici vibrantes cuncta, successione quadam inde pendentia: neq; ipsi ad subiecta flectũtur, sed statu, & plenissimè sua reddũt sibi cuncta similia. Deus diuersos suppeditat vaticinij modos, non quidẽ distractus ipse, sed indiuiduo nutu, formaq; simplici suggerit omnes, & diuersis temporibus suggerit

diuer

diuersos, non ipse per tempora varius, sed æterno, eodemq; mẽtis, & voluntatis ictu omnes inspirat, quamuis hi tẽporibus variis explicentur, neq; in ostentis continetur, distrahiturue, sed in vna sui forma complectens omnia signa, ex ea exprimit in se ipso consistens, dum vno voluntatis actu omnia tradit. Tanta est exuberantia prouidẽtiæ ad ostẽdenda nobis signa, vt etiã in calculis, virgis, lignis, lapidibus, frumento, farina, indicia præbeat futurorum, vbi mirabiliter inanimatis animam, immobilibus motum, ratione carentibus intelligẽtiam quandam præstare videtur, quasi hæc cognoscere videantur, vbi nobis futura portendunt. Et sicut deus sæpe per fatuos homines loquitur sapientiam, declarãs non hominẽ ibi loqui, sed deum, sic per vilissima quæq; portendit futura, his ipse admodum supereminens, & per omnia nostrũ instruẽs intellectum. Deus per infima quæq; cognitione carentia patefacit quædam cognitione superiora, vbi testatur se longè supereminere naturam: Qui dum diuersa porrigit signa, nõ coërcetur in eis, neque per illa distrahitur, sed stans in vna, indiuiduaq; sui forma cõprehendit illic omnia signa, & illinc vnico, simpliciq; nutu explicat omnia, præbetq;

nobis

nobis argumenta passim præteritorum, præsentium, futurorum.

Non fit in sacris opus alicuius efficacia, nisi per potentiam, immo & præsentiam numinis alicuius.

IN religione non potest fieri opus vllum alicuius mirabilis efficaciæ, nisi adsit illic superorũ aliquis spectator operis, & impletor. Opera quidem absoluta ducunt dij, media angeli, tertia dæmones. Natura quidẽ humana nec rationẽ quidem, orationém ve de diis suscipere potest sine diis, nedũ diuina opera facere valeat sine illis. Est enim imbecillis, & hebes vsque adeo, vt nullum nullitatis suæ remedium habeat, nisi quandam diuini luminis portionem desuper accedentem, sine qua nihil à nobis fit diuinum. Sicut falluntur, qui confidunt ex inanimatis animam, & ex amentibus facere mentem: ita qui ex rebus non diuinis diuina facere, & sine diis propria deorum opera, qualia sunt vaticinia, & miracula, & similia, vt apparitiones, & expiationes.

Numina inuocata, nobis adsunt, non coacta, sed volentia.

COnfessum est efficacia religionis opera perfici præsentia deorum, angelorum,

lorum, dæmonũ. Porphyrius quidē suspicatur numina ad hęc trahi quadam inuocationis necessitate. Iamblichus negat necessitatem inferri vel ab homine, vel à mundo numinibus, quæ, cùm sint immaterialia, non suscipiunt ordinem aduentitium aliunde. Item inuocatio, & operatio sacra, admouet quidem sacerdotes ad numina assimilatione, & familiaritate quadam non violentia sacerdotibus illata, nedum numinibus inferatur. Deus, omnisq; chorus numinum deo coniunctus est, supra omnem necessitatem extrinsecus venientem. Vaticinium perficitur, dum sacerdos operatur sacra. neque tunc passio cadit in sacerdotem, vel in diuinantem, quando diuinitus inspirantur. multo minus in numina, quæ non illabūtur in animos, nisi vacuos passione. Neque dicendum est, fatidicum animum esse instrumentum medium, & efficax diuinorum, sacerdotem verò inuocantem esse velut causam efficacem operum diuinorum. Immo deus est omnia, potest omnia, implet omnia semetipso. humana verò natura nullam in his efficaciā habet. est enim ad diuinitatem ludus. deridemus eos, qui dicūt deum sorte quadā aliquibus adesse potentia figuræ cœlestis in genesi. Non enim

enim decet ingenitos, & vniuersales causas mancipari alicui per generationem, eiús ve periodum, & per causas alienas. Quidam, cùm & nollent curis onerare deum, & non perciperẽt modum aliquem opificij, prouidentiæq́;, præter eum, qui solicitudine fit humana, negauerunt deos facere, atque prouidere. similiter negarent deos interesse vaticiniis, & miraculis, qui non viderent modum excellentem, quo dij adsunt sine labore, & mutatione sui, modus autem per hæc omnia diis proprius eisdem duntaxat est notus.

Porphyrius ait opera diuina, qualia sunt vaticinia, & miracula, esse aliquando passiones quasdam animæ ex paruis scintillis excitatas, & animam sua virtute posse hæc imaginari, loqui, facere. Iamblichus dicit, opus diuinum neq; fortuito fieri, cùm sit ordinatum, neq; ab homine longè inferiore. Oportere enim diuinum opus à diuinitate fieri, omnia igitur opera diuinitati similia non ab humana, sed diuina pullulare natura.

Opera miraculorum, & prophetiæ, non fiunt aliqua virtute stellarum, corporis, animæ, sed mera, & libera potestate dei.

Anima

ANima humana & vna ſpecie compre hēſa eſt,& à caduco corpore nimium obumbrata. Ideo nullā habet ad diuinum opus potentiam efficacem. ſiquando verò videmur tale aliquid quodāmodo poſſe, ſolum id agimus illuſtratione diuina deſuper influēte, per quam & actionis diuinæ videmur eſſe participes, ſi opera diuina fierent ab anima ipſa natura animæ, & virtute propria, anima virtutis & prudentiæ compos, vel etiam omnis anima talia faceret. Nunc verò nec omnis anima facit, & quæ perfecta videtur anima, ad diuina adhuc eſt imperfecta. Non igitur anima,ſed diuinitas ipſa cauſa eſt operum diuinorum. Alioquin non eſſet nobis ad hæc religio neceſſaria, ſed abſq; deorum cultu compotes eſſemus operum diuinorum, ſi hæc ipſa animæ fierent poteſtate. Denique, ſi anima ſua poteſtate diuina perageret, vel omnis anima faceret, vel quę haberet virtutē,& perfectionē animę propriam ſcilicet ſcientiam, artem, prudentiam,mores, qui per prudentiā acquiruntur. nunc autem non tales hæc faciūt, ſed concitati quidam potius & abſtracti. Tria propoſuerat Porphyrius de diuinis operibus. Primum, ad hæc animam eſſe cauſam inſtrumētalē, ſecundum,animam

quand

quãdoq; esse causam principalẽ: tertium, animam posse ita esse ex æquo concausam, vt ex ea, spirituq; diuino, tertia quędam species substãtiæ, vel subsistẽtiæ fiat. Iamblichus dicit, Quando vnum aliquid fit ex pluribus, illa plura & esse cognata, & mutabilia, ex eo, quod sunt, in aliud sic commisceri in vnum quintũ quatuor elementa, & animas plures in vnam totam, forte vegetalem, sensualem, motiuã, in nobis concedere intellectuali, & in eius actũ redigi, vel forte ex illis omnibus harmoniam vitalẽ in corpore resultare, vel forte animas in patria conspirare in vnam ideam omnium animarum, diuinitas verò velut à cunctis exempta non coit in vnũ. Tertiũ, cùm anima præsertim è suo statu iam lapsa, & quia diuinitas velut longè diuersa non cadit in misturam: & quoniã immutabilis, non cõmutatur in aliud cõmune duobus. Prius quidem dictum fuerat scintillis exiguis suscitari in anima species diuinas: esto: sed hæ non traducerentur ad species simpliciter diuinas, si corporales, & naturales essent. nunc denique, vbi dicitur animã cum diuinitate in vnum tertium congredi, æquatur anima deo, & cõceditur, deũ ibi ita mutari accipereq; ab anima, sicut mutari animam, &

aliquid à deo suscipere: quod est absurdū, præsertim quia hinc admittitur, quòd dij elementorum instar coibunt in effectibus suis in vnam formā tēporaliter factam, & ex sempiternis, & in re temporali continebuntur. Quando dicitur ex anima, & deo, vel ex diis inuicē vnum aliquid fieri temporale, quærimus vtrum præter congredientia resultet aliquid nec ne: si non resultat, tunc non fiet vera vnio, neq; vere vnum: sicut neq; in artificio sola arte pendente si resultat res, sempiternè è suo statu cadent, vt fiat aliquid temporale: nisi enim mutentur, tertiū nō resultat. omnino verò absurdum est, hoc ipsum, quod generatione quadam fit temporali, ponere sempiternum. neque tamen decet ponere temporale, ne sempiterna seruiant temporali: nec decet ponere, hoc esse solubile, vtrinque factum ex sempiternis: & tamen per nouam generationem videtur esse solubile. Illa igitur opinio est absurda. Porphyrius ait, animam quandoque generare potestatem, essentiamq; dæmoniacam imaginantem futura, per motiones eiusmodi. Generare inquam, dum cōducit in vnum materias quasdam habētes in se vires eiusmodi, præcipuè verò materias acceptas ex animantibus. Iamblichus

chus negat generari dęmones, & corrumpi. Negat ęnim ab anima ex viribus corporeis generari dæmones, corporibus, animaq; superiores. Negat & actiones animæ particularis, clausæque in corpore procedere in essentias, in se extra animam subsistẽtes. Negat vires corporũ, materiæ prorsus addictas, solui ab eis ad dæmones generandos. Præterea quærit, quænam sit potestas, quæ vires materiales à materiis soluit, rursumq; conflat in vnũ ad dæmonem generandũ, vbi videtur potestas hæc esse dæmonica, atq; ita ęxistere, dæmon ętiam antè quàm generetur. Non potest ęx rebus carẽtibus anima, vaticinioq; generari anima, præsertim fatidica. Nequit ex deteriori præstantius procreari. Nequit essentia vlla, substantiaq; constitui, ex motionibus animæ, viribusq; corporeis, quæ nec substantiæ sunt, neque essentiæ. Item, nullum eorum, quæ per generationem seminantur, maius aliquid habet, quàm quod ei traditur à causa principaliter generante. Cùm ergo, nec corpus, nec anima per se habeat vaticiniũ, non potest anima ex suis motibus, atque corporibus vaticinantem dæmonem procreare. Dicet forsan aliquis, non generari à nobis dæmones, sed eos animantibus ordine presi-

 dere,

dere. Itaque quando materiæ ex animalibus huic dæmoni commendatis, opportunè adhibentur huc, dęmonē quasi compatientem ad talia ferri. Iamblichus ait, dæmones, qui vsqueadeo compatiantur, vera vaticinari non posse. Verum nanque vaticinium non esse naturæ passibilis, & aliquo corpore, loco, tempore clausæ, sed ab his omnibus absolutæ, vt queat quocunque in loco vel tempore facta, pariter, simpliciterq; prospicere.

De Somnijs diuinis, & humanis.

PORPHYRIUS ait, præsagia somniorum partim esse ex nobis, partim ab extrinseco. Iamblichus ait, solū extrinsecus aduenire: quia sępe studemus, agimusque nonnulla ad hoc præsagiū aucupandum, neq; tamen datur, & sæpe id non quærentibus datur. Quòd si somnialis effectus esset ex nostra natura, arbitrioq; humano, nobis ad hoc prouidentibus eueniret. Mittitur autem à diis pro eorum arbitrio, scilicet quando, & quomodo volunt benignitate quadam demonstrare futurum. Idem declarat Orphicus hymnus. Porphyrius ait, vaticinij causam, esse quādam animi passionem. Iamblichus negat, dicens passionem esse suapte natura instabilem,

bilem, inordinatamq́;, atq; perturbatam. Vaticinium verò esse debere stabile prorsus, & ordinatum, ideoq́; non posse in passione versari. Item quando anima prudens est, & constans, agitq́; secūdum vires eius prçstantiores, scilicet intellectuales, rationalesq́;, futura non prospicit. Quomodo igitur hæc assequetur, quando patitur secundum inordinatos motus, atq; perturbatos? Item passio nihil habet proprium ad entium veritatisq́; contemplationem, sed affert impedimentum. Præterea si res ipsæ in mundo essent passionibus constitutæ, passio similitudine quadā has attingeret. Cùm verò rationibus, speciebusq́; cōstitutæ sint, & agantur, certè alia quædam prçnotio est ab omnib⁹ passionibus aliena, rursum passio præsentia tantùm sentit. Cùm igitur vaticinium futurum etiam assequatur, non versatur in passione. Porphyrius ait, vaticinium esse passionem quandā phantasiæ subortam, vel ex cogitationibus nostris, vel instinctu corporalis in nobis naturæ, vel similiter incidētem, vt & phreneticis cōtingit vaticinari. Ad hoc autem adhibet signa, quòd in statu vaticinij agit quidem imaginatio vehementer, sensus autem interim occupantur, & cohibentur. Item, quòd suffu-

migationes adhibentur diuinaturo, videlicet ad phantasiam afficiendam. Item inuocationes, ad eandem affectionem incitandam. Item quòd non omnes, sed iuuenes, simplicioresq; ad hoc idonei sunt.

Iamblichus ait, occupationem sensuum esse signum, quòd phantasma tunc nullum est humanum. Vapores adhiberi ad efficiendam cum deo congruitatem, non ad afficiendam spectantis animam. Inuocationes non excitare, vel cogitationes, vel corporeas passiones in nobis. Nam nobis incognitæ sunt, soli deo, qui inuocatur, cognitæ: solos simpliciores esse expositos diuino spiritui extrinsecus venienti. Quod Porphyrius ait, vaticinium esse passionem phantasiæ talem, qualis accidit melancholicis, & desipientibus sæpe fatidicis, abutitur diuino vaticinij munere, dum alienationẽ diuinitus factam in melius cõparat alienationi à morbis ebrietate, rabie in deterius accidẽti. alienatio animi ex passionibus nostris accidens, infra humanũ statum deiicit animũ, sed à Deo facta, attollit hominem super hominem, deoq; coniungit. Illa reddit instabilem, & in materiã prorsus immergit: hæc constantem, ordinisq; cõpotem, & à materia soluit. Nullo modo dicẽdum, afflationem

diuinā habere aliquid simile cum alienatione facta ab humorib⁹, ebrietate, rabie. nam hæc à deo supra quàm cogitari possit, distantia sunt. tantumdem ergo distat insania eiusmodi ab inspiratione diuina: nihil igitur habent simile, vel commune. Alienatio à causis facta corporeis, est animi deprauatio ex debilitate contingens. Facta verò diuinitus, est salus animæ contingens ex plenitudine potestatis. In illa quidem, dum animo suas operationes aggreditur, eas edit peruersas, atq; turbulētas. in hac autem, dum secūdum propriam vitam, intelligentiamq; vacat, superiori se exponit vtendam. Denique, quantò distant diuina ab infimis naturalibus, tantò illorum actiones effectusq; ab effectibus naturalium. Alienatio itaque inducta diuinitus nihil habet simile cum ea, quæ fit humanitus. Cùm igitur illam cogitas, separa prorsus ab illa omnes huius defect⁹, accidentia omniq. Quinetiam quando sobrietatem, vigilantiámque sacram acceptam diuinitus meditaris, noli cum sobrietate hominum comparare. Et vtrobique ab imaginationibus diuinitus adhibitis animo remoue, quicquid vllo modo simile est imaginationibus vllis, quas humores, similesq; causæ suscitant. Item

ambiguum hominis ſtatũ inter ſobrium animum, alienatumq; mediũ, ne ſimilem putes ſtatui animi ſacri, vno intuitu ſpectantis deum, nec certiſſimos intuitus diuinorum ſimiles eſſe credas, imaginationibus arte venefica ſuſcitatis. Nã quæ faſcinati imaginamur, præter imaginamenta nullam habent actionis, & eſſentiæ veritatem. Eiuſmodi nanq; magicæ finis eſt, non facere ſimpliciter aliquid, ſed vſq; ad apparendum imaginamenta porrigere. Non eſt putãdum diuinũ vatem incidere in veritatem caſu, ſicut inſani ſolent aliquando: nec etiam paſſione quadam naturali, ſicut & animalia ſolent pati ſæpe à partibus, viribusq; quibuſdã mundi futurum aliquid inchoantibus, & iam in aëre quodammodo facientibus prius quàm in terra. Atq; ita patiendo nonnũquam futuras perſentiunt terræ concuſſiones, atque procellas, præſertim animalia, quæ vel facilè patiuntur, vel acutè perſentiunt. Prænotio enim vel caſu vel eiuſmodi paſſione proueniens, rara fit, inordinata, non ont inuata, prorſus obſcura. Vaticinium verò diuinum vniuerſi ordinem cõtinuata, & firma, connexaq; conſpicit ratione. Siqua nobis innata ſit facultas ad futurum percipiendũ, nõ eſt propterea vaticinium: hæc

hæc enim nec ſemper, ſed aliquando veridica eſt, nec in omnibus, ſed quibuſdam. vaticinium verò & ſemper, & in omnibus eſt veridicum. Item prænotio arte facta ex ſignis aucupatur futurum nõ omnino fidelibus, quia non ſemper ſibi coniunctum habent euentum, ſed diuina prouidentia factum effectus à cauſis conſpicit, intuitu firmo, præſentiq; & prorſus continuato, connectẽs omnia mutabilia, temporaliaq; & inter ſe diſtantia, futura anticipans, vt præſentia. Dicet aliquis, poſſe prænuntiari futurum, ex quatuor donis ſimul iunctis, ſcilicet ex certa hominis natura, & ex arte huic adhibita, & ex cõmuni rerum inter ſe cõpaſſione tanquã animalis eiuſdem partium, atq; ex ea corporum diſpoſitione, qua alia aliis indicia ſubminiſtrẽt: ſed re vera quando his concurrentibus indicia manifeſtè percipiuntur, habet & hæc perceptio aliquid ſimile vaticinio, & vniuerſum veſtigia vaticinij habet vbique, ſed non vbique clara. Tametſi ſicut imago ipſius boni in omnibus deum pręfert, ſic in cunctis eſt veſtigium aliquod vaticinij. Neq; tamen vaticinij ſpecies vna diuina, immiſta, definienda eſt per ſimulacra eius in generationem demiſſa, & multò minùs per imaginamenta deliran-

tium. hæc enim omnia fallacia sunt. Vaticinium ipsum definiendum est, per vnam rationem, ordinemq; vnũ, & vnã speciem diuinã, vnamq; intelligibilem, & immutabilem veritatem: contrà verò omnis perceptio mutabilis inde segreganda, velut indefinita, & deis, diuinisq; nullo modo conueniens: quando fit à nobis aliquod opus nobis naturale, certè ad hoc sunt ab initio tributa semina, & præparamenta ab ipsa natura, quæ est operis eiusmodi causa. Nulla ergo sunt data præparamenta, seminaq; à natura vel communi, vel humana ad vaticinium illud, quod est suprà naturam, consuetudinemq; humanam. natura enim & intelligentia caret, nec est præcipuus autor eorum, quę fiunt, præsertim quatenus in nobis est natura, sed vaticinium plus quàm intellectuale est, & causas attingit euentuum, & vno, subitoq; intuitu complectitur ordinem vniuersi. opus eiusmodi dei proprium est agentis hoc in nobis, nobis tunc à propria actione vacantibus. Præsagium, si quod nobis incidit, instinctu naturę vel arte peragitur: potest vtiq; in nostra natura præparationẽ, aptitudinemq; habere: sed hoc præsagiũ valde angustum est, & obscurum, & magis minúsve suscipit: vaticiniũ verò diuinum

amplis

amplissimum est, & certum, & vnum, stabilemq́;, id est summũ vbiq; gradum possidet, ideo nequit fuisse nobis inditum à natura. Porphyrius coniectabat affectionem quandam nostræ naturæ vel corporalem, vel animalem ad vaticinium conferre præcipuè, ex eo quòd qui aduocabãt in hominẽ vaticiniũ, gestabãt lapillos quosdam, atque herbas, ligabantq; nodos sacros, iterumq; ligata soluebãt. mutabant quoque proposita in eis, quì talia ab illis acceperant, & ex malis meliora reddebãt. Sed Iamblichus obseruationes, effectusq; eiusmodi retorquet in coniecturam, quòd inspiratio vaticinij forinsecus, desuperq; proueniat. talia enim certis numinibus consentanea, cùm adhibẽtur nobis, ad eorum inspirationem suscipiendam, nos accõmodant. Porphyrius ait, non esse contemnendam artem, quæ ex certis vaporibus ad ignẽ sub opportunis stellarum influxibus facit deorum idola in aëre protinus apparentia similia quodãmodo diis, & habentia similem aliquam efficaciam. Iamblichus ait, hæc idola paruipendi à sacerdotibus, qui veras deorum species perspiderũt: neq; posse excellens aliquod bonum reperiri in eo, quod pullulat ex materia, formisq; in ea, formarũq; eiusmodi

viribus,& arte ſimul humana. Nam quod ſit ab homine,eſt deteri⁹ homine:& quod ſit ita, vt idolum, eſt adumbratio quædam apparẽs potius quàm exiſtens, ac dum fit, protinus euaneſcens:neq; fit arte opificia, quæ veras eſſentias fabricat, ſed imitatoria potius,quæ eſſentiarum reddit imagines. Profectò deus mundi opifex non per cœleſtes motus,non per particularem materiam, nõ per potentias ita diuiſas fabricat omnia, ſed intelligentiis, voluptatibusq;,& immaterialibus ſpeciebus,ac per animam ſempiternam ſupermundanam, ſimulatq; mundanã mũdos efficit. Factor quidẽ eiuſmodi idolorum dicitur per ſtellas efficere,nõ tamẽ eo modo per ipſas efficit ſtellas, quo fortè videtur, cùm enim innumeræ ſint in diis cœleſtibus vires, omnium infima eſt potentia naturalis. In ipſa potentia deorum cœleſtium naturali ſunt rationes, tum ſeminales, id eſt formarum generatiuæ, tum aliæ quædã immobiles ſẽminalibus præcedẽtes ibidẽ, id eſt coordinatiuę formarum:vtrarumq; igitur rationum autoritas generationem vniuerſam præcedit. Poſt eas ſunt in corporibus celeſtibus qualitates, vires, motus, atque ex eis defluxus dominantes ſub rationibus toti rerum mũdanarum exordinationi:

nationi: infima verò poteſtas cœleſtium, quas dixi, viriũ generationẽ terrenorum ducit. Multæ artes, vt medicina, gymnaſtica, agricultura, quęcunq; videlicet in operatione ſua communicant, cum operatione naturæ vtuntur qualitatibus, viribusq; per defluxus cœleſtes ad inferiora traiectis, atqui & idolo ficus ipſe trahit à cœleſtibus defluxibus portionẽ aliquam genitalem, quamuis exiguam, atq; debilẽ. Non enim vtitur ipſis cœlorum motibus, aut viribus ipſis, quæ illis inſunt, aut viribus quæ naturaliter fundantur circa cœleſtes motus: nec poteſt eas attingere, ſed occupatur circa vires quaſdam, quæ ab illorum natura ad vltimum defluxerunt, prolapſæ ad infimum mundi locum. Vtitur quidem is arte quadam, ſed non pia, atque deifica. hæ quidem infimæ cœleſtium vires conſpirãtes, circa materiã quãdam particularẽ, poſſunt eam tranſmutare, trãsfigurare, trãsformare alias aliter. Iã verò, & trãſpoſitionem ab aliis in alia ſuſcipiunt potentiarum earum, quæ particularibus inſunt. Quando aliquis eiuſmodi fabricat idola ex multis materiis, & ſub cœleſtibus influxibus, tunc varietas illinc quidem cœleſtium actionum, hinc verò potẽtiarum materialium cõgregata, facit quidem aliquid.

quid,ſed actio hæc longè degenerat, non ſolùm ab opificio diuino, ſed etiam ab effectione naturali. Natura enim & vno ſimul tenore, & actione ſimplici proprium peragit opus. Hæc igitur idolorum fabrica, eſt artificioſa commiſtio circa defluxum cœleſtium vltimum,& circa illa,quæ ad poſtremum à cœleſti natura mouentur,atq; recedunt. Homo, cùm ſit melior, & ex melioribus procreatus, non debet idolis fabricandis incumbere, quæ non ſunt animata, ſed oſtentamento quodam vitæ ſunt inflata. nec intima,veráque, ſed externa, fictáque harmonia continentur, prorſus ad breue manſura,nec habent verum aliquid, & legitimum, cùm ſint arte ſolùm humana conficta. ſolum verò,quod ſimplex & vniforme eſt actionis,vel compoſitionis in eis præualet. Ideoq; valde deficiunt,quoniam ex qualitatibus longè diuerſis,contrariisq; congeſta ſunt,neque potentiam aliquam perfectam habent, quoniã eiuſmodi defluxuum multitudo è multis captatur,& in aduentitium aliquid commiſcetur exile penitus, & infirmum: nec ſtabilitatem vllam habent hæc idola, imò velocius quàm quæ apparent in ſpeculis,euaneſcunt. Quando enim admouetur ſuffumigatio vaporibus exhalãtibus;

protinus

protinus componuntur: at cùm per totum aërem fumus, vaporq; se fundit, subitò dissoluuntur. Prodigiorum eiusmodi fabrica idolaris est omnino contemplatore veritatis indigna. qui enim hæc machinatur, siue eorum vilitatem agnoscens, delectatur tamen, similis illis euadit, siue colat, vt deos, peccati reus est factu, dictuq; nefandi: nec lux vlla in animam diuina subrutilat, circa tenebrosa idolorum phantasmata occupatam. Porphyrius ait, idolorum factores in fabrica obseruare cœlestium cursum, dicentes, quo potissimum cœlestium currente, & cũ quo, vel quibus concurrente vaticinia vera prouenient, aut falsa: item quæ ibi fiunt, vtrum significatiua sint, effectiuá ve, vel contra significationis efficacię vacua. Quamuis ex materiis electis idola construant obseruatione syderum, nihil tamen hæc inde habent in se diuinum. nam materiæ, quæ hîc mouentur cœlitus, in generatione sunt postremæ, atque ad vltimos è cœlo defluxus compatiuntur. Quæ enim tam facile permutentur eiusmodi phantasmata, vt ad minimum nutum vel inertia fiant, vel contrà scilicet fatidica, siue significatiua, siue effectiua, certè passio tam facilis, & mutabilitas adeo velox declarat, ea diui

diuinæ potentiæ nihil habere. Non sunt in materijs vllæ potẽtiæ, quæ sint elementa dæmonum: neque hi possunt ex particularibus corporibus generari, imò ab eis hæc generantur, atque custodiuntur. Neq; potest homo suis machinis formas ipsas dæmonum procreare, imò nos secundum corpus à dęmonibus formati sumus. Non est putandum ex elementorum coitu confluere aliquam multitudinem, siue compositionem in se propriam dæmonibus vim habentem. Nam ipse dæmon simpliciter, vniformiterq;, & in se consistens, in vnũ diuersa congregat elementa, atque ex eis composita generat, & quicquid inest perseuerãtiæ, ipse largitur: neque decet idola dæmones appellare. Nam & aliud est idolorum autor, aliud dæmon magnus dux dæmonum: ipsaq; substantia dæmonum diuersa est à phantasmatis idolorum, quibus & tu Porphyri cõfiteris, neq; deum, neq; dæmonem aliquem deorsum trahi. Igitur hæc idolorum fabrica, cùm dei, dæmonisq; sit expers, neque vaticinium, neq; sacrum opus aliquod affert.

Chaldæorum mysteria de Sacerdotio, Deo, Dæmonibus bonis, & malis.

Porp

POrphyrius commemorat opinionem dicẽtium omnia vaticinia nobis à dę-monibus malis infundi, quorum natura ſit ſubdola, omniformisq́;, atq; verſatilis, qui deos, & ſublimes dæmones, & animas defunctorum ſimulent, & hac fallacia nobis occurrẽtes præſagia præbeant. Horum opinionem Porphyrius, etſi non probat, commemorat tamẽ de hac quoq; Ægyptium conſulens. Iamblichus hoc quoq; dãnat inter ſacra cõmemorare pro fana, atque ſubinde narrat myſteria, quæ audiuit Ægyptius à prophetis Chaldæorum talia. Dij vera bona dant bonis per ſacrificia expiatis, quibuſcum & verſantur, ſuoq́; commercio prauitatem, paſſionemq́; ab eis lõgè propulſant, ſuoq́; ſplendore tenebroſos inde ſpiritus arcent. Mali enim ſpiritus intrante deorũ lumine, velut ſole tanquam tenebræ ſubterfugiunt, neq; turbare vlterius pium ſacrificatorem poſſunt, omni prauitate, & peruerſitate, paſſioneq; liberum. Qui verò pernicioſi ſunt, & interim contra ritus, ordinemq́; ſacrorum ſacra inſolẽter inuadunt, hi ſanè propter actionis infirmitatem, potentiæq́; defectum deos aſſequi nequeunt. Sed propter inquinamenta quædam, tum à diis arcentur, tum dæmonibus malis

g accom-

accommodantur, quorum flatu prorſus implentur peſſimo, peſſimiq; illinc euadunt, profani ſcilicet, atq; diſſoluti pariter & iniqui, deſiderio diſſimili diis, atq; in omnibus ſimillimi dęmonibus improbis, quibuſcum verſantur aſſiduè. Hi igitur paſsionibus, & prauitate pleni, per ipſam cognationem malos ad ſe trahũt ſpiritus, quibus mox occupati, ad omnem iniquitatem inde iterum incitantur, vbi alter alterum ad hoc ipſum viciſsim adiuuat, & corroborat. ſicut circulus aliquis principium cum fine coaptans, reddensq; æqualem eodem pacto viciſsitudinem. hucuſque Chaldęi. Quando profani contra ritus tractant ſacra, fruſtratur euentus. nam & pro diis aliis alij celebrantur, & pro bonis ſpiritibus inſinuantur mali, horũ ergo errata non debent, vbi de legitimis ſacris agitur, commemorari, neq; quæ accidunt illis pro lege putari. ſicut ſacrilegium diuino cultui contrarium eſt, ita malis dęmonibus intemperantiæ autoribus, fallacibusq; occupati contrarij ſunt legitimis ſacerdotibus, à quibus procul abeſt ſpiritus omnis iniquus, & prauitas, atque paſsio: adeſt verò bonorum pręſentia numinum, atque deſuper ab igne diuino veritate replentur. His ergo mali ſpiritus impedi-

menti

menti nihil afferunt ad animæ bona. nec inde suggeritur superbiæ fumus, vel adulatio mollis, neq; subfumigatione falluntur, neq; vi vlla turbantur. Sed hæc omnia mala, tunc boni præsentia numinis, velut fulguris ictu percussa disperdũtur statim, & euanescunt. Talibus ergo veridicum prouenit vaticinium, cum quo nulla ex parte aliud est conferendum, cui ritè studendũ est, ea, qua diximus, sanctimonia. Hac enim ratione duntaxat acquiritur & in vaticinando veritas inconcussa, & in anima virtus penitus absoluta, quibus sanè duobus sacerdos ad ignem ascendit intelligibilem. quod tanquam finis omni præsagio, sacrificioq́; debet esse propositum. Temere nimium ô Porphyri, vbi de diuino agitur vaticinio, opinionem eorum commemorandam existimasti, qui omne præsagium arbitrantur à malo dæmone tribui. hi nanq; in tenebris ab initio, semperq́; versati, nec verum à falso discernere possunt, neque principia, quibus hæc adueniunt, intelligere.

Inuocationes, & imperia hominum aduersus spiritus.

Porphyrius dubitat, quare spiritus tum suppliciter inuocamus tanquam 29

nobis ſuperiores, tum quaſi cogimus imperando tanquam inferiores. Iamblichus ita diſtinguit: Dij quidem, & omnes noſtra natura ſuperiores plenitudine bonitatis, & voluntate bonorum, & benignitate quadam dignis animis conuenientia tribuunt: deligunt religioſos tanquam genituras ſuas, & alumnos, atq; diſcipulos, & laborantium miſerentur. Sunt præterea media quædã genera numinũ, qui ephori, pręſidesq; ſunt diſcretionis, atq; iudicij. conſulunt, quæ facere deceat, quę declinare. ad iuſta quidem adiuuant, reuocant ab iniuſtis: & ſæpe in homines iniquos iniurias, quas inferre conantur, iuſtè retorquent, vt quę agere moliebantur, patiantur ipſi. Eſt rurſum aliud genus ſpirituum nobis circunſtantium indiſcretum, & inconſideratum, quod vnã numero potentiam eſt ſortitum, propter ipſam à ſingulis vniuerſi partibus diſtributionẽ. vndę vnum vni tantũ operi eſt addictum. Sicut enim gladius ſolũ diuidit, nec aliud afficit, ſic ſpirituum in mundo diſtributorum propter ipſam partibilem naturæ neceſſitatem, hic quidem ſolùm diuidit, ille verò ſolùm colligit, quę fiunt atq; generantur. quidã igitur occulti ſpiritus, alius aliam ſortiti potentiam, illud tantùm ſinguli, ad

quod

quod ordinati ſunt, peragunt. Siquis igitur accipiens illa, quæ ordine diſtributo ad totum conferunt, deflexerit aliorſum, & aliquid quaſi præuaricãdo tranſegerit, hoc ipſum, quod fit, ſequitur, nec ipſius malè vtẽtis eſt damnum. ſed redeamus ad quæſtionem. Vt ad quæſtionem reſpondeam, iuſſa, & imperia violenta diriguntur ad ſpiritus, nec vtentes propria ratione, nec iudicij, diſcretioniſq; principium poſſidentes. Cùm enim cogitatio noſtra habeat ratiocinandi naturam, atq; diſcernendi, qua res conditione ſe habent, multas quoq; in ſe vitæ potentias complectatur, ſpiritibus imperare ſolet, non vtentibus ratione, & ad vnam duntaxat actionem determinatis. Inuocat eos igitur tanquam ſuperiores, quoniam ab vniuerſo mundo nos continente, quæ ad tota cõferunt, trahere conatur circa quædam, quæ in particularibus, diuiduiſq; continẽtur. Imperat rurſum tanquã inferioribus, quia natura noſtra intellectualis præſtantior eſt, quàm intellectu carens, etſi illa latiorem in mundo habeat actionem. Item duplex eſt in ſacerdote figura, ſiue prętexta, vna quidem humana, altera verò diuina, quam ex ſacramentis induit, in quibus latet diuina poteſtas, ſurſum ad diuinitatem

animū eleuās, deoq́; coniungens:ideoq́; figuram diuinam adhibens animo, quam indutus poteſt ſub prętextu dei,tanquam ſuperior eiuſmodi ſpiritibus imperare.ta metſi tanquam homo rogare ſolet inuocans eos eatenus ſuperiores, quatenus ab vniuerſo inuocat poteſtates. Sed ita verius ſoluimus quęſtionē:Communio quędam conſentientis beneuolētiæ, & complexio indiſſolubilis vnitatis omnem ſacrorum expeditionē continet,vt hęc effectio ſit diuina, & excedens omnem expeditionis humanæ modum : ideóque hunc omnē illinc offerre debemus. Non igitur ſacerdos numerum accerſit,velut abſens: nec mandat aliquid ſegregato perficiendum,quod homines inter ſe ſolent : imo vna quædam , eademq́; cōmuniter diuini ignis actio ſpōte ſua per ſe prompta,præſensq́; ex ſe agens refulget,agitq́;.eodem modo per omnia ſimul , tum quæ deinceps inde tradunt aliis , tum quæ poſſunt accipere inde nōnihil.Diuina igitur opera,quæ in ſacris explētur,non per contrarietatē huius ad illud, vt generabilia:non per differentiam vocātis, mouentiſue aduocātur,atq; motum trāſiguntur,ſicut humana ſolent,ſed identitate,vnione,cōſenſione,id totum expletur:& ſublata diſcre-

pantia,

pantia, hoc ipſum quod agit,& cuius virtute agitur,eſt cõmune vbiq; aliquid,atq; ſimplex.Porphyrius quærit,curnam ſuperi ſæpe iubeant ſuos cultores eſſe iuſtos: aliquãdo tamen obſecrati inferre iniuriã, inferant. Reſpõdet Iamblichus,non inferre iniurias , ſed iuſta ſupplicia. ac ſi fortè iniuſta,non eſſe deos,ſed dęmones improbos.Dij non partem quandam huius vitæ tantùm,ſed totam:nec hanc ſolam,ſed vniuerſam ab æuo in æuum conſpiciunt animæ vitam , atq; ita pro meritis in antecedente vita contractis,ſæpe puniunt in ſequenti, ſiue rogati punire,ſiue nõ rogati. Interea nos, qui nihil videmus vltra præſens, opinamur aduerſa nonnunquam nobis cõtingere præter meritum,dum tamẽ ſæpe in hac vita patimur, quæ in alia iam intulimus,& quæ nunc facimus,aliquãdo patiemur. Præterea multa nos latent hominum peccata,quę deos minime latent. Item nos iuſtitiã definimus, vt ſuũ quiſq; officiũ faciat,ſecundum præſentes patriæ leges.Dij verò definiũt eam latius admodum ſpectantes, videlicet ad totum ordinem vniuerſi,atq; ſpectãtes eam pręcipuè rationem,qua animæ diis conducãt,iudicium inde peragũt.Tantaq; diuerſitas eſt inter iudicium diuinum de ipſo iure , atq;

nostrum, vt ad illud attingere non possimus. Iam verò & ipsi dij, quid iustum sit, aliter perpendunt ad vnam spectãtes animam, aliter ad totã animarum cognationem. Si enim eiusdem naturę communio existens inter animas, tum in corpore viuentes, tum extra corpus positas, complexionem quandam eandem, atq; communem cunctis efficit ad totã mundi vitam, ordinemq; mundanũ, necessarium est expeditionem iudicij à totis exigere: scilicet ab ordine vniuersali, & à necessitudine animarũ inter se requireretur: præsertim vbi scelerũ magnitudo ab vna anima commissorum excedit supplicium consequens ex peccatis. Dij ergo nunquam obsecrati inferunt supplicia, nisi iusta. Cùm enim secundum essentiam bonum habeãt, mali, iniustiq; causa esse non possunt. Verùm siquis forte cõiicerit ex imprecationibus ad superos factis, aduersa quædam aliquibus iniustè cõtingere, alias quasdam pręter deos, bonaq; numina causas inquirere compellemur: quas si fortè non inuenerimus, non tamen ob hoc suspicari aliquid debemus de diis indignum diuina natura, eaq; scientia certa, quę de bonitate deorum nostris intelligentiis est innata, in qua proculdubio Gtæci omnes, barbariq; consen

consentiunt. Proinde cùm malorum species diuersæ sint, atq; dissidentes, non in vnam, sed in diuersas referendæ sunt causas. Si verum est, quod de idolis dicebamus, improbisq; dæmonibus, hinc sanè exoritur multiplex origo malorũ. Simulant enim deorum pręsentiã, dęmonumq; bonorum: ideoq; cultorem suum iubent esse iustum, vt ipsi videantur boni, sicut & dij. quoniam verò natura sunt mali, rogati mala inferre, libẽter inferũt, atq; nobis ad iniusta conducunt. Hi sunt omnino, qui & in oraculis mentiuntur, & fallunt, & turpia consulunt, atq; peragunt. Dij verò, boniq; dęmones, neq; fallunt vnquam, neq; conferunt ad iniqua. Est insuper malorum natura dæmonum sibimet inconstans, instabilis, secúmque dissidens, aliâs alia suadens. superiorum verò natura, sibi constat assiduè, eundémq; seruat semper in actione tenorem. Corporeæ mũdi partes non sunt virtute vacuæ, sed quanto maiores, pulchriores, perfectiores sunt, quàm nostra corpora, tanto vires, actionesq; maiores habent. Igitur vnaquæque earum vires seorsum differentes habet, & actiones diuersas edit. Item habitudine quadam inuicem multò plura conficere possunt. Quinetiam à totis mundi

partibus deſcendit in particulas quędam actio multiformis: deſcenditq; facillimè, propter potentiarũ ſimilitudinem, quatenus videlicet ſequentes gradatim potentiæ antecedentibus correſpondent: præſertim vbi patiens inſuper ad agens accommodatur. Corporis ergo neceſſitatibus cõtingũt ex totis in particulas quaſdam mala & perniciosa quędam totis quidem ſalutaria, & harmoniæ vniuerſi conſona, quamuis interea noxia partibus, vel quia totorum actiones ſuſtinere nõ poſſunt, vel propter commiſtionem inferius accedentem imbecillitatemq́, infimis naturalem, vel quia partes, partibus cõmenſuratæ non ſunt. Proinde præter ipſum mundi corpus multa poteſt ipſa mundi natura. Nam & ſimilium concordia, & diſcordia diſſimiliũ non pauca facit. quinetiam multorum coitus in vnum totius animal, & potentiæ vigentes in mundo quotcunque ſint, & quales aliud quidem in totis, aliud in partibus agunt ob ipſam partium debilitatem ad vltimum diſtributam, atque diuiſam. Amicitia totius, & amor, atque contentio, & ſimilia in ipſis quidem totis actiones ſunt, in particulis paſſiones. Item quæ in intellectu diuino ſpecies ſunt, rationesq; puræ, in vniuerſi

natura

natura materialẽ quandã participant indi gentiã:in singulis tandem informitatẽ:& quæ in totis sunt vnita, in particularibus dissident. Corrumpuntur insuper particulæ quædã,vt tota secundum naturã constituta seruẽtur:conterũtur & partes quædã,atq; premuntur, totis interea sic inde nascentibus passionis expertibus. Quando veneficus aliquis imprecationibus suis deducit desuper in quempiã calamitatem, vtendo videlicet ad hoc naturalibus quibusdã,corporeisq; potentiis:vniuersi traditio quidẽ actionis eiusmodi venit desuper absq; electione,atq; prauitate,tametsi interim maleficus hac ipsa vtẽs, traditionem deflectit ad cõtraria prorsus, atq; mala:& ipsa quidem traditio,actioq; supernè descendẽs compassione quadam propter similitudinem sub contrariorum passionibus commouetur. Maleficus autẽ electione trahit præter iustum, quod traditúm est ad mala. iam verò ipsa traditio secundum vnam harmoniam mundi cõficit, vt quę distãtissima sunt,tamen cooperentur. siquis interim id deprehendẽs ducere molitur iniquè partes sortésue, quasdã totius in partes alias,ita lædens eiusmodi damni non est causa vniuersum, sed abusus humanus transgrediens ordinẽ vniuersi, legitim

gitimaq; peruertens. Non igitur dij mala nobis inferunt, sed naturæ corporaq; diuinitus dependentia. Atqui & hæc non vt malos, sed vt bonos defluxus, mũdóq; salutares ad ima demittunt, qui verò suscipiũt propria mistione, peruersitateq; trãsformant adeò, vt aliter quidem data recipiatur conditione contraria. Post hæc interrogas, cur natura superi non exaudiant inuocantem, nisi castum? ipsi verò interim obsecrati illicitos concubitus adiuuent: neq; pudeat cultores suos ad turpes libidines incitare. Quãdo causis occultis incitamur ad coitum non legitimũ scilicet, apud leges humanas forte legitimũ, hoc est apud mũdanas leges, quando videlicet inde nascitur hominibus necessarius. Iam verò instinctus ad venerẽ in mũdo quidẽ ad amicitiã tendit, & harmoniã. in partibus autẽ fit vehementior, propterea quòd hæ ob complexionẽ suam facilè nimium, & mutuò, & toti compatiantur: denique quod cœlitus descendit ad bonũ, hîc sæpe transfertur ad malum. Mundus est vnum animal, in quo partes, quãuis loco distantes, tamẽ propter naturam vnam inuicem ad se feruntur. Atqui vis ipsa conciliatrix mũdi, & causa communis omniũ mistionis, trahit quidem partes ad se inuicem

suapte

ſuapte natura, poteſt eiuſmodi tractus & appetitus arte quadam præter ordinẽ augeri. Vis quidẽ ipſa concilians infuſa cunctis bona eſt, & cauſa vbiq; implexionis, communionis, harmoniæ, amoris mutui, vnionisq́; mundanæ, quę ſunt, fiuntq́; imperio continẽtis: in partibus autẽ propter earum diſtantiam, & inuicem, & à totis, atq; ob naturã debilem & egenam, compaſsione mutuum congreſſum conficit, vnde acrior appetitus plurimus eſt ingenitus. Ars itaque deprehendens hanc vim coaguli paſsim in natura diſperſam, contrahit eam vndiq;, colligitq́; ſimul, deriuatq́; in vnum. Atq; ita appetitum neceſſariæ vnionis naturaliter moderatũ, reddit ſuis machinis effrænatũ, dum & materiam admouet geniture pręcipuè conferentem, & vires vndique naturales inter ſe differentes, cõmiſcet in vnum: quarum commiſtione pro arbitrio regit, & conficit congreſſus ad genitura. Proinde, cùm ſint in herbis, atq; lapidibus vires, & diſſolutiuæ, & rurſum congregatiuæ, ſintq́; multò maiores in rebus, naturisq́; maioribus, poteſt vtiq; ad coitum nixus intendi eiuſmodi rebus adhibitis, atque ab his ipſis ſine artis opera amor accendi, tractusq́; fieri. Cõpertũ habemus dæmones impro

improbos, in generatione, rebusq́; terrenis, humanisque posse quamplurimum. Ideoq́; nihil mirũ videri debet, ardorẽ ad illicitũ coitũ in nobis frequẽter ab eis accẽdi. possunt & ad idẽ cõferre vires quædam animæ, tum in hoc corpore viuentis, habentisq́; vim mirabilẽ attrahendi, tum etiam hinc absolutæ, sed adhuc in spiritu turbido, humidoq́; inuolutæ, & hoc circa loca generationis adhuc oberrãtis, ideoq́; talia committentis. Nemo itaq; vel deos, vel dæmones eorũ pedissequos amoris, & coitus non legitimi causas esse dicat, sed vel naturales instinctus apud nos depranatos, vel veneficã insuper artẽ, vel malos dæmones, vel animas nondum puras.

De Sacrificijs vnde vim habeant, & quid conferant.

30 QVeritur qua ratione sacrificia & superis cõueniant, & hominibus cõferant, & in mundo quid agant. Porphyrius ait, non solũ Prophetas, sed hypophetas, id est omnes sacerdotes, qui vaticinium tradunt ab alijs acceptum, debere animalibus abstinere, ne dij vaporibus illinc exhalantibus contaminentur. huic verò sententiæ contrarium est communia dictum, deos videlicet animaliũ nidoribus maxi-

næ

mè demulceri velut esca, capique. Iamblichus vtrunq; damnat, scilicet deos nidoribus carniũ vel infici, vel irretiri, atque inescari. Anima mundi, cœlestesque ex eo, quod corporibus suis adsint, neq; passiones inde suscipiunt, neq; ab intelligentiis distrahũtur: animæ verò particulares patiuntur vtrinq;. aberraret verò nimiũ, qui defectus similes animabus superioribus attribueret. non enim est vniuersaliũ, atq; particulariũ, vel principiorũ, atq; effectuũ æqua conditio. Vesci quidem corporibus quondam coniunctis animæ onus procul dubio, inquinamentumq; nobis infert, & procliuitatem animæ, per quam voluptatibus liquescat, atq; succũbat, multosque alios in anima morbos procreat, sed vapor exhalans ab animalibus, & suffumigatio sacra ritè peracta diis, mũdanisque & vniuersalibus causis nihil officit. Non enim ipsa cõtinet, ordinatq; superos ad se ipsam, sed cõtinetur ab eis, atq; ad vniuersum coordinatur pariter, atq; deos: ideoq; ita potest illorũ imperio superis coaptari, harmoniceq; congruere. abstinent igitur animalibus religiosi: non tamen quia dii vaporibus animalium fœdari possint. potestas nanq; deorum, prius quam materiale aliquid eam attingat, ipsa quoque

hac

ſine tactu diſcutit, nec ſolũ hæc abſq; propinquitate ſua corporalia, prius quàm ſibi propinquent diſperdit, & delet, ſed nec ipſa cœleſtia corpora materiale aliquid elementũ in ſe ſuſcipiũt, nec peregrinum aliquid intromittunt, nec amittunt proprium, quinetiam vapores terrenorũ vix ad quinque ſtadia progreſsi refluunt, nec immateriale, volubileq; corpus inficiunt, aut alunt Quod nullam in ſe potentiam ad mutationem habet, nec in ſe, neq; ſibi contrariũ habet quicquam, neq; fertur à medio vel ad medium, ſed vel quieſcere debet, vel reuolui. corpora igitur infra Lunam, cùm ſint ex diſcrepãtibus potentiis, motibusq; compoſita, & tranſmutabilia ſint, omnino & ſurſum, deorſúm ve ferantur, nihil habent commune cum cœlo, nec naturam, nec poteſtatẽ, nec actionem: nec ergo vapor ex eis, nec aliud attingit cœlum ab eis omnino ſecretum, & meritò ingenita permutationẽ ex generabilibus nullam capiunt. Nunquid ergo natura deorum à vaporibus eiuſmodi fœdari poteſt, quæ vapores materiales, vno (vt ita dicam) ictu propulſat? Talia ergo non ſuperis noxia ſunt, ſed nobis. hæc enim diuidua, materialiaq;, & cognata nobis, aliquid erga ſimilia commune habent in

paſſio

paſſione, vel actione, ſed aduerſus cœleſtia, diuinaq; in alio genere eſſentiæ poſita, diuerſiſq; naturis, viribusq; prædita, & excedentia prorſus, agere quicquam; & communicare non poſſunt.

Quæ ratio ſacrificiorum. quæ vtilitas.

PORphyrius offerri ſacrificia diis hac ratione putat, vt eos veneremur eiuſmodi donis, vt maiores ſæpe ſolemus: atq; etiam, vt pro bonis acceptis diuinitus ita gratiã referamus, pro bonis bona reddentes. Iamblichus cauſam eiuſmodi ductam inquit ex communi hominũ ad homines conſuetudine, neq; conuenire naturæ deorum mores humanos ſupra modum exuperanti. Maximam verò ſacrificiorum efficaciam tales modi, declarationesq; ſacrificiorum non omnino demonſtrant, efficaciam inquã, ſine qua nõ liberamur à peſte, fame, penuria, nec impetramus opportunos imbres, immo & per quã purificationẽ quoq;, perfectionemq; conſequimur animorũ & ab hac generationis prouincia libertatem. Itaq; aliquis ex aſſignatione tua nõ multum approbabit hos modos, quaſi tu dignã cauſam ad effectus eorum aſſignaueris. Ac ſi fortè probauerit, accipiet profectò ſecundo eos

loco quasi consequentes, & modo secundario coaptatos, primis, antiquissimisque operũ eiusmodi causis. desideramus itaq; rationem, ob quam sacrificia efficaciam ad res efficiendas habeant, & vnde coaptentur diis præcipuis eorum, quæ fiunt, causis, atq; principiis. Dicet aliquis, quia mundus sit animal vnum, habeatq́; vnam, eandemq́; vbiq; vitã, ideo communionẽ ipsam viriũ cõsimilium, vel etiam distantiam dissimilium, aut certè aptitudinem quandam agentis ad patiens commouere similia, aptaq́; eodem modo, dum videlicet discurrit secundum compassionem vnam etiam à remotissimo ad remotissimum, tanquam hæc quoq; sint proxima. Nam inter hæc quoq; ipsa vitæ communio est æqualis assignatio eiusmodi, verum quidẽ dicit, & quod ad sacrificia necessariò sequitur, nõ tamẽ verus sacrificiorum modus ita monstratur. Ipsa nanque deorum essentia, nec in natura, nec in necessitatibus naturalibus posita est, ob quã obligationem ex passionibus naturalibus coëxcitetur, vel per totam naturam extensis potentiis commoueatur. sed extra hæc secundum seipsam determinata est, nullum ad hęc cõmune habẽs vel in essentia, vel potẽtia, vel actione simul & passione.

addunt

addunt ad ſuperiorē aſsignationem aliqui quandā in rebus inferioribus congruentiam ſuperis. Ideoq; ad ſacrificiorū efficaciam conferentiam, velut in Crocodilo hexagonarius numeruscum ſole cōgruat: in Cane rurſum, & Cynocephalo rationes phyſicæ quædam, & vires rationes communes ſint ad Lunam:itemq; in aliis materiales quædam ſpecies, ſicut in ſacris animalibus, colores, figuræ, formæ, cuipiā conueniant ſuperiorum, vel membrorum aliquod animalis, vt cor galli, & alia quædā ſimiliter naturalia ſacrificiis adhibita operum ſint cauſæ mirabilium. Ex ſuperiori cauſarū aſſignatione, nō aſſignatur cauſa diuina, quæ ſupernaturalis eſt omnino:nec naturalibus motibus cōmouetur, ſed aſsignatur naturalis quædā potentia in materia, & corporibus comprehēſa, ideoq, corporeis motibus, rebusque materialibus coëxcitatur, rurſumq, ſedatur, naturaliter inquā, atq; hæc ſimul, quæ ſunt circa naturam. Siquid verò tale ad ſacrificia cōſequitur, id quidem præcedentibus cauſis coaptatur, velut cōcauſa, ſine qua non eueniat opus. Præſtat itaq; dicere mirificos ſacrificiorū effectus, tanquam à cauſa procedere ab amicitia quadam, & accōmodatione, & habitudine concilian-

te opifices ad opificia, & genitores ad genita. Quando igitur præcedente, atq; ducente hoc communi principio accipimus aliquod animal, vel aliter animatum, natumq; è terra, quod effectoris volũtatem propositũq; syncerè, & exactè conseruet, tunc per tale quiddam propriè mouemus causam opificiã huic immistæ præfectam. cùm verò multæ sint causæ tales, & aliæ quidẽ absq; medio familiariter præsint, sicut dæmonia, aliæ verò his superiores sint ordinatæ, sicut diuinæ per ordinem causæ, atq; his omnibus vna quædã antiquissima præsit causa, certè in sacrificio perfecto, omnes per ordinẽ causæ cõmouentur. Secũdum verò ordinẽ, quem vnaquæq; sortita sunt, cognata quadam conditione sacrificio familiariter accommodantur, & (vt ita dicam) appropriantur. Sin autem sacrificiũ sit imperfectum, vsq; ad aliquẽ gradũ ascendit, sed non transcendit vlterius, vnde multi existimant sacrificia fieri dæmonibus bonis: multi & potẽtiis deorũ vltimis: alij mũdanis, vel terrenis dæmonum potestatibus, vel deorũ: partem quidẽ re vera sacrificiorum explicantes, ignorantes tamen totam eorum potentiam, omniaq; bona ad omne diuinum se penitus dilatãtia: nos autẽ omnia

adm t

admittimus, simulatq; comprehendimus naturalia quidē, & quæ tanquam in vno animali secūdum aptitudinem, vel cōpassionem, vel repassionem inuicē commouentur, accipimus, velut simpliciter subiecta, & consequentia seruientiaq; causę efficaciæ in sacrificiis apparentis. Dęmonia verò, diuinasq; circa terram, mundumque potentias acceptamus, tāquam proximos ordini nostro præfectos. potissimas verò efficaciam sacrificiorum causa competere iudicamus perfectissimis, opificiisq; potestatibus. Quoniam verò summæ illæ opificiæ potestates in se omnes ordine causas complectuntur, ideo vnà cum his commoueri simul vno quodam ictu cunctas efficientes causas arbitramur. Quoniam in sacrificio perfecto commouentur vnà cū causis summis, opificiisq; causæ ordine consequentes, tunc ex cunctis cōmunis vtilitas prouenit in generationem totam: aliquando quidem per ciuitates, populosque, gentesque omnigenas, vel maiores his, vel minores circunscriptiones: aliquando verò per domos vel hominem vnumquenque bona contingunt, abunde benefica voluntate superis largientibus, non passione distributionem suam exhibentibus, sed impassibili

ſibili mente iudicantibus eſſe dandum ſecundum proprietatem, familiaritatemq́;, atq; cognationem: vna quadam interim amicitia, quę continet omnia, hanc colligationem per ineffabilem cõmunionem quandam conficiente. Hæc vtiq; veriora ſunt, magisq́; deorum eſſentiam, potentiamq́; participant, quàm quæ tu ſuſpicaris, ſcilicet nidoribus animalium in ſacrificio ſuperos potiſſimum ineſcari. Siquo enim corpore dęmones inuoluũtur, quod quidã ſacrificiis nutriti putant, illud certè immutabile eſt, & impaſſibile, lucidumq; nec indigum, adeo vt nihil effluat inde, nihilq́; neceſſarium ſit influere. Atqui etſi fortè fuerit neceſſariũ, quidnã neceſſe eſt per ſacrificia id influere, cùm mundus, & aër in ipſo indeficientem ex terrenis exhalationem habeat vndiq; circunfuſam? Iam verò ſi corpora dæmonum effluant, ſacrificia tamen non æqua portione reſtituent, nec quantitatem inter exceſſum defectumq; dæmonibus naturalem, proportionemq; ſimilẽ conſeruabunt: deniq; cũ mundi faber animalibus omnibus terrenis atq; marinis abundans, paratúmque tribuerit nutrimentum, nunquid ſuperiores homine nutrimento deſeruit? & cum viuentibus aliis ſtatuerit alimenta quotidiana

diana eorundē opera copiosè parari, cur dæmonibus solis aduentitium voluit alimentum ab hominibus adhiberi? Atqui, si fortè nos nutritionem eiusmodi negligamus, exuritura sunt, & peritura corpora superorum. Proinde si nos dæmones nutriremus, etiam generaremus eos, & superiores essemus. contra verò se res habet. nam ipsi nos nutriunt, & superiora passim inferiora, sic cœlestia terrestria nutriunt. Anima quidem ab intellectu perficitur, atq; alitur. perficitq, naturā. præterea oblatio sacrificiorum per ignem materiam cōsumit, eamq; sibi prorsus assimilat, non se materiæ præstat similem, reducitq; ad diuinum, atq; cœlestem, immaterialemq; ignem, nec vllo modo deorsum ad materiam, generationemq; declinat. Si enim exhalationem vaporum à sacrificiis fore oporteret, nutrimentum materiale oportebat & materiam integrā remanere. Sic enim abundantior illinc accepturis proueniret influxus: nunc verò materia tota comburitur, atque consumitur, & in ipsam ignis puritatem, subtilitatemq; penitus permutatur. quod quidem contrarium eius, quod dicebas ipse, significat. Superi nāq; sunt passionis expertes, quandoquidē placet eis per ignem discuti ma-

teriam, atq; consumi, nosq; reddunt à passionibus alienos: & quæcunq; sunt in nobis, diis similia faciunt: quemadmodum ignis dura omnia, & opaca, corporibus subtilibus, lucidisq; similia reddit, nosq; sursum eleuat per sacrificia, eorumq; ad ignem consumptionẽ ad deorum ignem, sicut & ignis ad ignem eleuat, reducitq; grauia simul & dura ad diuina sursum, atq; cœlestia. Vehiculum corporale dæmonibus subministrans, neque à materia, neq; ab elementis, neq; ab aliquo corpore noto nobis existit. Non potest igitur ab elementali essentia tanquam alienissima fieri dæmonibus nutrimentum. sed quemadmodum dij igne fulmineo materiam diuidunt, ac separãt à materia, quæcunq; sunt immaterialia quidẽ per essentiam, sed alligata materiæ, atq; ex passibilibus impassibilia reddunt: sic & noster ignis, actionẽ diuini ignis imitans, quicquid materiale reperit, in sacrificio destruit, & admota purificat, & à vinculis materiæ soluit, ac propter naturæ puritatem ad deorum communionem idonea facit. Atq; nos eodem pacto à vinculis generationis absoluit, diisq; assimilat, & facit ad deorũ amicitiã aptos, nostramq; naturã materialem, ad immaterialem attollit

lit naturam. Hæc quidem cõmunis ſacrificiorum ratio ſatis, vt arbitror, facit ingeniosis, potentibus ex norma communi, vnicuiq; ſacrificio propria ſagaciter indagare. veruntamen tardioribus quoq; ingeniis indulgentes, propria quædã his addemus, clariora in medium adducentes. principium verò ad hæc omnium optimũ eſt, quod contextum ſacrificiorum declarat, deorum ordini conſequenter annexum. Deos alios quidẽ materiales, alios immateriales ponimus. Materiales, qui materiã in ſe comprehendunt, atq; exornant: Immateriales autem omnino, qui à materia penitus ſegregati ſunt. ſecũdum igitur ſacerdotiam artem incipere ſacrificia decet à diis materialibus, nõ enim aliter ad immateriales deos patet aſcẽſus. hi igitur cõmunionẽ quandam ad materiam habent, quatenus ei præſident, atq; incubãt. iidem quoq;, quæ fiunt circa materiã dominantur, vt diuiſioni, percuſſioni repercutienti, mutationi, generationi, corruptioni, corporibus materialib⁹ omnibus. Si quis igitur hos ritè vult colere, nimirum pro natura eorũ, atq; principatu cultum adhibere debet, materialibus inquã materialẽ, ſic enim ad eos totos, per tota nos toti in familiaritatẽ propriam perducemur, cogna-

tionemq; ipsis in cultu congruam adhibebimus. Corpora igitur vita priuata, & animalium cædes destructu corporum, mutatióque multiformis, atque corruptio, & omnino proiectio materiæ præcedētis materialibus diis congruit, non quidem ipsis propter seipsos, sed propter materiam, cui præsunt. Etsi enim ab hac maximè separati sint, simul tamen huic adsunt: ac si materiam in potestate immateriali cōtinent, attamen vnà cum hac existunt. Iam verò gubernata gubernatoribus non sunt aliena. similiter exornatoribus exornata. Quinetiam vtentibus, quæ subministrāt, tanquam instrumenta, facile proportionibus coaptātur. quapropter immaterialib' quidem diis, materiā in sacrificiis adhibere est alienum: materialibus autem omnibus est admodum consentaneum. Operæpretium est ad hæc insuper geminum vitæ nostræ habitum cogitare. Aliquando quidem animus toti nos efficimur positi extra corpus, & eleuati mēte, vnà cum totis immaterialibus diis per sublimia nos attollimus, aliquando verò terreno corpore colligamur, sumusq; corporei, materia videlicet cōprehensi. Similiter duplex erit cultus diuini ratio, vna quidē erit simplex incorporea ab omni generatione syncera,

ra, ſynceris competens animalibus: altera verò plena corporibus,& actione prorſus materiali cōueniens animalibus nondum puris, necdum ab omni generatione purgatis. Sacrificiorum ergo ſpecies duæ ſunt, puriſſima quidem ſacrificia hominum ſunt ſummopere purgatorum. quod quidem rarò conuenit vni, vel admodum pauciſſimis, vt inquit Heraclitus. ſacrificia verò materialia, & quæ in mutatione verſantur, animalibus adhuc occupatis corpore competunt. ciuitatibus ergo nōdū purgatis genitali ſorte, contubernioq; corporeo niſi eiuſmodi ſacrificia dederis, ab vtriſq; pariter aberrabis ab immaterialibus ſimul atque materialibus bonis. Illa quidem nō poſſunt accipere,his autē proprium, conſentaneumq; nō offerunt. Accedit ad hæc quòd vnuſquiſq; qua ratione eſt, non qua non eſt,agere debet eſſentiæ curam.Non oportet igitur hanc præuaricari propriam colentis menſurā, atq; naturā.complexionē quoq; propriè coaptatam inter curātes homines, potentiasq; curatas,electurā iudico conueniētem ſibi culturæ modum.Nā complexio eiuſmodi immaterialiter tēperato immaterialē eligit, quatenus ipſa videlicet potentiis purè incorporeis ad ipſa purè incorporea copulatur,

latur. Complexio illiusmodi corporaliter coaptata corporibus, eligit culturam similem ad essentias corporibus præsidentes. Sæpe pro necessario corporis vsu vouemus, operamurq́; aliquid erga deos gubernatores corporis, dæmonesq́; bonos, dum videlicet studemus purgare corpus à maculis quibusdam, sordibusq́; vete ribus, vel morbis absoluere, sanitatēq́; adhibere, vel grauedinē torporemq́; remouere, & leuitatē, efficaciāq; adhibere, vel aliud quiddam bonū corpori comparare. Tunc igitur nō intellectuali quadā, & incorporea ratiōe, corpus rite tractabimus. Non enim ita natum est, vt his modis curari queat, sed cùm cognata sibi nanciscitur, tūc corporibus curatur corpus, atque purgatur. erit igitur & sacrificādi ritus ad vsum eiusmodi necessariò corporalis, atque ita superflua corporis expurgabit, supplebítque pro necessitate, quæ desunt, & quæcunq; distributa sunt, ad proportionem, ordinemq́; reducet. Sacrificamus sępe poscentes à superis aliqua ad vitam humanam accommodata, scilicet, quę vel victui necessaria sunt, vel ad illa pertinent, quæ gratia corporis affectamus. Quidnā tunc continget nobis à diis ipsis, qui ab omni humana generatiōe sunt penitꝰ segrega

gregati, quod ad penuriam, sterilitatémve fugãdam, vel copiam adducendam nobis cõferat, vel ad alia necessaria vitæ conducat? Nihil sanè. Qui enim sunt ab omnibus absoluti, eiusmodi dona non tractant. Si quis verò dicat deos illos immateriales omnino immateriales in se comprehendere deos, horumq; dona secũdum vnam causam primam in se cõplecti, dicet vtiq; copiam quãdam ita diuini muneris illinc inferius descendentem. Verùm quòd illi hęc tractãtes proximè humanã vitã actionesq; peragant, nulli dicere cõcedendum est. Eiusmodi enim rerum, quæ hîc sunt, dispensatio diuisa est, atq; particularis, & cũ quadã ad hęc cõuersione peragitur: neque omnino est à corporibus segregata, neq; purã, synceramq; gubernationẽ, præfecturamq; admittere potest. Modus igitur sacrificandi pro rebus eiusmodi congruus est, qui cũ corporibus habet, & generatione commercium, non qui est à materia, & corpore penitus separatus. Qui enim purus est, omnino talia supergreditur, neq; ad hæc proportionẽ habet. Qui verò corporibus, horũq; viribus vtitur, est rebus eiusmodi omniũ cognatissimus, potẽs prospera quædam vitæ suppeditare, & aduersa nobis imminentia deuitare, ac

tempe

temperiem cōparare humano generi moderatã. Plurima hominum turba naturæ ſubiicitur vniuerſali, eáq; viribus naturalibus gubernatur, atq; inferius ad naturæ opera vergit, completq; diſpenſationẽ fati, & fatalium operum ſuſcipit ordinẽ, rationemq; practicam circa naturalia ſolùm exercet. Pauciſſimi ſupernaturali mentis potentia freti à natura diſcedunt, atque ad ſeparatũ, immiſtumq; ſe conferunt intellectum, vnde naturalibus potẽtiis ſuperiores euadant. Nonnulli verò medium tenẽt inter purum intellectum, atq; naturã: & horum alij quidem viciſſim ſequuntur vtrunq;, alij miſtam ex illis vtriſq; vitam agunt, alij ſoluuntur quidem à deterioribus, & ad potiora ſe transferunt. Qui ergo natura gubernantur vniuerſali, & ipſi vitam degunt naturæ proprię mancipatam, potentiisq; naturę fruuntur, cultum exercebunt naturę conuenientẽ, corporibusq; natura motis congruum, eligentes ad hoc loca, qualitates, aëris materiam, materiæ vires, corpora, corporum qualitates, & habitus, motus conuenientes, mutationesq; eorum, quę in generatione verſantur, atq; ſimilia tum in cæteris cultus diuini partibus, tum in ritu ſacrificãdi. Qui verò ſola mente viuunt, vinculis naturæ ſoluti, intellect

tellectualem,corporumq́; expertem cultu ræ normam in omni religionis parte meditabuntur. Qui mediam vitam degũt inter intellectũ, atq; naturã, mediam quoq; sequentur religionẽ, atq; pro vitæ mediæ differentiis differentes sectabuntur colendi per media modos. Aut enim tractabunt vtrunq; vicissim, aut ab altero ad alterum declinabunt: aut deteriora tangent, vt per ea consequantur, & potiora, existimantes non aliter sublimiora se consequi posse. In genere essẽtiarũ, potestatumq́; diuinarum, aliæ quidem subiectam sibi animam habent, atq; naturam, subministrãtem videlicet eorum opificiis, quatenus ipsę volunt: aliæ verò ab anima, & natura sunt penitus separatæ, non inquam ab anima tantùm mũdana prorsus, atq; genitali, verum etiã ab anima diuina, eiusq́, natura. Aliæ deniq; medium tenẽt, cõmunionẽq; inter extrema cõciliãt, vel secundum vnum indissolubile vinculum, vel secundum exuberantem maiorum traditionẽ, vel secundum minorum susceptionem nõ impeditam, vel secundum colligatam amborum consensionẽ. Quando deos colimus animæ, naturæq́; dominantes, non alienum est, & naturales his vires offerre, & corpora, quæ natura reguntur, diis eiusmodi consee

consecrare. omnia enim naturæ opera & obtemperant eis, & ad deorū dispensationem aliquid conferunt. Sed quando deos longè secretos, & in sua vnitate collectos cupimus venerari, honoribus à materia penitus absolutis eos venerari debemus: intellectualia enim his dona debentur, incorporea vita, virtus perfecta, sapientia cōsummata, eorumq; officia. Mediis autē diis, mediorūq; bonorū ducibus, sicut diximus, media competunt. Ab alio igitur principio exordientes, scilicet à mundo, diis mundanis, distributione, quatuor in mundo elementorum à cōmuni sortitione secundum mensuras elementorum facta, à circūferentia circa centra in ordine reuoluta, ad veritatē sacrificiorū facilem habemus accessum. Si enim nos in mūdo sumus, & vt partes continemur in eo, primumq; generamur ab eo, atq; à totis potentiis eius perficimur, & ex quatuor eius cōponimur elementis, ac portionē quandam vitæ, naturæq; ab eo nacti tenemus, profectò non debemus in cultu diuino mūdum, mundanosq; ordines prætermittere. Ponamus igitur circa quamlibet mundi partē esse quidem corpus aliquod, vt videmus, inesse præterea vires corporibus incorporeas ordine distributas, sacro

cro

crorum itaq; lex ſimilia ſimilibus ritè diſtribuit, & à ſummis ad ima per media tota progreditur, corpora quidē corporeis adhibēs, incorporeis incorporea, propria videlicet vnicuiq; reddens. Veruntamen ſiquis religioſus ſupermundanum numen aſſequitur, rariſsimè verò id accidit, hic vtique ſolus ſeorſum à corporibus & materia poſitus nimirum, & talem proſequitur cultum, ſupermundana potentia, diis ſupermundanis vnitus. Quod autem vni vix tandē in ſacerdotij fine contingit, non expedit pro cōmuni lege omnibus & in principio, & in medio religionis ſtatuere. hi nanq; corporeum quocunq; modo cultum agunt. Quilibet igitur peritus in ſacerdotio, cōfitebitur, oportere cultum ſuperis, nec ex parte, nec imperfectū, ſed cōuenientem, & integrum adhibere. Quoniam igitur antè quàm adſint dij, deſcendantq; ad terram, omnes præſubiacentes illis potentiæ mouentur, & vt præcurſores, pompæq; præcedūt nimirum, qui non diſtribuit omnibus, quod cuiq; congruit, nec vnumquenq; proprio quodam honore proſequitur, ipſam deorum præſentiā non aſſequitur. Qui verò omnia numina ſibi propitia reddit, grata offerens vnicuique, donáque ſimillima, hunc ſanè non

frustratur euentus, sed diuinum chorū integra, plenaq́; præsentia suscipit. Cùm igitur hæc ita se habeant, nō oportet ritum religionis esse simplicē, ex paucisq́; compositum, sed multiformē, & ex omni harmonia constantem, ex cunctis vbiq; mundanis (vt diximus) constitutum. Si enim simplex aliquid, & vnius duntaxat ordinis esset, id ipsum, quod in sacerdotio aduocatur, & ad nos mouetur, simplex vtiq; modus sacrificandi sufficeret. At verò nullis notum est, quāta virium multitudo suscitari solet, quando descendunt dij, atque mouentur, nisi sacerdotibus illis, qui opere ipso id experti iam fuerint. Soli igitur hi cognoscunt, quæ potissimū sit perfecta plenitudo colendi, & quàm paucis prætermissis, quantùm nos frustretur euentus. Quemadmodū in harmonia si vna chorda frangatur, tota subitò dissonat, sic vno prętermisso numine, sine ritu communis, ipsa religio finem non habet optatū, dum hoc vno deficiente, sacrum opus structuram suā, integritatemq́; nō habet. Quādo diuinæ potestates palàm ad sensum descensuræ sunt, manifestū nobis prouenit damnū, si quē ex superis prætermittimus non honoratum. Similiter quando clàm veniunt in opere sacro, periculosum est, si hunc

hunc quidē honores, aliū verò pro sua dignitate,& ordine nō honores. Qui enim aliquē proprio fraudat honore,totū confundit religionis opus, dum vnā, totamq; dispositionem dissipat.neq;,vt aliquis putaret,tunc opus suscipiēdi tantùm est imperfectū,sed totius structura perit. Quid vero? nónne ipsa sanctimoniæ summitas, ad summum ipsum totius numinū multitudinis principiū,vnumq; recurrit,atq; in eo diuinas omnes simul essentias dominationesq; colit?Proculdubio. Verū eiusmodi summitas serò admodum aduenit, & quàm paucissimis:atq; optimè nobiscū agi putandum est , si talibus in vitæ calce contigerit. Disputatio verò præsens non eiusmodi viro leges ponit.hic enim est lege superior,sed lege aliqua indigentibus, has sacrorū leges in præsentia sancit : numinū multitudo est,quasi mūdus aliquis, habēs multos ordines in vnum ordinem conspirātes. Similiter sacrificia debent habere numerorū ordinem pariter in vnum ordinē conspirantem,ita vt singuli numinibus ritè respōdeant. Similiter quæ circa nos sunt,& in nobis multiplicia sunt,neq; debent ex aliqua parte tantū , sed ex cunctis cōgruè diuinis nostrarum rerum causis respōdere,atq; ita ad supremos ascendere

dere duces. Religiosa igitur obseruantia circa nos & in nobis agit varia. Aut enim quasi propagando perficit, aut amputat, aut emũdat, aut expertia ordinis ordinat, aut segregat longius ab errore mortali. Cũcta deniq; totis supernis familiaritate cõciliat. atqui quãdo vtrinq; congrediuntur in vnum, illinc quidem diuinæ causæ, hinc autẽ ex æquo præparationes humanæ, tunc absoluta religio peragit omnia, & ingenita ex sacrificiis bona reportat. Profectò exuberantia potestatis in causis vniuersi summis, id habet, vt quẽadmodũ in cæteris inferiora superat, ita & in hoc admodũ superet, videlicet in ipsa præsentiæ amplitudine, vt maximæ omniũ causæ, maximè omniũ omnibus sint præsentes, adeò vt eadẽ ipsa causæ vniuscuiusq; potestas seorsum ab impedimẽto vbiq; tota, semperq; sit præsens. hac igitur ratione ipsa omniũ prima vltimis quoq; subrutilant, immaterialiaq; principia immaterialiter materialibus adsunt. Nemo miretur, si quã materiã esse dicimus purã, atq; diuinam. nã ipsa quoq; materia, cùm ab opifice, patreq; omniũ facta sit, meritò perfectionẽ sui quãdam acquisisse, potest aptã ad deos suscipiendos. Quinetiã nihil prohibet superiora lumen suum ad inferiora diffund

diffundere:neq; igitur materiam permittunt expertem fore superiorum. Quapropter quãtumcunq; materiæ perfectum, & purum est, atq; deiforme ad deorũ susceptionem non est ineptũ. Nam cùm oportuerit etiam terrena nullo modo diuinæ communionis expertia fore, ipsa quoque terra diuinam quandam portionem in se sortémue suscepit ad capiẽdos deos sufficientem. Hæc igitur sacrorum sapientia contemplata, atq; ita secundum cõgruentiam, cõpetentia vnicuiq; deorum susceptacula diligẽter inueniens, sæpe componit in vnũ lapides, herbas, animalia, aromata, aliaq; similia, sacra, & perfecta, & deiformia: atque subinde ab his omnibus susceptaculũ purũ, integrumq; fabricat. Neq; enim fas est omnẽ materiã detestari, sed solam, quæ à diis fuerit aliena. Propriam verò ad illos decet eligere, vtpote quæ cõsentire possit, atq; conferre ad deorum ædificia, statuarum fundamẽta, sacrificiorum opera. Neq; enim aliter terrenis locis, & hominibus hîc habitãtibus possessio, portióue vlla ex diuinis contingere potest, nisi tale quiddam prius iactum fuerit fundamentum. Arcanis sermonibus credendum est testãtibus ex deis per beata spectacula quãdam traditam fuisse

materiam. hæc igitur illis ipsis tradẽti eſt cognata. Talis ergo materiæ ſacrificium deos excitat, vt ſe demonſtrent, atque ad comprehẽſionem eos protinus aduocat. & præſentes capit,& perfectè demõſtrat. Eadem aliquis perdiſcere poteſt etiam ab ipſa,quæ ſecundum loca diſtributio diuinitus eſt effecta,atque ab ipſa pręfectura, quæ per res ſingulas eſt diuiſa:quæcunq; ſecundum diuerſos ordines,ſiue maiores, ſiue minores, paſſim ſortes eiuſmodi nacta fuit. Conſtat enim deis locorum quorũdam rectoribus, ſacrificium ex eiſdem rebus,quæ naſcuntur ibidem, fore admodum conſentaneũ,& gubernatoribus gubernata,& quæ ad ea pertinẽt, placitura. effectoribus & grata ſemper ſunt opera ſua potiſſimum:& qui primo aliqua procreant, talia rurſus habẽt in primis accepta. ſiue igitur animalia quędã,ſiue plãtæ, ſiue alia,quæ viſa ſuperis diſpenſantur,ſimul & pręfecturã ſub eis nacta ſunt,& cõmunionem nobis conciliant cum ſuperis indiuiduã. Horum ergo nonnulla,quatenus conſeruantur, atq; tenentur, augent, tenentium ad deos familiarem proprietatem, quotcunq; videlicet ex eo,quòd integra maneant, vim cõmunionis inter homines,deoſq; conſeruãt. Talia ſunt quædam

dam apud Ægyptios animalia, & vbique ſacer homo. quædam verò mactata, combuſtaq́; familiaritatem efficiũt clariorem, quotcunq; videlicet reſolutionem in primorum elementorũ principium, efficiunt cognationem, cauſis ſuperorum, atq; pro ritu ſacratiorem. Vbique enim quo magis proprietas, familiaritáſque perficitur, eo perfectiora bona ad nos inde deſcẽdunt. Neq; ſunt hæc hominum duntaxat inuenta, nec humanis moribus autoritatem nacta ſunt, ſed deus ipſe ritè inter ſacra vocatus autor eſt eiuſmodi legum, circa quem dij, angeliq́; permulti verſantur, ſub quo per quaſlibet in terra gentes, numen aliquod ſortitũ eſt præfecturã, cõmunemq́; prouinciam: proprium quoq; inde tributum eſt templo vnicuiq; numen. Item ſacrorum, quæ operamur ad deos, deus aliquis ſpectator eſt, atque gubernator: quæ ad angelos, angelus: quæ ad dæmones, dæmon: atq; in aliis eodem pacto ſecundum proprium genus perfectus cognatã ſortitus eſt præfecturam. Quoniam igitur ſub numinibus ſpeculatoribus, autoribusq́; ſacrorũ ſacrificia pertractamus, vereri debemus diuinæ ſanctimoniæ leges, ſacrificiaq́; legitima, & propterea in his ſperare, quòd ſub numinũ, deorumq́; prin

cipatu ſacrificamus:& interea cauere ſummopere, nequid vel indignũ ſuperis offeramus, vel alienum. Deniq; ſummatim id admonemus, vt ſingula, quæ in nobis, & circa nos ſunt, circunſpiciamus diligẽter, & quæ in mundo: item deos, angelos, dæmones, gentibus diſtributos. Et hac vnicuiq; ratione amicum ſacrificium ſimiliter offeramus. hac enim ratione duntaxat digna vnoquoque numine ſanctimonia, religioq́; ſeruatur. Votum, ſiue adoratio, & oratio omne ſacrificiorum opus perficit, & in primis ad totam confert religionem, & ſacrã, indiſſolubilemq́; animabus ad deos conflat cõmunionem. Huius verò tres ſunt ſpecies: Prima cõgregat, atq; contactum, notitiamq́; nobis ad diuinitatem præſtat: ſecunda, communionem ad diuinum deuincit cõſentientẽ, atq; dona nobis prouocat diuinitus quoq; demiſſa, etiã antè quàm loquamur, intelligamúſque omne noſtrũ opus perficiẽtia: Tertia conficit ineffabilem vnitatem, atq; in diis autoritatem totã collocat, animamq́; noſtram in eis perfectè ponit, atq; cõfirmat. Iam verò in tribus his terminis, quibus diuina omnia menſurãtur, amicitiam nobis ad deos harmoniæ conflat, ſacramq́; à diis vtilitatẽ triplicem nobis affert. Vna

quidem ad illustrationem pertinet, alia ad cõmunem operum executionem, alia ad perfectam ex igne diuino plenitudinem. Item adoratio, eiusq; virtus aliquando sacrificia ipsa præcedit, aliquãdo mediis inseritur sacrificiis, aliquãdo finem complet sacrificandi. Opus verò in sacris nullum absq; adorationis supplicationibus efficitur vnquam. Adoratio deniq; diutissimè frequentata nostrum nutrit, & perficit intellectum: animam ad suscipienda diuina admodum efficit ampliorẽ, diuina hominibus patefacit: ad splẽdores diuini luminis capiendos assuefacit: paulatim perficit, quæ nobis insunt ad numina contingenda, quousq; ad summum nos vsq; perducat. Atqui & mores nostræ cogitationis humanos retrahit paulatim, moresq; diuinos infert, persuasionẽ quoq; & communionem, & amicitiam procreat procul ab intermissione perpetuã: diuinum rursus amorem auget, quódue in anima diuinum est, accendit, & eleuat, expurgat quicquid animo est contrarium, & aduersum: atq; ab ipso spiritu ætherio, splendidoq;, qui est animæ circunfusus excutit, quãtumcunq; vergit ad genituram. spem quinetiam præstat bonam, & fidem perficit circa lumen. Deniq; (vt summatim di-

eam)homines frequenter orantes,adorationis virtus familiares deorum collocutores efficit,atq; diſcipulos. Cùm adoratio talis ſit,talemq́; connexionem cum ſacrificiis habeat,patet ſacrificiorum finem opificij contactus eſſe participem.Quandoquidem per opera diis accommodatur. Itaq; & bonum ipſius tantum eſt,quantũ à cauſis opificiis mittitur ad genus humanum.atq; inde rurſus apparet virtus adorationis reductiua,perfectiua, impletiua, & qua ratione ſit efficax , & vnionis effectrix , atq; à diis commune vinculum habeat:& quomodo adoratio, ſacrificiumq́; mutuo ſe confirment , potentiamq́; inuicem conferant admirabiles religionis effectus. hinc rurſus apparet ſacerdotiam diſciplinam,operationemq́; habere in partibus ſuis conſpirationem non minorem, quàm in membris habeat. animal neque poſſe partem eius aliquam abſque cunctis ſuum opus abſoluere.

De ſacrificijs animalium.

32 POrphyrius ambigit , quare oporteat lege ſacrorum, eum, qui diuina ſit inſpecturus,exanime corpus eo tẽpore non attingere : veruntamen per corpora animalium mortuorum ſæpius diuinorũ inuocationes,conſecutionesq́; peragantur.

Iamb

Iamblichus ita ſoluit. vates iubẽt diuinorum ſpectatorem exanime corpus, quod ſacratum non fuerit, non attingere: permittunt verò, quod conſecratur, attingere. Præterea vetant humana corpora, quæ iam deſeruit anima, ne intuitu quidẽ tangere. Vitæ nanq; diuinæ veſtigiũ quoddam vel ſimulacrum, vel demonſtratio in corpore per mortem extinguitur: cæterorum verò animalium corpora mortua tangere religio nulla vetat. quoniam nec in vita diuiniore communicauerunt. Præterea, quatenus ad immateriales deos cõſurgimus, expedit tale corpus non attigiſſe: quatenus verò ad materiales ſtudemus accedere, tangere frequenter expediet. nam per animalia deos eiuſmodi aduocare ſolemus: qui videlicet talibus præſideant animalibus, præſertim, qui proximè, & quaſi cognata quadam conditione gubernent. Item hominibus quidem in materia comprehẽſis corpora vita priuata, maculam quandam inferunt, videlicet non viuens viuenti, & ſordidum puro, & priuatum habenti habitum: & mortuum habenti potentiã moriendi, propter communem quãdam inter hæc habitudinem. ſed dæmoni incorporeo penitus, atque impaſſibili, talia corpora nihil obſunt.

nam

Nam caduca maximè supereminet.

De vaticinijs per animalia.

QVando vaticinium agitur per corpora sacrorum animalium, vt asturum, non est putandum deos ad hæc accedere, videlicet vniuersales prouisores ad curam diuisam particularem, materialem, proportionalem, circa animalia singula. Sed dæmones, & hos quidem valde diuisos, & singulos singulis speciebus animalium distributos proximam curam animalium, præfecturamq; sortitos. hi nanque principatum nacti sunt, haud prorsus sufficientem, expertemq; materiæ. Ideóque congruè instrumenta eiusmodi attingere solent. Ad hoc igitur, vt eiusmodi per animalia vaticinium à dæmonibus consequamur, parare his oportet sedem talem, per quam possint inter homines obseruari, nobísque vti: sedem verò hanc esse oportet incorpoream, vt incorporei dæmones per hanc nobis adsint. erit igitur hæc anima talium animalium à corpore iam absoluta. Quatenus enim quodammodo & ipsa separata est à corpore, conuenit cum dæmonibus, conuenit & nobiscum propter quandam vitæ cognationem. Igitur tanquam media pręsidi eius dęmoni subministrat ad præsagium homini suggerend

rendum, & ad mandata dæmonis declaranda,& cum dæmone nos cōciliat. Anima verò hæc eiuſmodi vaticiniis vtens, nō ſolùm vaticinium audit accipít ve, ſed etiā non parum ex ſe ipſa confert ad executionem eius ad opera pertinentem. Hęc enim commouetur, & cooperatur, & ſimul præuidet per quādam compatientem neceſſitatem. Sed eiuſmodi vaticinium à diuino,veroq́; longiſſimè diſtat, atque de rebus exiguis, breuibusq́; habetur. Quæ in natura diuiſa poſitæ ſunt, & quotcunq; circa generationem iam ſimul feruntur, atq; motiones ex ſe ipſis exhibent potentibus eas accipere, & paſſiones multifariam inferunt iis, quę naturaliter ad compatiendum ſunt expoſita. per compaſsionem igitur præſagium eiuſmodi prouenit. Non poteſt autem per paſsionē præcognitio perfecta cōtingere. Quod enim immundæ immutabile, purum eſt, id præcipuè futurum aſſequi cōſueuit: quod verò cum materiali, paſsibiliq́;, & tenebroſo commercium habet, obruitur ignorantia. hanc ergo artificioſam præſagij machinam neque legitimi vaticinij nomine dignam eſſe cenſemus, neq; ſeriò pertractandam, neque vtenti, quaſi ſit veridicus, eſſe credendum.

Quom

Quomodo obſecratores dæmonibus minabantur.

34 NArrat Porphyrius ſacerdotes conſueuiſſe violentis quibuſdã minis aduerſum ſuperos vti: veluti, Niſi vos ita feceritis, vel contrà, ſi feceritis aliquid, cœlos confringã, vel occulta Iſidis patefaciã, vel arcanum in abyſſo reconditũ diuulgabo, aut ſiſtam barim, id eſt nauem quandam apud Aegyptios ſacrã, aut membra Oſiridis Typhoni diſpergam, cæteraq; ſimilia. Iamblichus ſubdit execratores nõ cõſueuiſſe dirigere minitationes eiuſmodi, vt Porphyrius opinatur, ad Solem & Lunã, cæterá ve cœleſtia, ſed eſſe in mundo genus aliquod poteſtatum valde diuiſum, & indiſcretũ inconſideratumq;, quod accipit quidẽ ab alio rationem, ſiue ſermonẽ, exauditq;, ſed propria intelligẽtia nequaquã: neq; verũ à falſo, neq; poſſibile diſcernit ab impoſſibili. Hoc itaq; genus minitationibus laceſſitũ, protinus irritatum, & ſtupet, vtpote quod & ipſum naturaliter dictis vehemẽtioribus agitatur, & alia ducit, trahitq; per ſtupidã quandam, & inſtabilẽ phantaſiã. Prçterea ſacerdos ſæpe nõ humana virtute, ſed diuina ſacramentorum ineffabilium poteſtate mundanis numinibus imperat, atq; minitatur. ipſe tunc

in

in ſuperorũ deorum ordine cõſtitutus, & ideo grandioribus propria natura mãdatis vtitur, atq; minis: neq; tamen tanquam facturus, quę tunc aſſeuerat, ſed declarans quantã nactus fuerit poteſtatem propter ipſam ad deos vnionem comparatã, videlicet ex notitia, poſſeſſioneq; ineffabilium ſymbolorũ, ſiue ſignaculorum, quæ dicimus ſacramenta. Item dæmones per prouincias, parteſq; diuiſi: & partes mundi cuſtodientes, ſinguli commendatarũ ſibi partium tantam habent curã, vt nec verbum quidem illius ordini, diſpẽſationiq; contrariũ valeant tolerare, perpetuam, videlicet, immutabilemq; mundanorũ perſeuerantiã obnixè cuſtodiẽtes. Ordinem verò eiuſmodi ſuum ideo immutabilem ſuſceperunt, quoniã ordo deorũ immobilis permanet in eiſdem. In quo igitur eſſe habẽt dæmones vel ætherij, vel circa terram diſtributi, hoc ipſum, nec minitationibus inuadi vnquã audire poſſunt. proinde dæmones ineffabilũ, arcanorumque myſteriorũ cuſtodiã ſtudiosè procurant. tãta videlicet obſeruãtia, propterea quòd intelligunt ordinẽ, diſpenſationemq; vniuerſi præcipuè in eiuſmodi myſteriis con tineri. quatenus videlicet allegoricè per hæc verba numina deſignãtur, ordineſq;

mund

mundani. hanc enim ob cauſam mundi partes in ordine permanent,quòd beneficio poteſtas Oſiridis ſyncera permanet, & intacta, neq; cõtrario tumultu,& errore miſcetur.Permanet inſuper ipſa omniũ vita pura ſemper & incorrupta quatenus viuificæ,formoſæq́; rationes, quę in Iſide reconditæ ſunt, conſiſtunt ibidem, dum inde mundus agitur, nec ipſæ in corpus hoc deſcendunt oculis manifeſtum. atqui & omnia permanent immobilia, & ſimul ſempiterna generationis videlicet ſucceſſione, quoniã nullum ſolis curſum vnquã ſiſtere poteſt:perſeuerant inſuper integra, quoniam quæ in abyſſo, id eſt profundo ſunt abſcondita, nunquam aperiuntur. in quibus ergo ſalutẽ habẽt omnia ſimul, & vniuerſum, videlicet in eo, quod & quæ naturaliter ſunt occulta, vt ſunt occulta ſeruentur, & maneãt, & ſecretiſsima deorum eſſentia nunquã ſortem contrariam ſubeat,nec oppoſitis miſceatur:hoc inquã circũterranei dæmones, nec ad vocẽ vſq;, auditumq́; ſuſtinent aliter affici, verbiſq́; profanari. atque propterea aduerſus dæmones eiuſmodi verborũ vſus habet aliquam poteſtatem. de his autem nullus alicubi minitatur:nec ad illos ſunt obſecrationes eiuſmodi conſtitutæ. quapropter
Chal

Chaldæi ſacerdotes; apud quos diiudicatus,decretusq́; eſt,pur⁹ ipſe ad ſolos deos ſermo,nunquam minis vtuntur. Aegyptij verò, qui cum diuinis ſacramentis dęmonicos ſermones admiſcent,ad minas eiuſmodi aliquando ſe conuertunt.

Expoſitio ſymbolorum Aegyptiæ theologiæ.

IMitantes Aegyptij ipſam vniuerſi naturam, fabricamq́; deorum, ipſi quoque myſticarum,reconditarumq́ue notionum imagines quaſdã in ſymbolis cõficiendis oſtendunt:quemadmodũ & natura rationes occultas in apparẽtibus formis, quaſi ſymbolis exprimit,& dij veritatẽ idearum per manifeſtas imagines explicant. Cùm ergo perſpiciãt ſuperiora omnia inferiorum ſimilitudine delectari, atque inſuper optẽt à ſuperioribus bonitate repleri,quatenus pro viribus imitentur,meritò & ipſi conuenientẽ ſuperis modum agendi pro viribus offerunt, quando occulta myſteria ſymbolis inſerũt manifeſtis, in quibus interpretandis dimitte voces, accipe ſenſus. Quando igitur lutum in ſacris nominant, aut inducunt, hoc intellige mundi corpus atq; materiã, genitalemq; virtutẽ huic inſertam, & quaſi pariter agitatam,

atq; fluentem,aut etiam causam principalem, & quasi loco fundamenti præpositā elementorum, elementaliumq́; virtutum. Cùm hoc igitur tale sit, deus ipse generationis, totiusq́; naturæ virium omnium, quæ insitæ sunt elementis, causa vt pote, qui hæc supereminea t omnia immaterialis ipse,indiuisus,immobilis,& ingenitus, totusq́ue ex seipso,& in seipso totus. hæc omnia perspicuus antecedit,& ducit in se cuncta complectens, atq; ex eo, quod cōplectitur omnia, ac de suo mundanis tribuit omnibus,ex ipsis eluxit. Quoniā verò supereminet omnia,effulget, vt segregatus à mūdanis omnibus secum ipse solus per sublime procedens. Confirmat & hoc, quod subinde sequitur symbolū, vbi deus inducitur sedens super loton aquaticā,scilicet arborē,vbi significatur, deum principatu suo mundanum superexcedere lutum,nec attingere gubernādo,sed principatum gerere intellectualem penitus,& empireum. Omnia enim in loto rotunda, sunt tum poma, tum folia:ex quo significatur circularis actio mentis per eadē videlicet,& eodē pacto se habens.Deus igitur ipse super hanc insuper actionē in seipso consistit, superans eiusmodi principatum sanctus & venerandus, & in seipso

penit

penitus conquiescens, quod quidẽ ex actu sedendi significatur. Proinde, vbi deum introducunt nauis gubernatorem, principatum significant, mundi gubernatorem. sicut enim gubernator à naui, & gubernaculo segregatus vno quodam, faciliq; mométo mouet vndiq;, & regit, dirigitq; nauem, ita deus ipse mundum desuper, videlicet à primis naturæ principiis præcipuas motionum causas exhibẽs. Quoniã verò partes cœli omnes, animaliaq; cœlestia, & totus vniuersi motus, ipsumque tempus, secundũ quod mundus ipse mouetur, cuncta deniq;, quæ continentur in totis, vires à sole descendentes accipiunt, alias quidẽ commistas in ipsis, alias autẽ commistionẽ exuperantes: ideo has quoq; symbolicus significandi modus adducit, verbis quidem solem designãs secundum animalia cœlestia figurari, formásque vicissim commutare per oras. Interea verò demonstrans immutabilem eius, simúlq; totam per totum mundum traditionẽ. sed quoniã quæ suspiciunt, alia quidem alibi circa impartibilẽ feruntur dei traditionẽ, atq; ipsa pro diuersitate naturarũ, motionúmq; suarũ, multiformes accipiũt à sole potentias, propterea symbolica traditio vult per donorũ multitudinẽ vnũ ingre-

di deum , atq; per potentias multiformes vnam dei adeſſe potentiam. Quapropter inquit ipſum vnũ , eundemq; cõſiſtere:vices verò formarũ , transfigurationesq; in ſuſcipiẽtibus aſſerit reſultare : quapropter illum ſecundũ animalia,& ad oras cõmutari ait,quaſi circa deum mutationes eiuſmodi varientur ſecundum diuerſa ſuſceptacula dei eiuſmodi votis vtũtur. Aegyptij non ſolùm in ipſis deorum proprijs viſionibus , ſed in precibus etiam leuioribus , quæ eiuſmodi ſenſum habent, atque per talem ſymbolicam,myſticamq; culturam ad deos ſupplicandos accedunt.

De nominibus diuinis.

PORphyrius quærit , cur ſacerdotes vtantur nominibus quibuſdam nihil ſignificantibus. Iamblichus reſpondet,omnia eiuſmodi nomina ſignificare aliquid apud deos:quanuis in quibuſdam ſignificato nobis ſint ignota, eſſe tamen nota quædã,quorum interpretationẽ diuinitus accepimus, omnino verò modum in eis ſignificandi ineffabilẽ eſſe. neq; ſecundum imaginationes humanas,ſed ſecũdum intellectum qui in nobis eſt diuinus,vel potius ſimpliciore, præſtantioreq; modo ſecundũ intellectũ diis vnitum. Auferẽdum igitur à diuinis nominibus omnes excogitat

gitationes,& rationales diſcurſus,atq; aſ-
ſimulationes naturales vocis ipſius cõge-
nitas,ad res poſitas in natura.& quemad-
modũ character ſymbolicus diuinæ ſimi-
litudinis in ſe intellectualis eſt atq; diui-
nus,ita hunc ipſum in omnibus ſuppone-
re,accipereq; debemus. quod autẽ hic no
bis ſit, hoc ipſum in eo eſt maximè vene-
randum.præſtantius enim eſt, quàm vt in
noſtram notitiam diuidatur. iam verò in
quibus diuinorũ nominibus reſolutionẽ
ſuam diuinitus acceperimus,in his totam
habemus eſſentiæ,potentiæq;, & ordinis
diuini notitiam ipſo nomine comprehen-
ſam, atq; etiam myſticam, & ineffabilem,
ſimulq; totam deorum imaginem in ani-
ma cuſtodiamus, animamq; per hæc ad
deos attollimus, eleuatamq; illis pro viri-
bus copulamus. Proinde quæritur, cur
nam inter nomina diuinorum barbara
cęteris anteponimus,quia videlicet ſacra-
rum gẽtium, velut Ægyptiorum,Aſſyrio
rumq; totũ dij ſermonem approbauerunt
tanquam ſacris maximè congruentẽ,pro-
pterea & communes dictiones, modoſq;
loquendi arbitramur cognatæ ad deos di-
ctioni, orationiq; adhibẽdum præſertim,
quia antiquior,primuſq; extitit modꝰ iſte
loquendi. atqui & quoniã prima nomina

diuinitus acceperunt, dum ea cũ propria lingua miſcerent tanquam cum familiari, conſentaneaq; illis voce contemperantes, ita nobis ſeruanda perpetuò tradiderunt. nosq; ita ipſam traditionis regulam ritè deinceps cõſeruare debemus. Siquid enim aliud diis cõuenit, ſempiternum ipſum, & immutabile diis eſt præ cæteris cognatiſſimum. Inter hæc Porphyrius ait illũ, qui vocem audit nominũ diuinorũ, ad ſignificata reſpicere, ideoq; ſufficere notionem ipſam eandem vbiq; manentẽ, qualiſcũq; ſit dictio. Reſpondet Iamblichus hunc in modum, non eſt autem id tale, quale tu putas: ſi enim nomina ex hominũ pacto, conuentoq; poſita eſſent, nihil intereſſet alia pro aliis commutare. Sin autem naturæ rerum accõmodata fuerunt, quæ huic maximè congruunt, hæc & diis maximè ſunt amica. ex his perſpicuè patet ſacrarũ gentium vocem rationaliter cæteris eſſe præpoſitam. Neq; enim prorſus eandem mentem ſeruant nomina in aliã linguã interpretata: ſed ſunt gentibus ſingulis propria quædã, quæ gentibus aliis per vocẽ ſignificari non poſſint. Accedit ad hæc, quòd ſi ſignificationũ proprietates per aliã linguam interpretari poſſimus, non tamen eandem conſeruant permutata potẽtiam.

Habent

Habent insuper nomina barbara multam emphasim, id est insinuationis, demonstrationísque efficaciam, habent & concisam breuitatẽ. Minimum verò ambiguitatis, & varietatis, multitudinísq; verborũ. propter hæc omnia superis maximè cõgruũt. Depone igitur suspiciones à veritate cadentes, quibus suspicaris Ægyptiam ibi cõferre linguam duntaxat, vbi Ægyptius est, vel vsus Ægyptia lingua, qui tunc inuocatus. Potius autẽ existimato, quoniam primi omnium Ægyptij præsentiam, participationémq; deorũ sortiti sunt, ideò deos inuocãtem potissimum approbare, quãdo Aegyptio ritu vocantur: neq; verò dicendum est barbara hæc obscura, diuinorum nomina esse quædam præstigiatorum, fascinatorúmque machinamenta: quo enim pacto, quæ maximè coniuncta sunt diis, nos quoque coniungunt, & quasi æquales cum superis vires habent, phantastica figmẽta erunt, sine quibus nullum in sacris opus efficitur? Sed neq; prætegmina, inuolucráq; eiusmodi per nostras passiones efficiuntur, ex fama diuino tributas. Non enim exordientes ab iis, quę ipsi patimur, imò verò ab ipsis deorum propriis competentes illis secundum naturam attribuimus dictiones. neq; contrarias de diuino

 agi

agimus notiones : contra videlicet quàm ipſum re vera ſe habeat, ſed prout natura ſe habet: & quemadmodum veritatem de ipſo conſecuti ſunt, primi, qui leges nobis de religionis ſanctimonia tradiderunt, ſic perſeueramus in eis: ſi quid enim aliud in ſacris legibus, atque ritibus deo placet, firmitas ipſa maximè placet, & pręcipuè cõgruit. Oportet igitur ritus adorationis antiquos tanquam ſacros conſeruare ſemper intactos, neque demere quicquam, neque aliũde quid addere: ferme nãq; & hoc cauſa nuper extitit, vt omnia & nomina, & vota debilitata iam ſint, propterea quòd propter ipſam præuaricationem, & innouandi cupiditatẽ permutata ſunt ſemper, & permutari non deſinunt. Græci nanque natura rerum nouarum ſtudioſi ſunt, ac præcipites vſquequaq; feruntur, inſtar nauis ſaburra carentis, nullam habentes ſtabilitatem: neq; conſeruãt, quod ab aliis acceperunt: ſed & hoc citò dimittunt, & omnia propter inſtabilitatẽ, nouæq; inuentionis elocutionem transformare ſolent. barbari verò ſicut moribus graues, firmiq; ſunt, ſic & in eiſdem ſermonibus firmiter perſeuerant: ob quam ſanè ſtabilitatem, & ipſi diis ſunt amici, & orationes offerunt illis acceptas, quas nulli vlla vnquam ratione

tione. fas eſt permutare.

Opinio Ægyptiorum de deo, atque dijs.

QVærit ſubinde Porphyrius quidnam primam Ægyptij cauſam eſſe velint. Vtrum intellectum an ſuperintellectum. Item vtrum vnum aliquid ſolum, an vnà cum alio quodã, ſiue aliis. Rurſus, vtrum incorporeum ſit, aut forſitã corporale. Præterea, nõ ſit idẽ cum opifice mundi, an opifice ſit ſuperius: & nunquid ex vno, an ex pluribus cuncta profluxerint: omnémque nunquid velint primum fundamẽtum eſſe materiam prorſus informem, an corpora qualia. ipſamq; materiã nunquid ingenerabilẽ, aut genitam. adhæc Iamblichus ita reſpondit: Ego verò cauſam in primis tibi dicã, ob quam ſacri, & antiqui Ægyptiorum ſcriptores de his varia ſenſerint, & inſuper huius ſeculi ſapiẽtes nõ eadem de his ratione loquantur. Cùm enim multæ in vniuerſo ſint eſſentiæ, ac multifariã inter ſe differant, meritò earum, & multa earum tradita ſunt principia habentia ordines differentes, & ab aliis ſacerdotibus alia principia quidem tota vniuerſaliáve, vt narrat Seleucus. Mercurius ipſe tradit viginti millibus voluminibus, vel, ſicut Meneteus recenſet, tradidit voluminibus triginta millibus, itémque ſex millibus &

quingentis atque vigintiquinque,& in eis perfectè omnia demonstrauit: propria verò particularium essẽtiarum principia alij antiquorum alia passim introduxerunt. Oportet igitur de his omnibus veritatem breuiter declarare, atq; primum quod primò quæsisti. Primus deus ante ens, & solus, pater est primi dei, quẽ gignit manens in vnitate sua solitaria, atq; id est superintelligibile. estq; exemplar ipsius, quod dicitur, sui pater, sui filius, vni pater, & deus verè bonus. Ille enim maior & primus, & fons omnium, & radix eorum, quæ prima intelliguntur, & intelligunt, scilicet idearum. Ab hoc vtique vno deus per se sufficiens seipsum explicauit. Ideoq; dicitur per se sufficiens sui pater, per se princeps. Est enim hic principium, deus deorum. vnitas ex vno super essentiam, essentiæ principium. ab eo enim essentia. propterea pater essentiæ nominatur. Ipse enim est superenter ens intelligibilium principium. hæc sunt principia omnium antiquissima. Quæ Mercurius præponit diis ætheriis, empyreis, cœlestibus, componens de empyreis libros centum, totidémque de ætheriis, mille de cœlestibus. Secundum verò alium ordinem pręponit deum Emeph diis cœlestibus tãquam ducem,

cem, quē ait intellectum esse seipsum intelligentem, atq; in se intelligentias conuertētem. huic vnum impartibile anteponit, quod appellat primum exemplar, aut expressionem, aut effigiem, quod Icthon appellat. In quo est primum intelligens, & intelligibile primum, quod solo silentio colitur: præter hos autem rerum apparentium opificio, alij duces præsunt. Nam opifex intellectus, qui & veritatis est dominus, atq; sapientia, quatenus in generationem progrediens occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem Amũ Ægyptiaca lingua vocatur. Quatenus autē sine mendacio peragit omnia, & artificiosè simul cum veritate Phtha nuncupatur. Græci verò hunc Vulcanum nominãt, artificiosum duntaxat considerantes. Quantum verò effector est bonorum, appellatur Osiris, aliásq; denominationes habet propter potentias, actionésq; differentes. Est & principatus alius apud illos super elemēta tota in generatione posita, virtutésq; eorum, quarum quatuor quidē masculinæ, quatuor fœmininæ, quē principatum Soli tribuunt. Item alius principatus super naturam omnem, quæ in generatione versatur Lunæ tributis. Marsilius. Potes in his ordinem consentientem

tem Proculo ita diſponere. Primum eſt ipſum vnum ſuper ens ſuper intelligibile totum. Secundum vnum ens, ſiue vnitas entis, in quo vnitas ſua ſuo enti præponitur. poteſt & intellectus intelligibilis appellari, & ſui pater. Tertiũ eſt intellectus intelligibilis, intellectualisq́; ſimul, & vnitus intellectus, & expreſſio, prima Icthon. Quartum intellectus intellectualis iam explicatus cœleſtium dux deorum Emeph. Quintum intellectus opifex proximus dux opificum mundanorum, qui ſunt dij cœleſtes, empireiq́;, & ætherij. hic forſan intellectus eſt animæ mundi, qui nominatur Amun, Phtha, Vulcanus, Oſiris. Iamblichus diuidentes verò cœlum in partes duas, vel quatuor, vel duodecim, vel ſex atq; triginta, vel harum duplas, vel aliter quomodocũq;, principatus his quoque perficiunt aut pauciores, aut plures. Rurſus ducem vnũ his anteponunt, atque ita Ægyptiorum tractatus de principiis deſuper ad poſtrema progrediens ab vno deſcendit in multitudinem. ab vno videlicet gubernatam à deo vbique indefinita natura ſub quodam termino definito ſit imperiosè comprehenſa, præcipuè verò ab excelſa omnium cauſa vnitate. Materiam verò produxit deus materialitate: videlicet

delicet ab essentialitate subderiuata, quã opifex vitalem assumens, simplices, impatibilésque sphæras effecit. Ipsius verò postremum accepit ad generabilia, & corruptibilia corpora facienda. His ita discretis facilè soluuntur dubia, quæ in libris Ægyptiis, quos legisti, concepisse dicis. Qui enim sub Mercurij titulo circunferuntur, opiniones Mercuriales continent. etsi sæpe Philosophorum Græcorum stylo loquuntur, sunt enim ex lingua Ægyptia in Græcam translati à viris philosophiæ non imperitis. Optarem verò, vt quicunq; mundanarum rerum causas primas attingunt, vltima quoq; principia declararent. Item quicunq; planetas, zodiacum, decanos, horoscopos, stellas, potentes duces tractant, vt particulares principiorum distributiones traderent. Proinde dogmata, quæ in Salaminiacis sunt, breuissimam partem Mercurialium ordinationũ continent. item quæ de stellarum apparitionibus, vel latebris, aut Lunæ augmento, vel decremento tractantur, in postremis penes Ægyptios assignationem causarum habent. Profectò Ægyptij non omnia esse naturalia putant, sed vitam & intellectualem, & animalem à natura discernunt. non in mundo solùm, sed etiam in hominibus,

bus, atque cum intellectũ, & rationem secundum seipsos existẽtes præfecerint. Sic quæcunq; fiunt, fieri arbitrãtur, atq; eorũ, quæ in generatione versãtur, primum præcipuúmve patrẽ esse opificẽ asserunt. Cognoscunt quoque vitalem potentiam, & quæ in cælo est, & quæ super cœlum extat. Item purum intellectum collocant super mundum, & vnum impartibilem in toto mundo, & alterum per omnes circulos distributum. Iam verò hæc nõ oratione, rationeq́; nuda speculari solent, sed admonent insuper, atque docent, ad excelsiora, communioraq́;, & superiora fato naturam nostram progredi ad ipsum deum, opificemq́; mundi. quatenus neque materiam ferat secũ, neq; aliud quicquam præter opportuni temporis obseruãtiam, idq́; sacrorũ opera nos consequi docent, atque simul efficiunt. tradidit hanc quoque viam nobis ipse Mercurius. Sed interpretatus est eam propheta Bitis Ammoni Regi inuentã in adytis templi in vrbe Sayn, Aegypti, literisq́; sacris insculptam: præbuit quoque nobis Dei nomen discurrens per vniuersum. sunt & alij multi ordines de eisdem. Quapropter non rectè mihi videris Aegyptiorũ omnia ad naturales duntaxat reducere causas. sunt enim apud il-

los plura, atque eſſentiis pluribus. ſunt &
poteſtates ſupermũdanę, quas & religioſa
principia ſanctimonia coluerunt.

*De libero arbitrio, & quomodo
ſoluamur à fato.*

POſt hæc ait Porphyrius, plures Ae- 38
gyptiorum ipſum quoque arbitrium
noſtrum motui ſtellarum ſuppoſuiſſe. Re-
ſpõdet Iamblichus ex Mercurialibus ſen-
tentiis hunc in modum: duas homo ani-
mas habet, vt Mercuriales literæ docent.
vna quidem eſt ab intelligibili primo, at-
que ipſius opificis potentiæ particeps: al-
tera verò ex circuitu cœleſtium nobis in-
dita, in quam & anima ſpeculatrix diuino
rum irrepit. Anima igitur à mundis in nos
deſcẽdẽs, mundorũ quoq; circuitus ſequi-
tur. quæ verò ab intelligibili veniens in-
telligibiliter adeſt geneficum circuitum
ſupereminet: atq; per eam & à fato ſolui-
mur, & ad intelligibiles deos aſcendimus:
& religionem habemus ad æterna tẽden-
tem. non igitur putandum eſt, de quo tu
dubitabas, omnia inſolubilibus neceſsita-
tis vinculis, quod fatum nominant, colli-
gari. habet enim anima principium in ſe
proprium, quo ad intelligibile ſeſe confe-
rat, & diſcedat quidem ab iis, quæ gignun
tur. ad ipſum verò ens accedat, atq; diui-
num.

num. Neq; rursus diis applicuimus fatum, quos tanquam soluẽtes à fato in templis, sacrísq;, & statuis veneramur. Ipsi quidem dij fatum soluunt: naturæ verò ab eis vltimæ descendentes, atq; generationi corporíque mundi iam implicitæ fatum peragunt. Meritò igitur omnẽ diis sanctimoniam adhibemus, vt ipsi quidem soli per intellectualem persuasionem dominantes necessitati mala nobis à fato imminentia soluant. Non enim totum in natura fati ligatum est, sed est & aliud principium animæ, & natura, & generatione prǽstantius, per quod & diis possumus copulari, & mũdanum ordinẽ superare, atq; sempiternam vitã, supercœlestiúmque deorum actionẽ participare. per hoc igitur nos ipsos à fato eximere possumus. Quando enim prǽstantiora eorum, quæ nobis insunt, agunt, & ad præstantiora sui ipsius anima reuocatur, tunc ab illis, quæ eam in generatione deuinciunt, penitus segregatur, à deterioribúsque descendit, atque alteram pro altera vitam commutat, seq; ipsam in alium interserit ordinem, dum priorem omnino deserit ordinem. Quid ergo? nunquid possibile est per deos circuncurrentes à fato seipsum soluere? atq; eosdem interim exstimare duces, autoresq; fatorum

rum, vinculisq́; insolubilibus vitas penitus alligātes. fortè verò nihil prohibet, ita fieri. Cùm enim dij essentias, potentiasq́; multas in se cōplectantur, quidnā prohibet illis inesse & alias nobis inęstimabiles differētias, atq; cōtrarietates? Iam verò & hoc licet dicere, in vnoquoq; deorū etiam apparentium inesse intelligibilia quędam essentię principia, per quę animabus à generatione mundorū fuga cōtingat, atq; libertas. Siquis autem duos deorū ordines non admittat ad solutionis officiū, scilicet mūdanos simul, atq; supermundanos, saltem per supermundanos fiet quādoq; solutio. Verùm hæc in tractatu deorum diligentius declarantur. Quinam dij potissimum sint ad supera reductores, & quādo reuocent, quibúsue potentiis, & qua ratione fatū soluant, & per quos præcipuè redditus sacrorum operatione peractos, & quis ordo mūdanæ naturæ, & quo pacto intellectualis actio cōsummata huic ordini dominetur. quamobrē quod tu ex Homeri versibus adduxisti, scilicet deos esse flexibiles, dictu nefas esse censemus. legibus nāq; sinceris, intellectualibusq́; iamdiu definita sunt sancta religionis opera, atq; ordine, potentiaq́; maiore, deteriora soluūtur. & quatenus nos in sortē tradu-

cimur meliorẽ, eatenus à deterioribus fit discessus: nec propterea contingit aliquid prȩter regulam ab initio constitutã, adeo vt dij flectantur propter sacrificium, cultumq; posterius actũ, sed à primo descensu deus animas ea cõditione demisit, vt ad eum iterum reuertãtur. Neq; inter se repugnãt adscẽsus animarũ, atq; descẽsus. sicut enim in vniuerso intellectuali vnà cũ essentia generatio, immo & hoc totum rectè cõnectitur, sic & in animarum disposi tione vnà cum earũ circa generationẽ cu ra solutio quoq; à generatione consentit.

De suo cuiq; dæmone.

39 QVærebat post hæc multa Porphyrius de suo cuiq; dæmone. respondet ad hæc Iamblichus ita: Duplex est tractatus de dæmone vnicuique proprio. Alter quidem sacer, siue deificus: alter artificiosus. Ille dæmonem à supernis causis inuocat: hic à circuitibus, qui in generatione versantur. Ille quidẽ exploratione vniuscuiusq; genituræ nõ vtitur: hic talia diligenter explorat. Ille vniuersalius super naturam: hic particularius secundum naturam dæmonem colit, & curat. Cùm igitur hȩc ita se habeãt, absurdè tu mihi videris culturam perfectiorem ad humanam admodum transtulisse, & in hac duntaxat quæ-

stiones

ſtiones tuas exercuiſſe. Propterea vbi naturali tantùm via quæris, colíſue dæmonem, videris & eiuſmodi vitę exiguã quãdam particulam accepiſſe. Conſueuerunt enim qui circa naturã artificioſè perquirunt, & operãtur, ordinatè vocare dæmonem à decanis, id eſt facientibus. Atq, ab influxuũ diſpenſatoribus imaginibus cœli, ſtellisq;, Soleq;, & Luna, item à polis, totisq, elementis, atque mundo. Tu verò non rectè breuiſſimam horũ partem ſeligens, ſcilicet ipſum genitalis figuræ dominum, de hoc duntaxat quæſtiones inducis, & hac in parte hoc vno ſuppoſito perſcrutaris, quonam pacto dominus ipſe figuræ dæmonem tribuat. Atq; ſecundum quam, & qualem vitam, vel potentiam, vel influxũ ab illo nobis influat. vbi prorſus in genituræ exploratione moraris perſcrutans, vtrum ſubſiſtat dæmon, nécne: & vtrum figuræ dominus inueniri poſſit, aut forte non poſſit. Aſſeris deniq; hunc fore beatum, qui inuẽta generationis ſuæ figura, fatalia ſic effugerit, ita videlicet ſuum dæmonem conſpicatus. mihi verò videntur hæc inter ſe diſſentire, & à veritate deficere. Si enim ab ipſa generationis figura dæmon nobis eſt attributus, atque inde cognouimus eum, quonam pacto

fatalia fugiemus per notitiam dæmonis fato nobis addicti? atqui, etsi necessaria à nobis per dæmonem expellimus, vt affirmas, quando vlterius sunt hæc vnà cum dæmone nobis destinata per fatum.

De iudicijs astrologorum, & dæmone.

40 PORPHYRIUS dicit siquis cognosceret figurũ natiuitatis, dominumq́; figuræ, inueniret dæmonem suum, & per ipsum solueretur à fato natiuitatis: sed subdit, impossibile esse scire illã, & hunc inuenire: & regulas astronomiæ, & astrologiæ esse incomprehensibiles, & incertas teste etiam Cheremone. Iamblichus dicit, dæmonem neq; cognosci, neq; dari ab illa figura, & dæmonio eius: alioquin nõ solueret nos à fato natiuitatis, sed dari ab antiquiori principio, & altiori, scilicet à diis superioribus, & cùm primùm anima inclinatur ad sensibilia ante conceptionem, & solui nos à fato non tam per dæmonem, quàm per cultũ superioris numinis. Non solùm verò illa Porphyrij dicta à seipsis, sed etiam à veritate dissentiunt. Nõ enim ab ipsa propria generationis figura omnino vnicuiq; tributus est dęmon, sed est & antiquius hoc initium. Item si hinc duntaxat dæmon agnosceretur, non foret propterea felix, qui geneficum cognosceret

dæmon

dæmonẽ. Et quiſnam hunc ducẽ accipiat ad effugienda fatalia? Si ad hæc explenda eſt ipſe tributus, omnino verò præcipuas prætermittis de eſſentia, & de ordine dæmonis quæſtiones, vltimas verò tãgis, vnde deſcendat. Inquis præterea innumerabiles circunferri aſtrologiæ regulas, dubitationesq́; de geneſi, vnde appareat ſcientiam de his haberi nõ poſſe. Ego verò cenſeo primum quidem haberi poſſe per diuinum vaticinium veritatẽ certiſſimã circa ſtellas: nec nos omnino regularum dinumeratione, nec artificioſis prædicationibus indigere: & inſuper addo, te nõ penitus impoſſibilem inde notitiã demonſtrare quantũ ad mathematicam ſciẽtiam pertinet, quòd diuerſæ inter illos feruntur opiniones, quódue Cheremon, & quiuis alius cõtradicit. Sic enim & in omni ſcientia ſimul & arte propter diſſidentes opiniones dicere nullã eſſe ſcientiam cogeremur. ſed profectò vbique non ſolùm falſa inter ſe diſſidẽt, ſed & à veris falſa diſſentiunt, vt vbiq; præter falſa veritas inueniri poſſit. Porphyrius dicit regulas etiam aſtronomię cõprehendi nõ poſſe, ne dum aſtrologiæ, & multas eſſe illis diſſenſiones, & à multis impugnari. Reſpondet Iamblichus, diuinũ vaticiniũ poteſt doce

re naturam,& effectũ astrorum sine arte. Astronomia,& aliæ artes quondam à diis datæ longo tẽpore humanis opinionibus confunduntur, exiguumq́; diuinitatis, & veritatis deniq; retinẽt. in astronomia est aliquid veri, quamuis exiguũ, quod patet per effectus stellarum inter se ex mẽsura prouenientes in cœlo,sicut prædictũ est de eclipsi Solis & Lunæ,& aspectibus planetarũ.Regulæ mensurarũ,magnitudinum, distãtiarũ,progressionum,cometarũ, atq; similium diu apud Chaldæos,& apud nos obseruatæ testãtur astronomiæ scientiam esse verã.Porphyrius dicit,dominũ figuræ,vel dominos,si plures sint,deprehendi non posse etiã iudicio astronomorum , & astrologorum, sed inde proprium dæmonẽ esse quęrẽdum.Iamblichus dicit,astrologos dare regulas,alios scilicet quinque, alios pauciores,alios plures ad inueniendos,vel discernẽdos dominos figurarum. Non dicit inquã haberi regulas, & inueniri,atque discerni,sed ita putari,& tradi ab illis cõtra dicta Porphyrij.Quidnã prohibet figuræ dominum, atq; dæmonem per astrologiã quidem difficile inueniri,facillimè verò per diuinum vaticinium,atq; sacrificia? Neq; putandum est dæmonẽ à solo figuræ domino tribui. sunt enim plura hoc

hoc eius,& antiquiora principia. neq; humanis artibus, ſed diuinis proprium dæmonē poſſumus inuenire. proprius cuiq; dæmon nō à particulari quadā cœli, elemētorúmue diſpoſitione diſtribuitur, ſed à tota mundi diſpoſitione,quando deſcendit anima regnante, ipſiq; dæmonem certum accōmodante executorem vitæ,quā elegerit anima: hic eam cōciliat corpori, vitam corpori cōmunicatam curat,vitam animæ propriam dirigit, cogitationi aſſiduè principia exhibet: nosq; agimus talia, qualia hic adducit in mentem, eatenusq; nos gubernat, quo ad ſacris perfecti dominum pro dęmone commutemus. Tunc dæmō deo cedens,vel vacat ab opere,vel conducit ad idem.ſors alicuius propria tribuitur animæ, dum deſcendit ex toto mundi corpore, & vita prout tunc ſe habet ad illam, & illa ſors certo dæmone ducitur,& impletur. Ergo eſt impoſſibile iudicare certos euentus, cùm omnium cauſarum concurſum comprehendere nequeamus, niſi per inſpirationem diuinam id aſſequamur.

Vnde proprius dæmon veniat,quidue agat, & vtrum ſit vnicus.

PRoprius dæmon non à parte quadam cœli elementorúmue tribuitur, im- 31

mo verò à toto mundo,& à multiformi in eo vita, & à multiformibus corporibus, per quę transit anima descẽdens in generationem, secernitur propriè, atq; decernitur, sors in nobis quædã propria nostris secundũ præfecturam propriã distributa. hic vtique dæmon erat in exemplari antè quàm in generationẽ animæ laberentur. Quẽ cum primũ anima ducẽ accepit, adstat ipse dæmon expletor subinde vitarũ. hic animã, vt dixi, descendentẽ alligat corpori, cõmune eius animal ipse curat: vitã animæ propriã dirigit: & quodcũq; ratiocinamur, exhibet ratiocinandi principia: agimusq́; talia, qualia is adducit in mentem, gubernatq́; nos quousq; sacris operibus expiati, deum subeamus pro dęmone ducẽ. cui posthac dæmon ita cedit, vt vel vacet eo præsente, vel conducat ad idem. Quærebas deinde, vtrũ plures adsint vnicuique dæmones, alij alia gubernantes in homine. Respondemus ad hæc, dæmonẽ, non alicui parti nostrũ præesse duntaxat, sed toti simul adesse, totũ ducere, quemadmodũ à totis, quæ in mundo sunt, ordinibus, est attributus. Cõiectabas plures pro numero nostrarũ partiũ dæmones nobis adesse. Præterea quòd etiã in ipso corpore diuersi sint dæmones, alius sanitatẽ, alius

pulchr

pulchritudinē,alij quādam in his habitudinē curēt.vnusq; his æquè præsit in corpore. Sic & putabas aliū dæmonē corpus, alium animā,alium mentē regere.Pręstat verò eiusmodi cōiectura ad hoc ipsum vti videlicet,quòd corpus,& anima,& intellectus eodē dæmone gubernentur.Noli igitur ita diuidere, vt alius sit corporis dæmon,alius animæ, alius intellectus.absurdum est enim animal quidē esse vnū, dæmonium verò animali præfectum multiforme putare. Nā quæ principatū tenent, vbiq; simpliciora sunt subditis.Est insuper & absurdius,si multi dæmones dominantes velut dæmonij partes, non conflati in vnum sint,sed inter se disiūcti. Introducis autē & in ipsis cōtrarietatē, tanquā dominantium dæmonū alteri boni sint, alteri verò mali.Cùm tamen nusquā mali spiritus sortem habeant præfecturæ, nec pari vel auctoritate,vel numero exaduerso bonorum distributi sint. Post hæc suspicaris dæmonem proprium esse quandā animæ partē,videlicet intellectū, eumq; hominē esse εὐδαίμονα, id est felicē, qui sapientem habeat intellectum.quod si ita sit,nō erit amplius alius ordo præstantior homine præfectus homini.sed inter diuisas animę partes superior inferiorib⁹ dominabitur.

vbi tamē cunctę cognatæ ſunt,nulla verò vt abſoluta ſubditis dominatur. Inducis poſt hæc dæmonis cultū tanquā ad plura factum,partim quidē tanquā ad duos dęmones, partim etiā velut ad tres.nefas verò eſt cauſas nobis præſidētes partiri, nec ad vnum redigere prędecturā,quippe cùm vnitas in omnibus dominetur. Iam verò & qui dæmonium ſecundum corpus,corporisq́; diſpenſationē diuidit, is principatum eius in partē eiuſdē redigit anguſtiſſimā. Quapropter religioſum cultū circa dæmonium, ita diuiſum cōſiderare nō decet,cùm opinio ipſa,in qua fundatur,debilitate vacillet. Vnus igitur eſt ſecundum vnumquēq; noſtrum dęmon proprius gubernator.dæmonē verò cōmunē penitus, & eūdē cunctorū hominū exiſtimare nō decet, videlicet rurſum cōmunē quidē in ſe ipſo,propria verò cōditione vnicuiq; copulatum.Ipſa enim ſecundum ſpeciē vnāquanq; diuiſio, materiæq; alteritas ipſam rerum ſecundum ſe incorporearum communitatem,identitatemq́; non ſuſcipit.

Inuocatio dæmonis.

QVæris deinde, quare communi quadam apud omnes inuocatione aduocare dæmonem ſoleamus,quoniam videlicet per deum dominum vnum dęmonum

num agitur inuocatio, qui & à principio ſuum cuiq; dæmonem definiuit, & in ſacrificiis ſecundum propriam voluntatem ſuum cuiq; monſtrat. Semper enim in ſacrarum operationum ordine per ſuperiora numina inferiora vocantur. Quare & in dæmonibus vnus quidam dux eorum, qui circa generationem obtinet principatũ, dæmonem ſuũ ad vnumquenq; demittit. Poſtquam igitur adeſt vnicuiq; ſuus, tunc & congruũ ſibi cultũ pãdit, nomenq́; ſuũ, modumq́; inuocationis ſuę proprium patefacit, atq; hic cõueniens eſt ordo dęmonũ. Alius enim ordo inuocantibus eſt cognatus, alius ab antiquioribus cauſis procedit, alius conſpirationẽ in eis cõficit ad idem communiter conferentem. Noli igitur diuinas inuocationes humanis ſimiles arbitrari, & ineffabiles effabilibus comparare, & eas, quæ omnẽ terminum, omnemq́; indeterminatũ modũ ſuperant, humanis imperiis, mãdatisq́; cõferre, ſiue definita ſint hæc, ſiue prorſus indefinita. Quæ enim apud nos ſunt, cum toto genere cõmune nihil habẽt. atq; cum his, quæ ſecundum totum ordinem nos excedunt, totamq́; eſſentiam noſtrã, naturamq́; exuperãt. Iam hinc verò maximè errores hominibus ingentes accidunt. Quando ex huma

humana debilitate aliquid de dominationibus dæmonicis ratiocinari solēt & paruis nihilipēdendisq́;,atq; diuisis ingentia, & magnipēdenda,& perfecto perpendūt.

De felicitate.

33 SVspicaris, ne fortè alia quædā ad beatitudinem præter diuinum cultū, via lateat,& quænam ista potissimum sit interrogas. Sed profectò si in diis bonorum omnium essentia, perfectioq́; continetur, ac prima potestas, primumq́; bonorū illic est principium, meritò soli nos sacerdotes, & qui similiter superis se dediderint, atq; legitime vnionem ad illos fuerint consecuti bonorum omnium principium, atq; finem studiosè prosequimur. in hoc vtiq; statu & veritatis cōtēplatio adest,& intellectualis scientiæ cōsummatio. Atq; vnà cum deorū cognitione conuersio quoq; ad nos ipsos, nostriq́; agnitio comitatur. Frustra verò suspicaris, ne fortè religiosus ex opinionibus humanis, fauoribusq́; dependeat. Quidnam otij esse potest animo diis dedito ad humanas laudes auscultandas?

Religionem esse veram.

34 SEd neq; quod sequitur rectè dubitas, ne fortè religiosus ipse fallat, vbi ais animā magna sæpe ex cōtingenti confingere.

gere. Quodnã in rebus verè existentibus figmentorum initium esse potest? Nón ne potẽtia phantastica in nobis est illa, quæ idola fingit, atq; transformat, atq; quãdo vita intellectualis perfectè agit, phantasia nulla suboritur? nón ne penes deos veritas ipsa secundũ essentiam vnà cum illis existit? Nón ne multò magis & illa, quæ secundum consonantiam in rebus intelligibilibus est fundata? Frustra igitur talia & abs te, & ab aliis diuulgãtur. Quinetiã vbi tu, & alij religiosos calumniamini, tanquam pręstigiatores, atq; vanos, & iactabundos, longius à veritate disceditis. sicut enim cæteris artibus, sic & in religione sunt, qui eam falsò profiteantur. Quæ professio longius quàm aliud quicquam à religione discedit. Malũ enim bono magis quàm non bono cõtrarium est.

De præsagio naturali artificioso, atq; de diuino.

SIqua nobis aptitudo naturaliter insit ad futuri præsagiũ, quemadmodũ animalibus terręmotuum, procellarumq;, & frigorum naturalis inest præcognitio, non videtur eiusmodi prænotio habere aliquid venerandum. Nam secundum sensus acumen, vel compassionem, vel aliã quandam 35

dam

dam commotionē virium naturaliũ, eiusmodi præsagiũ naturale cõsequitur, neq; sursum siquis secundũ rationis discursum, vel obseruationē signorũ effectus aliquos præcedentiũ, sicut à contractione pulsus, atq; rigore medici febrē præuidere solēt, videtur eiusmodi præsentia esse admodũ honoranda: humana nanque, & suspecta, corporeaq; cõditione progreditur. Solum igitur diuinitus aduenicns vaticinium, re-uera nobis diuinam exhibet vitam, dum & præuisionem, & diuinas intelligentias possidet, nosq; reddit re vera diuinos, ac bonũ legitimum nobis affert. beatissima enim deorũ intelligentia bonis omnibus abũde repletur. suspicaberis ne fortè prophetę diuinitus inspirati præuideant quæ futura, neq; tamen propterea sint felices. nam & præuidere possunt, neq; tamē scire futuris vti, sed contrà dicendũ, omnem videlicet prænotionem diuinitus inspiratam esse bonis, & bonitate refertam, ordinisq; compotem, atq; decori, atq; vtilitatem nobis afferre: dij namq; vnà cum prę-sagio, facultatem quoq; ad cauenda, declinandaq; incõmoda nobis naturaliter imminentia suggerunt. Et quando virtutem oporteat exercere, ad idq; conferat ignoratio futurorum, occulunt ipsi futura, vt
anim

animus inde ſit melior: quando verò ad hoc nihil intereſt, expedit autem animus præſentire, ad hoc videlicet, vt ſalui ad ſublimia reuertantur, tunc in mediis animarũ eſſentiis vaticiniũ penitus inſerunt.

Via ad felicitatem.

QVærebas deinde, quę ſit ad felicitatem via, quá ve in re ſit ipſa felicitas. hoc igitur audi. Contẽplabilis ipſe in ſe intellectus homo, erat quondã deorum contemplationi coniunctus. deinde verò alteram ingreſſus eſt animã, circa humanam formæ ſpeciẽ coaptatã, ſiue contemperatã: atq; propterea in ipſo neceſſitatis, fatiq; vinculo eſt alligatus. Conſiderare itaq; decet, qua præcipuè ratione ab eiuſmodi vinculis ſolui poſſit. eſt autem ſolutio nulla, pręter ipſam deorũ cognitionẽ. Idea nãq; felicitatis, eſt ipſum cognoſcere bonum. Quemadmodum eſt & idea malorum, ipſa quidẽ bonorum obliuio, & fallacia circa malũ, notitia quidẽ illa vnà cum diuino cõgreditur. obliuio verò hæc, atq; deceptio inſeparabilis eſt à caduco. Itẽ illa intelligibilium eſſentias per ſacras ſanctimoniæ vias rite metitur. hæc autẽ à principiis cadens, atque repulſa, ſe ipſam proiicit ad corporalẽ ideã dimetiendam.

Illa rursum est sui parentis agnitio, hæc verò discessus vnà cum obliuione ab ipso deo patre supersancto, seq; ipso sufficiēte, longè remotus. Illa veram cōseruat vitam reuocans hanc ad patrem. hæc hominem principem genituræ vsque ad id deducit, quod permanet quidem nunquam, perpetuoq; influxu versatur. hęc vtiq; prima sit tibi ad felicitatem via, intellectualem habens vnionis diuinæ penes animas plenitudinem. Sacra verò, atq; deifica felicitatis traditio appellatur quidem porta ad ipsum omnium opificem deum, aut locus, aut aula boni. Potestatem verò possidet primam quidem castam, & sobriam animæ sanctimoniam, valde vtiliorem, sobria corporis castitate. Deinde cogitationis accommodationem ad ipsam participationem, visionemq; boni, simulque ad contrariorum expulsionē. Tertiò rursum vnionem exhibet ad deos bonorum omnium largitores. Postquam verò singulatim, atque propriè, tum mundi partibus, tum diuinis potestatibus per partes mundi diffusis, animam copulauerit, tunc opifici toti copulat animam, præbetque vndique cum ipso consensum, atque eam extra omnem materiam ponit, cum sola iam sempiterna vniuersi ratione coniunctam.

ctam. verbi gratia, in ipsa opificis potestate per se genita, per se mobili, & omnia sustinente prorsus, & eleuante, intellectualiq;, & omnia pariter exornãte: item ad veritatem intelligibilẽ reuocante, rursumq; per se perfecta, perficienteq;, atque effectrice, cæterisq; dei viribus opificis gradatim pro cuiusq; proprietate coaptat adeo, vt in actionibus earum, intelligentiisque, & opificiis facultatibus, expiatus animus, atq; sacer perfectè firmetur. Atq; tum demum in toto opifice deo collocat animam.

Conclusio Religionis, felicitatisque apud Aegyptios.

ATque hic apud Aegyptios religiosæ, sacræque eleuationis, est finis: ipsum verò bonum aliud quidem diuinum putant, ipsum scilicet præintellectũ deum. aliud autem humanum, vnionem videlicet ad ipsum dominum, quemadmodum Bytis propheta ex libris Mercurialibus explicauit. Non igitur pars hæc apud Aegyptios prætermissa est, vt tu suspicaris, sed quemadmodum spectat ad sanctimoniam, rite nobis est tradita. Neq; rursus de rebus exiguis sacerdotes diuinam intelligentiam interpellant, sed de

iis, quæ ad purgationem, solutionem, salutem animæ pertinent, neque difficilia meditantur, eademq; hominibus inutilia. immo res animæ omnium vtilissimas, neque sub dolo, & seductore quodam dæmone obfuscati sacerdotes hallucinantur, qui in omnibus fallacem, dæmonicamq; naturam prorsus excedunt, atque ad intelligibilem, diuinamq; conscēdunt. his itaq; pertractatis, obsecro deos, vt mihi, tibiq; veram intelligentiarum custodiam, obseruantiamq; exhibeant, nullo tempore defuturam, atque in sempiternam æternitatem æternorum præbeant veritatem, perfectiorumque circa deos intelligentiarum compotes nos efficiant, in quibus beatissimus bonorum finis nobis est propositus, & amicitiæ, concordiæque inter nos mutuæ, autoritas omnis, atq; firmamentum.

EXC

EXCERPTA MARSILII FICINI EX GRAECIS PROCLI *Commentarijs in Alcibiadem Platonis primum.*

PRincipium dialogorũ Platonicorum, totiusq; philosophiæ præcipuum, atque firmissimum, arbitrantur naturæ nostræ cognitionem. hac enim rectè cognita, bonum quoque nobis consentaneum, malúm ve dissidens absolutius nosse poterimus. Sic vtiq; natura comparatum est, vt quemadmodum inter se rerũ essentiæ differunt, sic & proprię rerum perfectiones. Vt igitur quę sit naturæ nostræ perfectio, & quomodo cõparetur, inueniamus (essentiã nãq; nostrã in primis debemus agnoscere: quod quidem & in Alcibiade propositum est, & in tota doctrina Platonis est finis) quando rerũ consideramus essentias, perscrutandum est, vtrum essentia rei sit ex earũ numero, quæ indiuiduæ sunt: vel earum genere, quæ circa corpora diuiduntur: vel earũm, quæ in medio collocantur. Item, vtrũ essentia sit æterna, an per omne tem-

pus existens, an in aliqua temporis parte fiat. Rursum, vtrũ sit simplex, & ante compositionẽ existens, aut cõposita quidẽ sit, sed insolubilibus vinculis sit composita: aut possit vicissim in ea, ex quibus cõponitur, quãdoq; resolui. atqui si ita vnumquodq; cõsideremus, deinde poterimus eius quoq; bonum, quale sit facilius iudicare. Cõstat enim essentiæ prorsus indiuisibilis, æternũ esse bonum, diuisibilis verò bonũ quoq; in tempore, motuq; versari. mediæ denique secundum substantiæ ipsius mensuras perfectio quoq; perpenditur. eiusmodi nanque perfectio tempore quidẽ indiget, sed tempore primo, quod sanè in corporeos circuitus possit aptè metiri. Ignoramus quidẽ nos ipsos, quoniã obliuione genesica occupati sumus, atq; in rationaliũ specierũ vitæ perturbatione perculsi. existimamus autem interea cognoscere multa, quæ ignoramus, quoniã rerũ rationes essentiæ nostræ innatas habemus. Tres sunt conuersionis species. quicquid enim cõuertitur, vel ad aliquid vertitur, se deterius, dum à perfectione propria labitur: vel consurgit ad melius propter propriæ vitæ vigorẽ, actionẽque naturalem: vel reflectitur ad seipsum propter cognitionem sibi cõsortem, mediãq;

spec

ſpeciem motionis. Cõuerſio quidem erga deterius, paſſio quędã eſt animę alas abiicientis, & in obliuione iam poſitæ, ſui ipſius ſimul atq; aliorum. Conuerſio verò & ad ſe, & ad melius non ſolis cõpetit animabus, ſed ipſis quoq; diuinis, quẽadmodum Parmenides ipſe nos docet. Plato ſignificat in procemio pręter cætera animũ veritatis ſtudioſum cogitationes rebus cognoſcendis conſortes edere. Neq; mutabilium immutabilẽ, neq; neceſſariorum, ſtabiliumq; ambiguam, atq; nutantẽ. Sed quemadmodũ Socratẽ in Rep. docuit, notitia quidem ſimplici, vniformi, intellectuali intellectualia omnia coniugatè cognoſcere, notitia verò ſcientifica, atque cogitatiua, ſpecierum euolutione, atq; compoſitione rationes rerum medias contẽplari. Tertia rurſum à veritate potentia ſenſuali per inſtrumenta cognobilia propria cõtingente ſenſibilia iudicare imaginali tãdẽ potentia imagines ſenſibiliũ apprehẽdere. Iã verò Timæus cognitiones proportione quadã ad cognoſcenda diſtinguens, iubet nos entia quidem intelligẽtia, rationeq; iudicare, opinione verò, ſenſuq; illa, quę entia quidẽ non ſunt, ſed fiunt iugiter, atq; pereunt. atq; eorum, quæ verè ſunt rationes, ratas, & incõiunctas exiſtere, rerũ

verò in generatione fluentium imaginatias, atq; contingentes. vbiq; enim rationes, sermonesq; imitantur illa, quæ explicant. Atqui Socrates in Cratylo ait circa res sempiternas, nomina naturã rei magis attingere: circa verò mutabiles nomina quoq; sæpe mutari, & magis in positione versari. Aliorum vbiq; deorum aliæ proprietates existunt. nã aliæ quidẽ sunt opifices vniuersorũ, atq; speciei entium, ornatusq; substãtificæ: aliæ verò propagãtes vitã, ac varios vitæ vigores progenerãtes: aliæ autẽ rerũ ordinẽ seruãt incõmutabilẽ, connexionemq; custodiunt insolubilem. Aliæ deniq; aliã sortitæ potentiã, omnia sua quadã beneficentia seruant. Similiter & omnis amatorius ordo causa conuersionis est rebus omnibus ad diuinam pulchritudinem, atq; formã, reducens quidẽ sequẽtia ad illam omnia, eiq; cõiungens, & coniuncta confirmans, atq; mox inde sequentia replens, diuiniq; luminis procedentes inde dotes per omnia radians. Hanc igitur ob causam in Symposio traditur, amorẽ magnũ existere dæmonem, quippe cùm amor primus omniũ eiusmodi medij vim in seipso demonstret, sitque medius inter ipsum appetibile, atq; appetẽs, & causa cõuersionis sequentiũ in priora.

ra.vniuersa igitur amatoria cohors in vestibulo causæ pulchritudinis constituta ad illam omnia conuocat,mediumq́; processum facit inter amabile,atque illa,quæ reuocantur amore. Quapropter totius dæmonici ordinis in se declarat exemplar, hanc in diuinis medietatem obtinens,quã dęmones inter diuina tenẽt,atq; mortalia.

Cùm igitur omnis amatoria cohors hãc inter deos proprietatem habeat,summitate eius quidem vnicam,& occultam excogitamus primæ & intelligibili pulchritudini copulatam,penes supremos deos: medium verò processum eius penes supermundanos deos, intellectuali conditione fulgentem: tertium verò progressum eius circa mundum multifariam distributum, multosq́; ordines, atque vires ex se producentem, atque eiusmodi munera partibus mundi diuersis distribuentem. Post enim vnicum, primumq́; amoris principium, atq; post tripartitam substantiam inde perfectam, varia iam turba refulget amorum,vnde chori angelorum implentur amore: turbæ quinetiam dæmonum hoc plenæ deo sectantur deos ad intelligibilem pulchritudinem reuocatos. Exercitus heroum vnà cum dæmonibus,& angelis circa pulchritudinem debacchantur.

Omnia deniq; ſuſcitantur,reuiuiſcunt,reuireſcunt, incaleſcunt, circa pulchritudinis ipſius influxum. Iam verò animæ hominum inſpiratione eiuſmodi tactæ,& naturaliter cognatæ deo,circa pulchrũ mouentur aſſiduè,atque in generationis prouinciam delabũtur ad beneficium animis imperfectioribus exhibendum,& ad prouidendum iis, quæ ſalute indigere videntur.Dij quidem ipſi,deorumq́; pediſſequi, in habitu proprio permanentes,ſequentibus benefaciunt,& ad ſe cõuertunt:hominum verò animæ deorſum lapſæ, generationemq́; tãgentes beneficam deorũ prouidentiã pro viribus præſeferũt.Quemadmodum igitur aliæ animæ ſecundum aliũ cõſtitutæ deum, ſyncerè prouinciis caducis præſunt,animabusq́; hîc oberrãtibus, atq; aliæ quidem imperfectioribus proſũt per vaticinium,aliæ per expiationes,atque ſacrificia,aliæ per opẽ medendi diuinam: ſic & animæ,quæ vitã amatoriam elegerũt,mouentur quidem à deo pulchrorum præſide ad curã animorũ ingenioſorum, à pulchritudine verò ſenſibus apparente ad diuinam pulchritudinem rediguntur, ſecumq́; ipſis conuocant & amatos. animæ verò,quæ ob peruerſam educationem à ſuperno munere decidunt, alioquin

amat

amatoriam nactæ naturam, ſimulacris pulchritudinis inſidentes, propter veræ pulchritudinis ignorantiam, corporeas formas admirantur & amant, paſſionem propriam ignorantes. Sicut enim apud Plotinum defluxus mentis facit aſtutiam, atque ſapientiæ portio lapſa creat ſophiſticam, ſic munus amoris in peruerſum incidens ſuſceptaculum, vitam efficit intemperatam, atque tyrannicam.

Cauſa ſuperior agit in opere prius, poſteriúsque quàm inferior, & vnà cum illa, atque eſt præſentior operi.

QVæ perfectiora ſunt vbique, & quæ rationem exemplaris habent, actiones prorſus imaginum comprehendunt, adeo vt deteriora nulli vſquam adſint, cui perfectiora quoque non multò prius aliquid ex ſe tradiderint. Quinetiam per omnes rerum ordines ipſum vnum alia comprehendit, atque ante illa, & poſt illa, & vnà cum illis agit.

Mali dæmones etiam in ſacris occurrunt, & fallunt ſub prætextu bonorum.

COmpertum habemus in expiationibus, atq; ſacris, vbiq; ex deterioribus aliquid induere perfectionis imaginem, per quam animas nondum perfectas alliciat ad ſe ipſum, à ſuperioribusq; diuertat.

Quemadmodum igitur in cõtemplatione physica impedimentum est vita sophistica procliuitasq; ad illam trahens infirmiorem ab ipsa entiũ cõtemplatione ad imaginationẽ caducis familiarem, sic in amatoria eleuatione turba popularium amatorum impedimentũ est simulans amatorem verũ, & animã iunioris à bonis cœlestibus in terrena, & tenebrosa detorquẽs: similiter in sanctissimis quibusque expiationibus, atq; sacris, antè quàm ipse deus adsit, palàm occurrunt dæmonum quorundam impetus terrenorũ, aspectus noui quoq; eos, qui expiantur, perficiunturq; deturbantes, & à synceris bonis ad materiam deflectentes. Quamobrẽ dij iubent, ne prius in illos aspicias, quàm sacrorum potestate præstrinxeris oculos. sic enim aiunt diuina eloquia: Non expedit tibi illos aspicere prius quàm corpus expiaueris, atq; sacraueris. quoniam illi mulcentes animas à sacrificiis vbique deflectunt. Sicut igitur in sacris, tum primùm apparet diuinum, quando totum hoc dæmonium trahens animas in materiã expulerimus: sic & diuinus amator post repulsam popularium amatorum occurrit amato. Item, sicut bonus cuiusq; dæmon vnumquẽque custodit à pueritia, actionesq; omnes eius

explo

explorat,& verba,& ante parentes prouidet,& post parentes adest tanquam totius vitæ gubernator assiduus,atque post obitum dux est nobis ad iudices, eodem modo ad Alcibiadem se Socrates habet denique, sicut bonus dęmon nobis plurimum ocultus adest clàm nobis prouidens, & silentio consulens, & ineffabiliter nos emendans,ita Socrates Alcibiadi.

Intellectus in nobis semper agit illuminando,neq; tamen semper animaduertimus.

INtellectus ipse quidem circa nos semper agit, semperq; præbet intelligentiæ lumen.atq; etiã prius quàm in conditionem labamur irrationalem. Et quando in passionibus vitã degimus, & passionibus quandoq; sedatis,non semper animaduertimus: sed quando à quamplurimo generationis tumultu purgati sumus,atq; tranquillè viuimus (tũc enim intellectus nobis effulget) tunc quasi nobiscum loquitur, tunc suam nobis communicat vocem antea silentio præsens.

De bono dæmone, & de terrenis,materialibúsque dæmonibus. Item quomodo vnusquisque nostrum consideretur dupliciter, scilicet & vt simpliciter anima, & vt anima vtens corpore.

Socra

SOcrates quidem ad Alcibiadem ſe habet, vt bonus dæmon.amatores cæteri, vt materiales, terreniq; dæmones, qui propellendi ſunt, vt animus bono dæmoni ſit magis expoſitus.Conſiderare poteſt dupliciter Alcibiadem,& vt ſimpliciter animam, & vt animam vtentem corpore. Non enim idem eſt vtrunque,quemadmodum nec ipſe per ſe homo, & iam gubernator homo, nec homo ſimpliciter,atque auriga.Omnino autem,quod eſt imparticipabile ab eo quod eſt participabile, differt.Atq; id, quod ſecundum ſeipſum exiſtit,ab eo differt,quod cum alio quopiam ſimul iam cenſetur.Et deniq; quod exemptum eſt ab eo diſcrepat, quod coordinationẽ ad aliud eſt ſortitum. Quoniam igitur Alcibiades dupliciter intelligitur,& vt ſimpliciter anima, & vt anima, vtens corpore,qua quidem ratione eſt ſimpliciter anima quædam. Socrates ad eum mentis vicem gerit.qua verò ratione eſt anima vtẽs corpore, Socrates boni dæmonis partes agit. Atque idem ipſe & dæmon eſt,vt ad hominem, & intellectus ad animam. Iam verò & quando medietatem dæmonicam reputamus,inter deos eã & homines collocamus. Qnando verò intellectum, in ſummo quidem animam ex ipſo ſuſpendimus,

dimus, & corpus ex anima. habes profectò diuisionem alteram in symposio, vbi traditur dęmonum inter deos hominesq; existere medium. habes alterã in Timæo dicente, animum inter intellectum atque corpus medium obtinere. Idem igitur est & intellectus, & dæmon ad animam quidem intellectus, ad animam verò humanam dæmon esse censetur.

Quomodo amor deus nec primus est, nec vltimus: & quomodo in diuinis est bonum, sapiens, pulchrum: item, fides, veritas, amor.

AMorem domini neque in primis entium, neque in vltimis collocare debemus. Non in primis, quoniam ipsum amabile superius est amore. non in vltimis, quoniam amans particeps est amoris. Oportet igitur amorem inter amabile, amãtemq; constituere, & ipso quidem pulchro posteriorẽ, cæteris verò, quæcunq; amant, priorem asseuerare. Vbinam igitur extitit ab initio? Quo pacto per vniuersa procedit, & quibuscum prodiit vnitatibus?

Cùm igitur tres sint in diis intelligibilibus, occultisq; substantiæ, & prima quidem obsignata sit bono, ipsum videlicet bonum ex se intelligens, vbi sicut sacra eloquia tradunt, vnitas est paterna: secunda verò per sapiens designetur, vbi prima

viget

viget intelligẽtia: tertia per pulchrum definiatur, vbi intelligibilium eſt pulcherrimum, vt Timæus ait. nimirum & tres ſecundum has intelligibiles cauſas vnitates exiſtunt, ſecundũ cauſam quidem vniformiter in intelligibilibus conſiſtens, effulgentes verò primùm in ipſo ineffabili deorũ ordine, ſcilicet fides, veritas, amor. Fides quidem omnia firmat in bono: Veritas autem omnem in entibus cognitionem explicat. amor denique conuertit omnia, congregatq́; in ipſius pulchri naturam. Eiuſmodi ſanè trinitas hinc per omnes deorũ progreditur ordines, omnibusq́; ad ipſum intelligibile irradiat vnionem. Aliter autem per alios ordines ſe declarat, vires vbiq; ſuas deorum proprietatibus complicans. Alibi quidem eſt ineffabiliter, incogniteq́; & vnicè: alibi continentiæ, connexionisq́; ratione: alibi tanquam perficiens, atq; formans. hîc rurſum intellectualiter atq; paternè, ibi motiuè, viuificeq́; prorſus & effectiuè: illic tanquam imperans, & aſſimilans. ibi abſolutè penitus atque ſyncerè. illic multiplicatè iam atque diuiſim. Amor ergo ſupernè ab intelligibilibus vſque ad mũdana, deſcendit ad diuinam pulchritudinem omnia conuocans. Procedit & per omnia veri-

tas,

tas, illustrans cognitionibus omnia. procedit fides per vniuersum in bono singulatim omnia sistens. hinc diuina eloquia, omnia tradunt tribus his gubernari, in eisq; consistere. Quamobrem diis sacrificantes iubent deo per trinitatem eiusmodi se coniungere. Ipsa quidem intelligibilia propter inæstimabilem vnitatem medio non indigent amatorio. Vbi verò & vnitas entium est, atque discretorum discretio, ibi extat & amor. colligator enim est, & conciliator eorum, quæ sunt post ipsum, & quæ super ipsum. Conuersor sequentium in priora, imperfectorum reductor, atque perfector.

Prouidentia percurrit per singula vsq; ad minima, & interim nullis addicta.

QVi diligentiores sunt in rerum rationibus assignandis, duo hæc elemẽta potissima diuinæ, dæmonicæq; prouidentiæ tradunt. Primum per omnia desuper prouidentiam ad vltimũ vsq; procedere, ac ne minimũ quidem sui expers alicubi prætermittere. Secundũ nihil omnino eam ex gubernatis accipere, nec eorum natura repleri, nec eis alicubi commisceri. Non enim ex eo, quòd omnia seruet, atq; disponat, admiscetur, propterea guber

gubernatis.nam diuinum,atq; dæmonum naturam habet passionibus animarũ particularium non subiectã.Neq; tamen,dum separatim sequentia supereminet, propter ea ex deterioribus aliquid inordinatum, incultumq́; relinquit. Imo verò ob hanc ipsam causam omnia decenter exornat, atq; à dispensatis absoluitur. Est enim benefica pariter, atq; syncera,exornatrix omnium,atq; ab excultis interim expedita, per omnia currens,pręsertim quia cohibita nusquã. Viri quinetiam diuini inferioribus diligentissimè prouident simulatq; tranquillè.Quid ergo de diis ipsis, bonísque dæmonibus est dicẽdum?Nónne pręsentes omnibus liberi sunt ab omnibus? Implentes seipsis omnia nullis alicubi permiscentur ? discurrentes per vniuersum, nusquam vitam propriam addixerunt.Nõne confitebimur deos suas proles amare? Quemadmodum poëtæ fingunt, Iouem amare puellam, ipsamq; Venerem. Nempe quoniam amor eiusmodi prouisor est, & seruator, perfectorq;, & contemptor rerum diuinitus amatarum.Interea & beneficus, & syncerus, immistusq; habitudine nulla ad res affectus externas. Dic amabo, vnde nam diuinis interdum hominum animabus amatorium eiusmodi

priuil

priuilegium obtigiſſet,niſi prius diis ipſis ineſſet? Quicquid enim bonũ, & ſalutare cõpetit animabus, cauſam à diis definitã habet. Quamobrem & virtutũ omnium, corporaliumq́; bonorum, velut ſanitatis, roboris,iuſtitiæ,temperantię,exemplaria Plato probat præcedere penes deũ. Quantò itaq; magis amatorij muneris cauſam principalẽ apud deos eſſe fatebimur,quippe cùm amatorius hic affectus (vt Socrates in Phædro ait) diuino quodã munere ſit tributus? Dij igitur deos amant: antiquiores quidem minores,ſed prouidentię munere, minorẽ viciſſim maiores diligũt quodam, videlicet, conuerſionis officio. Perficere quidẽ deteriora,& inferioribus prouidere, animabus quoq;, qua ratione ſunt animæ,cõpetit.nam & ob hoc ipſum deſcendunt,propter rerum generabilium prouidẽtiam,curamq́; mortalium. Ita verò prouidere,vt prouidet gubernatis, nec miſceatur, nec velut addictus afficiatur, nec inde recipiat quicquam,deorum proprium eſt,dæmonumq́; bonorum:& quoties cõtingit animabus humanis, diuina, vel dæmonica largitate contingit. Solent ſacerdotes in ſanctiſſimis ſacrificiis, vel per verba,vel per ea,quæ oculis oſtenduntur,in admirationẽ,ſtuporemq́; præſentes

adducere. ſtupor enim deo animam exponere conſueuit. Socrates nunquam amatoriam vitam vſqueadeo rectam peregiſſet, niſi afflatu quodam dæmonis elegiſſet eam, & tenuiſſet electam.

Amor eſt medius inter amabile, & amantem: eſt magnus dæmon omnia ligans, & quæcunq; appetunt, ipſe medius primo copulat appetibili.

SAcra igitur eloquia hunc amorem domini indicunt omnia colligantem, omnibus inſidentem. hic ſanè, ſi connectit omnia, copulat & nos dæmonum præfecturis. Hunc Diotima magnum dæmonem appellauit, quoniam medium implet vbiq; inter illa, quæ appetunt, & quæ appetuntur. Ipſum quidem, quod eſt amandum, gradum ſibi vendicat primum. amãs autem gradum tertium ab amato. Amor denique vſurpat inter vtrunque medium congregans atque colligans inuicem appetens, atq; appetendum, & implens meliore deterius. Iam verò apud intelligibiles deos, atque reconditos, primæ, ſecretæq; pulchritudini, intelligibilem intellectum vnit per vitam quandam intelligentia meliorem. Itaq; Græcorum ipſe theologus cæcum illum appellat amorem. In illis autem, quæ extra intelligibilia ſunt,

nondum

nondum illuſtrat indiſſolubilem, cunctis ab ipſo perfectis. vinculũ enim vnio quędam eſt, ſed vnà cum diſcretione permulta. Quapropter eloquia ſacra huius amoris ignem appellare copulatorem ſolent: ab intelligibili nanq; intellectu procedẽs ſequentia cuncta inuicem, illiq; deuincit. Conciliat igitur intelligibili quidem pulchritudini deos omnes, diis verò dæmones, nos autem dæmonibus, diisq; coniungit. In diis quidem ſubſiſtit primò, in dæmonibus verò ſecundò, in animabus autem particularibus per proceſſum quendam tertium à principiis exiſtentem. In diis rurſum ſuper eſſentiam: omne nanq; deorum genus eſt eiuſmodi. In dæmonibus autem per eſſentiam. in animabus deniq; per illuſtrationis effectum. Atqui videtur hic trinus ordo, trinæ intellectus potentiæ ſimilis. Etenim intellectus alius quidem imparticipabilis extat ab omnibus particularibus generibus abſolutus. Alius verò participatus, cuius & deorum animæ tanquam melioris participes ſunt. Alius autem ab hoc infunditur animabus, qui ſanè eſt ipſarum perfectio animarum. Hæc autem tria de intellectu Timæus ipſe ſignificat. Intellectu igitur imparticipabili amorem diis inſitum

congruum intelligito. abſolutus nanque eſt & ille ab omnibus,quę ſuſcipiũt eum, & illuminantur ab ipſo. Intellectui verò participato amorem dæmonicum compa rato. Eſſentialis enim eſt & ipſe, ſeq́; ipſo perfectus tanquam præparticipatus intellectus , & proximè inſidens animabus, intellectui deniq; ſecundum habitum accepto. Tertium amorẽ illuſtratione animabus infuſum reddere debes. Nec iniuria vniuerſæ intellectuali differẽtiæ coniugatum cõſideramus amorem,intellectu enim intelligibili primam habet , occultamq́; ſubſtãtiam. Si enim prodĩit inde,& ibi per cauſam eſt fundatus.atqui mihi videtur & Plato hunc deũ apud Orpheum inueniſſe, eundem & amorẽ,& magnum dæmonem illic appellatum, atq; ipſe hoc hymno videtur fuiſſe contentus. Meritò igitur Diotima magnum Dæmonem appellat amorem. Et Socrates vbi de amore diſputat,diſputat etiam de dæmonibus.

Primò de dæmonibus communiter: ſecundò de dæmonibus familiaribus: tertiò de dæmone Socratis.

DIcẽdum eſt deinceps primò quidem communiter de dæmonibus : deinde de illis , qui nos ſortiti gubernant : tertiò de dæmone Socratis. Dæmones igitur à prima

prima viuifica idea ſortiti ſubſtantiam, atque inde velut ex fonte fluentes, eſſentiam nacti ſunt animalem, & hanc quidem magis intellectualem, illi, qui maiorem habent, perfectioremq́; ſubſtantiam, minus verò intellectualem, potiusq́; rationalem, qui media poſſident. Tertij verò, & dæmonici ordinis poſtrema tenentes, variam, magisq́; rationalem habent, materialemq́; naturam. Eiuſmodi igitur ſubſtantia conſtituti ad diuiſionem deorum pariter diuiduntur, vtpote qui ad deos miniſtrorum vice funguntur. Aliter enim reſpondent, ſeruiuntq́; diis penitus abſolutis, ante mundum cuncta exordientibus, atque ducentibus: aliter verò mundanis, qui mundi partibus proximè præſunt, qui & ſecundum duodecim deos ſupercœleſtes diſtribuuntur. Hi autem ſecundum omnes mundanorum deorum proprietates diſtributi ſunt. omnis enim mundanus deus ordini alicui dæmonum imperat, cui propinquo ſuam impartit potentiam. Deus nanque opifex vim largitur opificem. deus inconuertibilis incontaminabilem exhibet facultatem: perfector autem ſimiliter perfectoriam: atqui circa vnumquenque deum innumerabilis eſt dæmonum multitudo, eademq́; cum

diis ducibus cognomenta reportat. gratulantur sanè quando Apollines, Mercurij, Ioues nominantur, quippe cùm propriorum deorum proprietatē in seipsis exprimant. Proinde mortalia per hos dęmones diuinos nanciscuntur influxus: atque ita plantæ, & animalia fabricantur: hæc quidem horum, illa verò illorũ deorum imagines pręferentia. His quidem è proximo dęmones ducum suorum munera largiuntur, eminentius verò dij desuper dęmonibus præsidentes, quamobrem postrema primis in passione cõsentiunt. Primorum enim notæ sunt, in postremis: & postremorum in primis causæ comprehenduntur. Media sanè dæmonum genera implent omnia, simulq; connectunt, communionemq; ipsi omnium continent, dum deorum quidem participes sunt, à caducis autem participati. Siquis itaq; dixerit deum vniuersi fabrum, contra totius ordinis in dæmonibus firmauisse, à veritate nõ aberrabit. Quandoquidem & Diotima hunc vicis attribuit ordinem, connectentem videlicet diuina simulatque mortalia, deriuantem liquores supernè fluentes, in deos sequentia omnia referentem, denique vniuersa complentem, secundum medietatis ipsius connexionem.

Consu

Confutat opiniones duas, primam dicentem non esse alios dæmonas præter animas nostras à corpore solidiore solutas, secundã Amelij putantis dæmonas esse deos aliquos oberrantes.

NOn igitur admittemus eos, qui dæmones aiũt esse nostras animas, hac vita iam functas, in aliamq; trãslatas. Non enim decet dæmonem per habitudinem quandam consideratum in idem conferre, atq; ipsum essentia dæmonẽ, neq; medietatem mundanorum omniũ sempiternam ex vita quadam constituere multifariam permutante seipsam. Stat enim semper eodem pacto custodia ipsa dæmonica continuans vniuersa. Anima verò non ita suum retinet ordinem, vt ait Socrates in Republica: aliis nanq; temporibus vitas alias eligit. Nec illos iterum comprobabimus, qui deorum aliquos esse dæmonas arbitrantur, ceu erraticos deos, vt putat Amelius. Sed Platonẽ ipsum sectabimur, deos quidem dicẽtem dominos vniuersi, greges verò diis dæmonum subigentem: & vbiq; rationem Diotimæ comprobabimus, medium dæmonibus ordinem inter deos, mortalésque tribuentem.

De dæmonibus familiaribus. Item numerat quinque genera dæmonum, diuersaq; eorum officia.

 Cùm

CVm igitur dæmones in medio sint, vt diximus, constitui, primi quidem, atque summi inter eos diuini sunt dæmones, diiq́; frequenter apparent ob excellentem ad deos similitudinem. Nempe in vnoquoq; ordine primum, superioris ordinis formam præfert. Etenim intellectus ex se tanquam deus occurrit, & animarum antiquissima intellectualis existit, ideoq́; dæmonum quoq; supremum genus, vtpote diis proximum, vniforme est, atq; diuinum. Secundi verò post hos sunt dæmones intellectuali proprietate iam præditi, ascensionibusq́;, & descensionibus præsidentes, atq; omnino deorum effectionem declarantes omnibus, atq; tradẽtes. Tertij verò sunt dæmones, qui animarum diuinarum effectiones distribuũt in sequentia, complentq́; vinculum suscipientium, inde defluxus ad illas. Quarti vniuersalium naturarum vires efficaces in generabilia transmittunt, particularibusq́; naturis inspirant vitam, ordinemq́; & rationes, & vniuersam mortalium effecturam. Quinti corporei quodammodo sunt, corporúmque extrema deuinciunt. Quo enim pacto corpora sempiterna cõuenient cum caducis? quo modo efficientia cum effectibus, nisi eiusmodi medio

collig

colligante? Natura enim eiusmodi media bonis corporeis dominatur, omnibusq; copiis naturalibus prouidet. Plerique verò ex eorum numero versantur circa materiam, viresq; à cœlesti materia desuper in materiam descendentes continent, atq; contexunt, eamq; subinde custodiunt, & varietatem, picturamq; formarum in hac ipsa conseruant.

Officia dæmonum quinque: dæmones primi animas dijs proprijs copulant.

CVm igitur multi, multiformesq; sint, vt ait Diotima, dæmones, summi quidem animas procedentes à patre diis earum ducibus copulant. Nam vnusquisque deus ducit primò quidem dæmones, deinde verò particulares animas. Sicut enim Timæus ait, deus horum opifex, alias quidem animas in Solem, alias autem in Lunam, alias in deos alios seminauit. hi vtique dij sunt dæmones, qui secundum essentiam sortiti sunt animas, propriisq; eas ducibus copulant: atqui vnaquęq; anima, etsi circa suum deum se reuoluit, indiget eiusmodi dæmonis beneficio. Secundi verò dæmones ascensus animarum, descensusq; dispensant, atque ab his electiones animis sunt permultis. Nempe perfectissimæ animarum, quæ sine generabilium

commercio in generatione vitam agunt, quemadmodum proprio deo vitam consentaneam elegerunt, sic & secundum dæmonem diuinum viuunt, qui & manentes quondam apud superos eas deo proprio coaptauerat. Quamobrem Ægyptius Plotinum est admiratus, tanquam diuino quodam dæmone gubernatum. Itaque circa animas, quæ ita hîc vitam agunt, tanquam mox ad sublimia rediture, dæmon idem hic est, atque supernè. Circa verò minus perfectas, alius quidem est ipse secundum essentiam dæmon, alius autem, qui vitam nuper editam comitatur.

Tribus modis dicitur dæmon, aut essentia, aut comparatione, aut habitudine quadam.

SI hæc rectè posita sunt, nemo iam admittet animam nostrã rationalem dæmonem esse dicentes. dæmon enim aliud est, quàm homo, vt Diotima tradit, dæmonas inter deos, hominésque disponens. Quod & hîc Socrates ipse significat, vbi contra causam humanam causam dæmonicam diuidit, dicens, Non humana quidem causa, sed dæmonicum obstaculum me detinuit. homo autem est anima vtẽs corpore: non igitur dæmon idem, atque anima

anima rationalis est putandus. Iam verò & hoc manifestum est, vbi Plato in Timæo dæmonem ait, animalis in nobis rationem constitutam esse. Veruntamen hoc vsq; ad comparationẽ quandã nobis est admittendũ. Alius enim est ipsa essentia dæmon, alius comparatione dæmon, alius habitu, vel habitudine dæmõ. Vbiq; enim, quod proximè præest in quodam dæmonis ordine ad inferius sese habens appellare dæmonem consueuerunt, quo vsu Iupiter apud Orpheum, Saturnum patrem dæmonem appellauit: & ipse Plato in Timæo dæmonas nuncupauit deos illos, qui generationem è propinquo dispo nunt, vbi ait: De aliis verò dæmonibus tractare, eorumq́; generationẽ in lucem edere, maius est, quàm ferre humanũ possit ingenium. comparatione vtiq; dæmon est eiusmodi, qui videlicet proximè vnicuiq; prouidet, etiam si deus sit, ac etiam si deo sit inferior. Habitudine verò quadam dæmon dicitur animus, qui similitudine quapiam ad genus dæmonicũ mirabiliore, quàm secũdum hominẽ actiones edit, totamq́; vitam suam suspendit ex dæmone. Hac arbitror ratione Socratem in republica, dæmonas animos appellasse, qui vitam bene transegerint, & in meliorem

liorem translati sint sortem, locaq; augustiora iam colant. Ipse denique secundum essentiam dęmon, neq; propter habitudinem ad sequentia, neq; ob aliquã ad aliud similitudinem appellatus est dæmon, sed hanc per seipsum proprietatẽ est sortitus, atq; in existentia quadam, viribusq; propriis, modisq; differentibus actionum est distinctus. omnino verò anima quidẽ rationalis in Timæo dæmon animalis est appellata. Nos autem ipsum hominis dæmonem perscrutamur, non dæmonẽ animalis, atq; eum, qui rationalẽ dirigat animam, non instrumentum duntaxat illius. eum rursus qui tandẽ animali solutos anima, perducat ad iudices. Quemadmodũ Socrates asserit in Phædone, quando animal quidem non est amplius, dæmon autem vnumquẽq; ducit ad iudicem: dæmõ inquam ipse, qui sortitus fuerat & viuentem. Si enim eum ipsum viuẽtem nactus est dæmon, quem & post obitum iudicio sistit, nimirum hominem videlicet non animal solum nactus erat. quinetiam desuper exordiens, atq; imperans, constitutionem nostram gubernat totam.

Contra dicentes dæmonem esse vel partem animæ operantem, vel partem ei præpositam.

Sed

SEd neq; etiam probandi sunt, si qui anima rationali dimissa, dæmonē esse dicant ipsum, quod operatur in anima: ceu in viuentibus quidē secundum rationem esse dæmonem rationē, sed ira viuentibus irascibile: cupiditate, concupiscibile. Neq; rursum audiendi, si qui dixerint dæmonē esse, quod in ipsa vita nostra ei, quod operatur, proximè præsidet, ceu iracundis rationem, libidinosis iracūdiæ potestatem. Principio dicere dæmonas esse partes animę hominū, est humanam vitam nimium admirantium, neq; probātium Socratē in Rep. post deos, & dæmonas disponentem genus heroicum, & humanum, increpantemq; poëtas, quòd heroas nihilò meliores hominibus introducant, sed passionibus similibus mancipatos. Socrates igitur talia increpans, procul admodum ab hac erit opinione, vt dæmonas, qui heroibus præstantiores sunt, inter animæ partes, viresq; cōstituat. Ex his nanq; sequitur ipsa per essentiam meliora intus accipi ad deteriora complenda. Præterea vitarum mutationes varias, dæmonum mutationē adducent. Auarus nanq; in ambitiosam vitam sæpe mutatur. ambitiosus in habitum recta opinione viuentem. hic in habitum scientia præditum. Dæmon igitur aliàs simil

similiter alius erit. Nam pars ipsa agens in anima aliàs existit alia. Si igitur vel hæc ipsa pars operans, vel pars huic proximo præsidens dæmon fuerit, nimirũ vnà cũ humanæ vitæ mutationibus, dæmones pariter mutabũtur, atq; in eadem vita plures idem animus dæmones nanciscetur, quod fieri nullo modo potest. Nunquam enim anima in eodem vitę curriculo mutat dæmonis præfecturam, sed idem dæmon est ex ipsa genitura vsque ad iudicis vitæ præsentiam nos gubernãs, quemadmodum Socrates asserit in Phædone.

Dæmon nõ est particularis intellectus, sed substantia differens ab intellectu, posita in latitudine animarum.

PRoinde qui intellectum particularem idem esse putant, atq; dæmonem nos sortitũ, nõ rectè mihi videtur intellectualem proprietatẽ cum substãtia dæmonica cõfundere. Omnes enim dæmones in animarũ latitudine cõtinentur, animisq; diuinis posteriores existunt. Intellectualis autem ordo aliud quiddam est quàm anima, neq; eandem essentiam vel potẽtiam, vel actionem eãdem nacta sunt. Præterea intellectu quidẽ animæ perfruũtur, tunc demum, quando ad ipsum conuersæ fuerint, lumenq; inde susceperint, suamq; illi

con

coniunxerint actionẽ. dæmonis autẽ pręfectura potiuntur per omnẽ vitã, totumq; victũ atq; per omnia, quæ vel à fato proficiscũtur, vel prouidentia. ipse nanq; dæmon est, qui omnẽ vitã nostram regit, electionesq; nostras ante generationẽ factas implet, donaq; fatalia, & munera ducum fati deorũ, quinetiã illustrationes à prouidentia suggerit, atq; dimetitur. Iam verò nos tanquã animę quædã à solo intellectu pẽdemus, vt autẽ animæ vtẽtes corpore, egemus & dæmone. Quamobrẽ Plato intellectũ quidem gubernatorẽ animæ nuncupauit in Phædro, dæmonem verò passim hominum speculatorem, atq; curatorem. atqui nemo rectè considerans, aliã quandam vnam, & nobis proximam prouidentiam inueniet, ad nostra omnia pertinentem, præter dæmonicam prouidentiam, atq; curam. Intellectus enim ab anima rationali participatur (vt diximus) à corpore verò nequaquam: natura participatur à corpore, ab intelligentia minimè. Anima rationalis iracundiæ quidem, & concupiscentiæ dominatur: in rebus verò fortuitis non habet imperiũ. Dæmon verò solus omnia mouet, cuncta gubernat, nostra omnia excolit, atq; disponit: enimuerò rationẽ perficit, perturbationes tẽperat,

perat, naturam inſpirat, corpus continet, fortuita ſubminiſtrat, fatalia cõplet, prouidentię dona largitur. Vnusq; hic exiſtit vniuerſorũ, quæ in nobis, & circa nos ſunt rector totius vitæ gubernacula tenens.

Tria de dæmone Socratis, primum, quod eſt etiam deus: ſecundum, quod per vocem apparet: tertium, quod reuocat, nõ prouocat.

DE Socratis dæmone conſideranda nobis ſunt tria. Primum, quòd appellatur & Deus, vt hîc, & in Apologia patet. Secundum, quòd per vocem dabat Socrati ſignum, quod in Theage apparet, & Phædro. Tertium, quòd reuocabat Socratem, non prouocabat, quod teſtatur Apologia. Principio animarum diuinarum, quæ intellectualem vitam elegerunt, dæmones ſunt diuini in dæmonum quidem genere ſummi, deorum verò participes ante omnes. ſicut enim in diis eſt dæmon, ſic & in dæmonibus eſt & Deus. ſed ibi quidem ſubſtantia eſt diuina, proportio verò dæmonica. In dæmonibus autẽ proprietas quidem dæmonica, proportio verò diuinam declarat eſſentiã. Adeo enim cæteros dæmones antecellunt, vt dij frequenter appareant. Meritò itaque Socrates

tes dæmonem ſuum appellat, & deum, tanquam ex dæmonum ordine ſummum. Quapropter perfectus Socrates erat, tali videlicet dæmone gubernatus, & ad eiuſmodi ſui dæmonis normam ſeſe dirigẽs. Proinde quantum ad illam dæmonis vocem ſpectat, attende. Socrates ſanè primò quidem per intelligentiam, ſcientiamque rerum ſeparatarum inſpiratione dæmonis fruebatur ad diuinum amorem aſſiduè reuocante. Secundò verò & in vitæ negotiis dirigebat prouidentiam ſuam erga deteriores, atque ſecundum ipſam dæmonis actionem non intelligentia, ſiue cogitatione tantùm, neq; ſolis viribus opinantibus, lumen accepit inde procedẽs, ſed ipſo quoque ſpiritu, dum per totam eius vitam inſpiratio illa dæmonica repente procederet, ipſumq; ſenſum iam moueret. Conſtat enim eadem actione nobis deſuper imminente, aliter quidem rationem, aliter imaginationem, aliter verò ſenſum, dato munere perfrui, & vnumquodq; eorum, quæ nobis inſunt propria quadã cõditione à dæmone moueri, atque pati: non extrinſecus igitur paſſiuè vox in Socratem incidebat, ſed ex intimis inſpiratio per animam totam procedens, & vſq; ad ſenſuum inſtrumenta progrediẽs. Poſtremò

mò vox euadebat, in notitiam videlicet veniens, non tam ſenſu quopiam, quàm conſenſu. Tales enim à bonis dæmonibus, atque diis illuſtrationes contingere ſolent.

Dæmones alij ſub alijs dijs ordinati diuerſa inter ſe habent officia.

QVod autem de Socratis dæmone dictum eſt, reuocare videlicet, non prouocare, non omnibus dæmonibus noſtris eſt commune. beneficũ ergo Socratis ingenium, & charitate erga homines communiter plenũ, & vltro ad beneficia promptum, dæmonica exhortatione non indigebat, dehortabatur tamen eum dæmon, quoties vel importunè, vel ineptos ad diſciplinam ſuã aggrederetur, fræno videlicet potius quàm calcaribus indigentem. Præterea dæmonum alij purgatoriã, & incontaminabilem poſſident poteſtatem, alij verò genitricem, alij perfectoriam, alij opificem, atq; omnino ſecũdum deorum proprietates, vireſq;, ſub quibus ordinati ſunt, diuiduntur. Iam verò ſecũdum eorum ſubſtantiam ſinguli clientibus ſuis ad beatam vitam patrocinantur, alij quidem ad deteriorũ curam nos mouentes, alij verò ab actionibus retrahentes externis. Videtur itaque Socratis dæmon

mon proprietatẽ huiusmodi nactus, purgatoriam inquam & incõtaminabilis vitæ causam, at sub hanc Apollinis potentiam ordinatus præsidentẽ vniuersæ purgationi, virtute scilicet vniformi. hac ergo virtute dæmon à commercio vulgi nimio segregat, colligitq; ipsum ad animi penetralia, & actionem à deterioribus segregatam. Nempe sicut apud Orpheum Apollo præest Baccho, reuocans eum à processu in titanicam multitudinem, sic & Socratem eius dæmon, qui pedissequus est Apollinis. Intellectus enim noster est numinis Apollinei proles.

Substantias numinum & animorum cognoscere, est intellectus perfectè purgati: communiter verò per actiones eorũ cognoscimus potentias, per has auguramur essentias.

INter hæc Alcibiadi Socrates pollicetur dæmonis non substantiam, sed potentiam notam fore. Ait enim diuinus Iamblichus, substantias quidem dæmonum, & communiter omnium nobis superiorum, contemplari nobis difficillimum esse, nisi intellectum habuerimus perfectè purgatum. quandoquidẽ & ani-

mæ essentiam non vnicuique facile. Solus ergo Timæus omnem eius essentiam declarauit. Qualis enim est omnino, diuina, longaq; expositione indiget, qua declaretur, vt Socrates ait in Phædro. potentias autem numinum facile est explicare: nam ab actionibus, quarum proximè matres sunt ipsæ vires, eas ipsas potentias persentimus. Media nãq; inter actionem, & essentiam potentia est, producta quidem ab essentia, actionẽ verò producẽs. Præterea ipsa potentia maximã cum dæmonibus familiaritatem habet. Vbique enim potentia dæmonis instar medium obtinet: & in rebus quidem intelligibilibus patrem, intellectumq; coniungit. Potentia enim est simul cum patre, intellectus autem existit à patre. In rebus autem intellectualibus cum essentiis copulat actiones: actio nanq; est potentiæ proles, essentia verò potentias ex se parit. Numina igitur inter nos, deosq; media propriè per nomen potentiæ designantur, vbique medium possidentis. Vera enim essentia verumq; esse penes deos existit. Potentia verò diis rite ministrans in dæmonibus habet locum. Actio deniq;, & effectio per eorum potentiam progressa foras, versatur in nobis.

Cognitio futurorum contingentium, est apud superos certa. atque necessaria.

DIuinus Iamblichus, atq; dux ille noster ita quærunt atq; soluunt. Quomodo non est absurdum, ex natura rerum cognoscendarū differentias cognitionum determinare, atq; non contrà, scilicet cognitionum, siue cognoscentium differentiis cognoscenda diuidere? Ita vt quod per essentiam æternum est, atq; diuinum, æternè, atq; diuinè cuncta cognoscat: quod humanum est, cognoscat humanè. quod sanè indiuiduum est, nimirum & indiuiduè: vel quæ diuidua sunt, anticipet: quod æternum, super tēpus etiā tēporalia: quod rationale, inrationalia quoq; rationaliter. Ex his itaq; patet deos, atq; dæmonas cognoscere indefinita definitè, instabilia stabiliter, atq; firmiter. nón ne videmus, multa, inferioribus nostris incognita nobis interim esse nota? Inrationalia enim vniuersalis ipsius naturā apprehendere nequeunt. Nos autem colligere possumus: Quidnam igitur vlterius admiramur, quæ nos ambigua, & fallaci cognitione coniicimus, hæc superos firmiter cō prehendere? Non enim nostra debilitas est illorum potentiæ iudex: quemadmodum neq; irrationale nobis inferius, ha-

berrationis nostræ iudiciũ,quamuis irrationali, quod est in nobis, vel extra nos, nostram intelligẽtiam moueat.

Cur non absurdum sit coniecturalem quidem futuri præsensionem alicubi reperiri,stabilẽ verò,determinatamq;,& indubiã, inueniri nusquam? Ipsa nãque natura rerum non potest ab imperfectis, ab impuris,à rebus cũ contrario mistis exordia ducere. si autem futuri coniectio est ignorantiæ particeps,neq; cõstat,vbinam ipsa est per se futuri notitia? Vbi purum ipsum, à quo quidem & quod posterius est,& illius cupidum, substantiam est sortitum,nisi apud superos?

Superi nobis bene consulunt, etsi præuideant nos non optemperaturos eis.

APollo Pythius Laio respondit consulens ne filium generaret, alioquin dæmonum violentiæ subditum. Prȩuidebat tamen interea Laium oraculo nõ obtemperaturum.sed Phœbus tanquam bonus proposuit ei vitæ melioris electionẽ. Et Laius sanè illi quidem nõ credidit, sed propter propriam ignorantiam futuris est periculis circumuentus. Omnes quidem probi viri actiones ad ipsa sui intima vergunt.Itaque si beneficè,atq; diuinè fuerit operatus,finẽ iam suum habet in actione

videlicet propria constitutum, etiam si extra nihil fuerit inde perfectum similiter, & circa nos sæpe dæmones operantur. Proinde diuina frequēter inferioribus videntur occurrere, atq; præcurrere, interim è suis sedibus non discedentia, sed dum in seipsis permanent propter aptitudinem suscipientis, videntur accedere. Nam & in deorum inuocationibus, & occursibus sponte factis accedere ad nos quodammodo videtur ipsa diuinitas, nobis videlicet profectis ad ipsam. Mos Pythagoreis erat per signa in corpore constituta venientes ad eos iudicare, vtrū ad meliorem vitam apti forent, nécne. Natura enim ipsa, quæ animis confingit corpora, instrumenta eis congrua subministrat, imaginesq; animarum in corporib⁹ indicat, per quas & animarum ingenia in hac arte periti deprehendere possunt.

Regula dialectica de propositionibus necessariys, atq; contingentibus.

PEriti in dialecticis dicere solent, etiam si quis decies mille propositionibus necessariis vsus fuerit, vnicam verò interseruerit contingentem, conclusionem omnino deteriori similem euasuram: similiter si ipsum, quod à nobis cognoscēdum est, habeat penes se aliquid materialis, in-

ſtabiliſq; naturæ commiſtum, proculdubio efficit, vt noſtra de hoc ipſo cognitio indefinita ſit, & ambigua. Cognitiones enim inſtabilium rerum non ſunt à redargutione ſecuræ, ſed per aſſimilationem quandam vix talia comprehenduntur. Talis autem eſt & naturalis virtus, quia vbique, quod imperfectum eſt, tãquam materiæ cognatum, facillimè permutatur. Ipſa per ſe ſufficiẽtia primùm eſt penes deos. boni nanq; ſunt dij, atq; ſuper eſſentiales bonitates quædam, & entiũ omnium plenitudines, per quos, & cæteris omnibus ſufficientia competit intellectibus animis diuinis, dæmonibus nobis, & alia quidem participationè quadam ſufficientia ſunt, dij autem ipſa ſubſtantia. Quamobrem communis, immutabiliſq; ſentẽtia beatitudinem deſignat ſufficiẽtia. quibus enim competit habere ſe bene, eiſdem ſufficiẽter habere ſe conuenit.

Anima rationalis à primo opifice mundi, inrationalis à dijs iuuenibus. Ideo illa eſt hac nobilior.

ANimam in nobis rationalem, anima inrationali nobiliorem eſſe dicimus, quoniã illam quidem primus mundi opifex procreauit, hanc autem dij iuuenes produ

produxerũt.huius ſanè generoſitatis, ipſa familiarum nobilitas eſt imago, quæ tamen ignobilitatem habet admiſtam, viciſſimq; mutatur:ſtabilis autem,& ſempiterna generoſitas animarum à diis ducitur, circa quos olim ſatæ dicuntur, atq; à diuinis potentiis,ſub quibus ordinatę fuerunt. nobiliores enim animæ ſunt, quæ ſublimiorũ deorũ pediſſequæ ſunt, atque à maioribus potentiis dependentes ſecundum diſtributionem in vniuerſo diſpoſitam.Idem quoq; de ciuitatibus aſſero.Deſuper enim ſecundum ſortes differẽtia ad animas vſq; deſcendit. Atq; dicimus deos quidem alios eſſe igneos, alios cœleſtes, alios ætherios, alios poſtremò terrenos. Rurſum animarum, alias eſſe ex ſphæra ſolari, alias mercuriali, alias verò lunari. Atq; eſt eiuſmodi ſecũdum loca diſtributio animarum talis, vt ea re vera gloriari quis poſſit. Non autẽ nobilitas ſecundum terrenos genitores,& vrbes.

Perfectiores animæ, ſublimioribus dijs dæmonibus, quæ circa illos accommodatæ fuerunt, atque viciſſim.

SOcrates inter hæc deſignat differentiam bonorum dæmonum nobis ſecundum eſſentiam prȩſidentium,atq; potentias, quas ſortiti ſunt in mundo. Item anim

animarum perfectiores quidem potẽtioribus subiectas esse dæmonibus, ab eisq; seruari, atq;, vt expedit, vbiq; dirigi: imperfectiores autem inferioribus subesse dæmonib⁹. sicut enim circa deos animæ pro dignitate sunt satæ, sic etiam sub dæmonibus rite sunt ordinatæ, & quemadmodum deos duces, sic & dæmonas curatores pater ille, faberq; mundi traditur animis præfecisse. Quapropter Socrates curatorem sui appellat præfectum sibi dæmonem, atque deum, manifestè asserens Alcibiadi hunc duntaxat esse verum hominis curatorem, qui sit & beatitudinis autor propter eius mirabilem potestatem; quod sanè nullus hominum nobis efficere valeat.

Ordo rerũ exigit, vt post idealẽ causam sint res semper ideæ participes, stabilesq; omnino, deinde res ordinatæ, semperq; mutabiles.

AMor à corporea pulchritudine pendens, mutabilis est. Quoniam est & illa mutabilis. Nefas verò est effectus alicubi conditionem supergredi causarum, atque meliores illis euadere. Nam & vbi causæ sunt ordinatę, sæpe effectus inordinati nascuntur: vbi stabiles causæ, exitus sæpe mobiles: vbi determinatæ, frequẽter indefi

indefinitæ contingunt. Igitur multò magis ex causis statu,ordineq; carentibus effectus ordinis,statusq;expertes eueniunt. Series vniuersi desuper per eiusmodi gradus deuenit ad extrema, quæ tādem talia sunt,quæ permutari possint,sibiq; ipsis naturalem vendicare mutationem:quemadmodum circa iustum,aliud quidem est primo iustum, ipsumq; iustum neq; participatione tale, aliud autem illius primò particeps, quod & semper est particeps:aliud denique aliquando quidem particeps, aliquando verò à participatione cadens.Neque enim fas erat ipsum iustū sterile permanere, nulli prorsus quicquam suæ proprietatis impartiens: nullum sanè primorum est eiusmodi, sed sterilitas ipsa soli materiæ tanquam rerum infimæ competit. Neq; rursus fas erat, quod primum aliis participandum fuit, participari primo ab eis, quę solum quandoque participant. Nam ab ipso, quod simplex penitus, immutabileq; consistit,hoc certè,quod compositum est,atq; mutabile, nimis est alienum. Ideoq; medio quodam vinculo indiget ad illius contactum.Nec iterū quod participatum est ab eis, quæ inde semper illustrari possunt, oportuit vsque ad hæc ipsa duntaxat suum sistere munus, ne in

vniuer

vniuerſo ſit extremum hoc ipſum, quòd principiis ſemper eſt ſuſpenſum. Oportet igitur triplicem, ſicut diximus, ordinem conſtituere, non ſolùm circa iuſtum, ſed circa pulchrum, æquale, ſimile, & ſpecies denique rerum omnes.

QVemadmodum dij curationes morborum, id eſt peccatorum animis, & fruges oportunis temporibus adhibentes, beneficio eas afficiunt: ſic & viri diuini oportunitatẽ quærunt ad diſciplinam, ſed dij quidem intellectuali, diuinaq; forma oportunitatum menſuras ipſi determinant, homines autem eas ſciẽtia proſequuntur. ſunt & qui inter homines ex inſpiratione dæmonica eas aucupantur. Bonorum nanq; dæmonum præſentia, familiaritáſque, præcipuam vim habet in nobis ad oportunitatem infallibiliter vbique captandam. quod & Socrati contingebat. Iam verò quemadmodum locus vnicuiq; corpori ab ipſa natura propriè deſtinatus eſt, ſic & temporis partes aliæ aliis conueniunt actionibus. & quemadmodum totius mundi quidam circuitus ſunt fœcunditatis, ſterilitatíſve cauſæ, animalium, atque plantarũ: ita ſingulis actionibus aliud cõuenit, aliudq; tempus ad actionem hãc, aut illam perficiendã. eiuſmodi verò tempus

pus eſt, actionis cuiuſlibet oportunitas, tanquam bonum, atq; finem agētibus afferens, & effectis. Quapropter Pythagorici primam quoque cauſam, à qua omnibus bonum adeſt, oportunitatem ipſam nominauerunt: quippe cum omnibus, vt perfecta ſint, largiatur. Tali quadam occaſione Socrates per dæmonem ad Alcibiadem fretus eſt, accedens ad eum nonnulla dicturus, quando & Alcibiades cogitabat ad eum proficiſci eadem rogaturus. Vniuerſa enim hunc in modum inuicem coaptantur, omnibúsq; ita communio bonorum vbiq; perficitur, dum videlicet cauſæ quidem perfectoriæ ad tradēdum promptiſſimæ ſunt. Suſceptura verò ad participationem expergiſcuntur, & illæ rurſum potentiam porrigunt perfectoriam: hæ autem potentiam aptitudinis à natura ſuſceperunt. Duplex enim potētia eſt, altera quidem agentis, altera patiētis: & illa mater eſt actionis, hæc verò perfectionis eſt ſuſceptaculum. atqui oportet tum quod effecturum eſt, exuberans in ſe eſſe, atque ad agendum ita promptum, vt etiam ſi ſuſcepturū ſubſit nullum, ipſum tamen per ſe ſit perfectum, atq; vltro motum ſit ad dandum, tum etiam quod paſſurum eſt, ad participationem gliſcat, ſeq;

ipſum

ipſum perfectoriæ admoueat poteſtati. atque etiam ſi illa non adſit, tamen per aptitudinem ſummam ad participationẽ fuerit experrectum. Cùm enim duæ ſint cauſæ, aliæ quidem immobiles, & omnibus vbiq; præſentes, aliæ verò mobiles, & aliquando præſentes perficiendis, aliquando verò diſtantes: & intelligibilia certè ſimiliter vbiq; adſint, omnibusq́; ſemper eodẽ modo ſua munera largiantur, ſenſibilia verò adeſſe participantibus, viciſsímque abeſſe poſſint, quemadmodum ſol nunc adeſt, implétque lumine, deinde diſcedit: cùm inquam ita ſe res habeant, quando aptitudo quidẽ ineſt participaturo ad aliquam immobilium cauſarum, tunc & hęc adeſt ſimul, & efficiẽtis cauſæ munus abſoluitur. In talibus enim ſola ſubiectorũ ineptitudo ſolet munera prohibere. quoniam quę traditura ſunt, & ſemper tradũt & ſunt ſemper vbique ſimiliter. Quod igitur euaſit, aptum fit, & cauſæ ſubitò particeps. at quando ad aliquam mobilium cauſarum aliquid fit paratum, ſæpe, etſi hoc expoſitũ eſt, quod tamen traditurum fuerat, abeſt. Oportet enim hoc & nuper adeſſe, quandoquidem locum requirit ad dandum. Omnino verò, quemadmodum diximus, neceſſe eſt, per omnes bonorum

com

communiones hæc duo præcedere, tum datoris perfectoriam potestatē, tum consummatam aptitudinem suscepturi, atque largitoris perfectionem, cum suscipientis præparatione cōcurrere, & vna cum eiusmodi concursu ipsam efficientem causam patienti secundum essentiam superferri. Concursum quinetiam eiusmodi non esse fortuitum, neque ab inordinatis, & rebus non coordinatis obtingere solet aliquid ordinatum: quemadmodum, quæ casu inuicem cōfluunt. sed necessum est conspirationem talem alicubi quidem per naturam fieri, alicubi verò per intellectū. Item alibi à causa quadam dæmonica, & alibi potius à diuina. hac sanè conditione Socrates cum Alcibiade oportunè concurrit ad idem. huius autem oportuni congressus, bonus dæmon causa extitit oportunitatem Socrati conueniendi determinans. ipsa namque oportunitas desuper à diuinis exordiens vsque ad extrema progreditur, & alia quidem oportunitas est à diis determinata: alia verò dæmonica, fatalis alia, alia verò fortuita. Fortuna enim, vt inquit, oportunitasq; omnia humana gubernant.

Quæ attentius in patria videras, eorum imagines hîc ante alia sequeris.

Animæ

ANimæ nostræ hîc peruagantur circa imagines eorum, quæ in prima viderant, & ad eas imagines magis afficiũtur, quorum exemplaria illic attentius contemplatæ fuerant. aliæ nanq; animæ aliis sunt accommodatæ spectaculis, ideo aliæ aliis imaginibus incumbũt. eorum enim, quæ illic inspexerant, similitudines amãt. Quæcunque verò magni Iouis insuper pedissequæ fuerunt, vnáque cum illo circumiuere, ordinem habente ducalem inter duodecim principes vniuersi, hæ profectò secundum speciem sui dei etiam huc profectæ imperiosam vitæ speciem appetunt, & quod re vera imperiale est, ignorant, apparentem verò principatum inter imagines prosequuntur. atque, si sapientes nactæ sint præceptores, affectus eiusmodi eis peruenit ad salutẽ per quendam ad cœlestia reditum: sinautem inter imagines moras traxerint, desinunt in tyrannidem. Hinc ait in Rep. Socrates, animas nuper profectas è cœlis, imperiosas potissimum eligere vitas. Cùm enim paulo ante vnà cum diis cœlestibus circumuenerint, inspexeríntque vires eorum omnibus dominantes, affectant ipsæ quoq; vitam eorum similem cæteris imperantẽ. Et plurimæ quidẽ affectu eiusmodi abutuntur,

tuntur, rectè verò vtuntur admodum paucæ. Præstantissimam quidem vitam Plato ponit contemplatiuam: secundam, ambitiosam: tertiam, voluptuosam vel auaram. Contemplatiuam quidem eligunt animæ venientes cœlitus, educatæq; rectissimè: Ambitiosam quoque venientes è cœlo, sed educatæ deterius: reliquas venientes è terris.

Naturalis in cunctis sententia est, deos animarum occulta cognoscere.

OMnes homines naturaliter intimas cogitationes suas, & passiones, & appetitus ad deos loquuntur, persuasi videlicet per immutabiles anticipationes, ipsam diuinitatē omnia nosse, ipsa etiam animarum occulta momenta. Omnis certe copula, communióque ratione confecta, indiget præsentia dei. Quid enim aliud & multa vnit, & congregat segregata, nisi diuinitas?

Deus prouidentia sua nostrum confirmat arbitrium.

DIj animabus vitas proponunt, & eisdem, postquam elegerint quæcunq; electæ vitæ conueniunt, certa sorte determinant. atq; ita libertas arbitrij in media prouidentia continetur, mouetúrq., & determinatur inde, & in medio vertitur. hæc

manifestè in Repub. describũtur, vbi propheta vitas proponit animis ex genibus. Lachesis sortes accipiẽs, atq; clamans inter animas, ô animæ diurnæ, & cætera. & propositio quidem per medium prophetam fit à Lachesi. Electio verò circa vitas ibi propositas, ipsarũ iam est animarum. Iam verò propheta illic animarũ electiones in se ipso cunctas anticipans, ita demum sortes proiicit. profectò res ipsa, quę instabilis & indefinita videtur, semper in superioribus, perfectioribúsque secundum vnum terminum & stabiliter, & ordinatè antè comprehenditur.

Tres Platonis sententiæ.

EX Platonis verbis hîc tria colligimus: primum, ipsum malè esse, omnino deterius iudicandum quàm non esse: secundum, separationem animæ à corpore liberare nos à malis, quæ versantur in regione caduca, & ab impedimentis, quæ hîc consecutionem conuenientis finis impediunt: tertium, ipsos animarum appetitus ad vitæ formas valere quamplurimum: neque nos esse tales, vt ab externis duntaxat formemur, atque moueamur. Ex nobis enim ipsis electiones promimus per quas vitam agimus.

Superi sententia certa tenent, quæ in rebus sunt incerta.

ACcipies hinc sententiam admirandam, quæ videlicet præstantiora sunt vniformiter, vbique anticipare deteriora: at verò deteriora potentiæ superiorũ non æquari. Item cognitiones superiorum in seipsis deteriorum actiones firmiter comprehendere. Cognitiones autem inferiorum totam superiorum actionem comprehendere nunquam posse. Quod superius est, nihil à deterioribus in se accipit, quemadmodum neque cœlum ex mutatione accipit aliquam sublimarium passionem: neq; immobilis causa ex motu mundanorum mundanum aliquid intromittit: nec omnino quæ sunt æterna ex rebus agentibus, temporaliter quicquam in seipsis admittunt. Hæc denique quod necessarium est, dum cuncta cognoscit, mutationem sustinent in eo etiam cognoscendo, quod est contingens.

Argumentatio duplex per negationem, & affirmationem. illa resoluit, ista cõponit. & vtraq; cum ipsa natura animæ congruit.

SI Alcibiades assignare nequit tempus, in quo putauerit se nescire illa, de qui-

bus nunc consultat, certè nec illa quæsiuit aliquando, nec à præceptoribus didicit vnquam. Quòd si neque quæsiuit, neque accepit ab aliis, profectò nec didicit, nec inuenit: si nec didicit, nec inuenit, meritò neque nouit: si non nouit, non est bonus iudex, in quibus assignare nequit tēpus, quando se nescire putauerit. Vides profectò quemadmodum si hoc pacto disputatio producatur, tum quidem compositione, tum verò resolutione procedimus: affirmatiua quidem compositione, negatiua verò resolutione dicentes. Hæc autem scilicet compositio, atque resolutio prorsus naturæ animæ conuenit, quæ quidem à perfectioribus ad deteriora per compositionem rationum & appositionem alienorum quorundam indumentorum labitur, quousque in densum hoc, solidúmque vinculum includatur. Vicissim verò ad excelsa resurgit, per resolutionem, expulsionémque eorum, quæ ab ipsa eius natura dissentiunt, donec euadens nuda, vt sacra tradunt eloquia, speciebus omnino separatis à materia coniungatur. Quamobrem argumentatio per affirmatiua procedens, à perfectioribus ad imperfectiora descendit: procedens verò per negatiua vicissim.

Ipsum

Ipſum bonum quamuis eſſentiam intelle-lectualem ſupereminеat, ſolum tamen ad infimum vſque ſe porrigit.

IPſum bonum tanquam ſuper naturam intellectualem in ſe conſiſtens, ſi dictu fas eſt, vſque ad poſtrema deſcendit, illuſtrans omnia, & conſeruans, exornanſq́;, & interim ad ſe conuertens. Primò quidem ipſis verè exiſtentibus adeſt: ſecundò diuinis animis: tertiò numinibus humano generi præſidentibus: quartò noſtris animis, atq; deinceps animalibus, & plantis, omnibúſque corporibus. Ipſi denique informi materiæ infimæ rerũ fæci, ipſum profectò bonum clàm, ineffabilitérque ante omnem ordinem, proprium munus exhibet omnibus. hæc autem illud vbiq; participant, aliter, atque aliter ſuo quælibet ordine. & quatenus vnaquæque naturaliter apta ſunt, bonum inde reportant. hæc quidem debilius, efficacius illa: hæc vniformius, illa magis conditione partibili: hæc inſuper ſempiternè, mutabiliter illa. res nanq; diuiniores quemadmodum indiuiduam habent eſſentiam, ſic & bonum indiuiſum poſſident, & vnitum. Quę verò à principiis longius diſceſſerunt, in diſtantia quadam, & diuiſione iam poſita bonum proprium comparant. Quapropter

propter talia cœtu quodam ad idem contendente, mutuáque conspiratione penitus indigent. Vt quandoquidem vnumquodque non habet sufficientiam, quod est elementum boni, saltem per communionem mutuam suppleat naturæ defectum. Atque ita debilitatem suam diuisione factam, conspiratione corroboret. Hac vtique ratione homines singuli seorsum debiles in commune ad consilium congregantur, diuisam ita mentem inuicem copulantes, & quasi è scintillis multis lumen vnum accendere contendentes. ipsa quidem multitudo nunquam per seipsum sibi communiter conferens compararet, nisi circa vnum aliquid, in ea præualens simul ordinaretur. hoc enim circa omnẽ rerum ordinem contemplari licet. Multitudinem scilicet vbique vni congenitam esse, atque per cognatum vnum reuocandam ad vnitatem ipsam penitus absolutam. Ipsum diuinum bonum, ideo cunctis sui inseruit appetitum, vt per hunc bona nobis impertire valeret.

Mercurius est autor nobis inuentionis, & disciplinæ.

MErcurius, vt Iouis nũtius paternam animis explicat voluntatem, atque ita nobis exhibet disciplinã, atq; iterum,

vt

vt inquisitionis est autor, inuentionem suis præstat alumnis. Iam verò quando disciplina à superis venit in animas, est inuentione præstantior: quando verò ab æqualibus ceu hominibus cognitricem in nobis potentiam suscitantibus, est inuentione deterior. Inuentio igitur media est, naturæ animæ conueniens per se mobili. Per hanc enim vis ipsa in nobis per se viuens, & per se operans potissimum declaratur. Disciplina verò vtrinque se habet, atque secundum melius implet animam à causis eius superioribus, secundum verò deterius ab eis, quæ sunt extra nos, vitalem in nobis vim suscitat conditione quadam aliunde mobili. Quòd autem etiam à superis cognitio quædam rerum nascatur in nobis, ipsi dij manifesta sui præsentia, expositionibúsque satis sæpe declarant, ostendentes animis ordinem vniuersi, atque præcurrentes velut duces in ipso itinere ad diuinum, atque faces quasi phanales in signum itineris suspendẽtes.

Propter notiones rerum nobis innatas putamus nos omnia nosse.

ANimæ nostræ premuntur ignorantia duplici, putantes quidem se plurima nosse ob ingenitas sibi rerũ ab initio

notiones, ignorantes autem propter obliuionem. Qui igitur hac duplici premitur ignorantia, nihil vltra perquirit, ſicut neq; ſapiens ipſe quærit. atque in hoc ipſo eſt quodammodo ſimilis ſapienti. Quemadmodũ & materia deo per diſſimile quandam ſimilitudinem, vt rectè quidam tradit. Sicut enim materia eſt informis, ſic & Deus, & vtrunq; infinitum eſt penitus, & ignotum. Tametſi hæc omnia deo quidẽ ſecundum melius, conueniunt: ſecundum verò deterius, materiæ competunt.

Anima per acquiſitam ſciẽtiam fit menti ſimilis: per duplicem ignorantiam, ſimilis fit materiæ.

ANima per ipſam quidem ſcientiam euadit intellectui ſimilis ſecundum actum ipſum cognobile comprehendens, quemadmodum intellectus intelligibile: ſecundum verò duplicem ignorantiam, fit materiæ ſimilis: ſicut enim materia omnia videtur habere, cùm nihil re vera poſſideat, ſic & duplici ignoratione laborans, videtur ſibi, quæ non habet, habere. Proinde duplex animarum cognitio eſt. Vna quidem indiſtincta, pérque intelligentiam ſimplicem, atque nudam: altera verò dearticulata, & ſciẽtiæ compos, & ambiguitatis expers. Videmur enim,

vt

vt ipſe ait, quaſi per ſomnium omnia noſſe, eademq́; per vigiliam ignorare, vtpote, qui per eſſentiam quidem rationes habemus, & quaſi cognitiones earum hinc expiramus: ſecundum verò actum, productionemq́; non ſatis habemus. Notionem igitur ſpecierum per eſſentiam nobis inſitam, atque conſtantem, tempus non antecedit, ab æuo enim hanc habuimus. Sed notitiam ſecundum productionem, diſtinctionémque rationum effectam præcedit tempus. Itaq; quo tempore primùm hanc acceperimus, aſſignare valemus. noui enim, quòd quid ipſe ſit circulus, in hoc tempore didici, quídue iuſtitiæ ſpecies ſit in alio: ſimiliterq́; de aliis, quorum ſcientias, etiam ſecundum actum habemus. Itaque de qua quidem re, ſiue rei, de qua reminiſcamur, tempus non ſatis recolimus. Reminiſcentiæ verò ipſius, eſt tempus aliquod certè determinatum.

Ætates ſeptem, planetis ſeptem congruæ.

AEtatum ordo ſequitur ordinem vniuerſi. Prima quidem ætas lunarem ſequitur poteſtatẽ. Tunc enim ſecundum nutritiuam, vegetalemq́; viuimus facultatem. Secunda mercurialem, quando literarum, citharæq́; & luctæ, ſimiliumq́; ludorum, ſtudiũ exercemus. Tertia veneream,

quando turgent membra seminibus, & ad genituram protinus incitamur. Quarta Solarem: tunc enim regnat vigor, ætatisq; perfectio properat, ætásque media. Quinta Martiam, in qua potentias, & victorias affectamus. Sexta Iouiã, quæ prudentiam & vitam actiuam, ciuilémque desiderat. Septima Saturniam, in qua naturę consentaneum est à generatione desistere, seq; à corporeis segregare, & ad alteram, incorporeamq; vitam se transferre. Superiora vbiq; inferiorum cognitiones vnicè complectuntur, atque præstantius. Quæcunque enim sensus materiali conditione cognoscit, eadem immaterialius imaginatio percipit: quæ opinio sine causa reputat, eadem per causam scientia cõprehendit, atq; ita deinceps præstantiora semper per eminentiam absolutam vniuersam cognitionem in se continent inferioribus competẽtem: itaq; & dæmonem præfectum nobis nihil nostrorum latet, non motus animi, non potentia naturalis, non fortuita permutatio: sed ille cuncta vnicè circunspicit, atque gubernat. In hoc vniuerso fines omnes omnium in eo dispositorum ad ipsum finem mundi conducunt. Vt enim mundus perfectus foret, sicut Timæus ait, animalia cuncta, tam diuina

uina quàm caduca sunt genita. Similiter in ciuitate rectè disposita partium omniũ fines, fini ciuilis peritiæ seruiunt. Item sicut vnumquodque eorum, quæ in generatione versantur, secundum speciem vnicã habet esse, ideoq; non est infinita, ipsum verò intelligibile est omnia, quandoquidẽ sensibilium habet causas: sic & quilibet priuatus artifex plurimum est ignorans, semel verò peritus: ipse verò ciuilis est absolutè prudens. Nouit enim & finem proprium, & aliorum fines, atq; cæteras artes ad vnam dirigit ciuitatis vitam.

Per harmoniam in cælo regnantem superi reliqua harmonicè cuncta contẽperant.

COelum concentu, motionumq; concinnitate plenũ est. Deinde numina nobis superiora harmoniæ cœlitus præcedentis participia sunt. Post hæc hominum vita rectè disposita consonantiã morum, & actionum concinnitatem suscipit inde, eorundem quoq; superorum munus vsque ad bruta, plantasq; descendit. Nam hæc quoq; harmoniæ naturaliter participia sunt. Superi nanq; harmonica ratione mundana omnia continent, atq; perficiũt, & inuicem accommodant, & ad mũdum. Intellectui quidem corpus per mediam animam harmonica ratione concinnant.

Circ

Circuitui verò idẽtitatis ratione constanti, generationẽ per medium circuitum alteritati (vt ita dixerim) deputatum. Igni deniq; terrã per vincula media. Præterea quãlibet animam harmonicis rationibus excolunt. Et vnumquodq; corpus similibus copulant vbiq; mensuris, atque motũ quẽlibet musicis peragunt vbiq; mẽsuris. Habitus igitur in nobis musicus, munus quidem est Musarum, quãuis earum imago postrema. Habitús enim in nobis artificiosi, atq; contẽplatiui, deos præsides habent, originemq; inde deducunt.

Qui ignorat finalem causam, ignorat omnem causam.

IGnorãtia finalis causæ circa rem quamlibet efficit, vt & cæteræ causæ ad eandem pertinẽtes similiter ignorẽtur. Quoniam finis est causarũ prima, præcipuaq; atque potentissima: huius enim gratia, & efficientes causæ faciunt, & quę fiunt efficiũtur. quapropter Timęus eiusmodi causam apud sapientes optimã arbitratur habẽdam: duplicem in sophista Plato tradit animæ prauitatem. quarum vna quidem ignorantia est in rationem cadens, altera verò discordia inrationalis partis ad rationalem. Eiusmodi quidem discordia est animę morbus: ignorantia verò deformi-

tas.

tas. Cùm enim ratio in vniuerſa anima ordinem habeat ſpeciei, meritò prauitas rationis eſt animæ turpitudo, ſicut rationis virtus eſt animæ pulchritudo. Fit enim ignorantia quidẽ propter irrationalis potentiæ dominatũ: cognitio verò propter rationalis imperium. Deformitas autẽ animæ ſuperata ratione contingit, quãdo videlicet proprias actiones inconcinnas, & incongruas edit inefficaces, & ineptas ad finẽ. Oportet in anima excolẽda, ſublatis impedimentis, animã rerum contẽplationi penitus admouere. Ineſt nanque nobis cognitio veritatis: prohibemur autẽ, quo minus animaduertamus eam propter paſſiones ex generatione nobis obſtantes: paſſiones inquam obliuionem, opinionem vnam, imaginationes falſas, appetitus immoderatos, quibus expulſis, in ſeipſum eſt animus conuertendus, ita veritate ſubito fruitur.

Finis belli iuſtitia: finis pacis amicitia, quæ eſt optabilior quàm iuſtitia.

BElli quidem finis eſt iuſtitia, pacis autem aliud quiddam excellentius bonum, amicitia ſcilicet atque vnio. Finis enim vniuerſæ virtutis eſt, vt Pythagorici tradunt, Ariſtotelesq; confirmat, vt omnibus iam factis amicis, iuſtitia nõ vlterius

rius egeamus, quando videlicet sublatum fuerit meum & non meũ. Atqui iusti sint omnes, adhuc tamen opus amicitia homines congregante. Esse verò bellorũ principium iniustitiam declarat ipsum bellũ, quod materiales formæ inter se committunt. Pugnat enim calidum contra frigidum: non quando loco disiuncta sunt, sed quando alterum alterius sedem occupare contendit. Cùm enim sede illud indigeat, meritò repugnat extrinsecus venienti, conantiq; ipsum è sua sede detrudere, quocirca rationes insitæ in natura inuicem absque seditione concurrunt. Nam vnaquæq; in seipsa consistit. Formę verò materiales, cùm nequeant seorsum à materia permanere, meritò de communi hospitio inter se decertant, quippe cùm hoc vtrasq; formas inter se contrarias in se absq; confusione suscipere nequeat.

Quomodo anima descendendo variè vestiatur, & rursum purgetur, redeátque vicissim.

DEscensus animæ in corpus seiunxit quidẽ illã à diuinis animis, à quibus intelligẽtia, & potestate, puritateq; implebatur. Coniunxit verò generationi, & naturæ, materialibusq; rebus, a quibus obliuione, & errore, & ignorantia est imbuta.

Nam

Nam animæ deſcendenti adnatæ ſunt ex mundo multiformes vitæ, veſtesq; variæ trahentes quidẽ ipſam in compoſitionem caducam, obſtantes autem contemplationi ſeparatorũ. Oportet igitur animã hinc ad naturam illam peruigilem rectam ducendam, amputare ſecundas, tertiasq; vires deſcẽdenti ſubortas, ſicut marino glauco, herbæ, petræ, conchæ: cohibere verò impetus extra ferentes. Reminiſci rurſum rerum ſeparatarum, eſſentiæque diuinæ, vnde eſt facta deſcẽſio, & ad quam omnẽ vitam contendere decet.

Anima per ſe mobilis eſt, corpus aliunde mobile, ſed propter mutuum commercium alter alterius conditionem ſubit.

ANima per eſſentiam eſt mobilis ex ſeipſa, ſed cõiuncta corpori quodam modo euaſit etiam mobilis aliunde. ſicut enim ipſa ſua præſentia dedit corpori vltimũ ex ſe mouendi veſtigium, ſic & ipſa propter corporeum cõtubernium conditionis notam ſubiit mobilis aliunde. Igitur ob potentiam ſe mouentẽ anima fœcunda eſt, & inuentioni propẽſior, rationesq; parit, atq; ſcientias. Sed propter conditionem mobilem aliunde, indiget frequenter ab aliis excitari. Iam verò perfe-

ctiores animæ ad inuentionē sunt promptiores, imperfectiores verò magis externis indigent adminiculis. Illæ enim magis ex se mobiles sunt, minusq́; deterioris naturæ participes: hæ verò minus ipsæ se mouent, magis sortem corpoream patiētes. Veruntamen hæ quoq; quando proficiunt, à corpore videlicet, resurgētes, seq́; ipsas ex materia colligētes, fœcundiores: inuentricesq́; euadunt protinus circa illa, in quibus antea erant steriles & ambiguę propter ignauiam ineptam vitæ à materia contingentem, sordidumq́; torporem ex generatione cōtractū. Nos igitur ita mediocritatē seruātes rationalis naturę, conditionisq́; causas assignamus pertinentes præcipuè ad habitus eius imperfectiores, atq; perfectiores: viasq́; eiusmodi arbitramur ad perfectiones eorū. Quicūque verò rationes de his assignātes mediocritatem minimè seruant, sed vel ad melius surgūt, vel ad deterius deflectuntur, hi à veritate animæ procul aberrant. Neq; enim probamus eos, qui tradūt animam lapsam in corpus humidum, eiusq́; obstaculo impeditam, ab initio esse dementem, humore verò paulatim propter innatum calorem exhalante, magisq́; temperato, prudentē animi potentiam conualescere. Hic enim

perf

perfectionis modus corporeus, & materialis est iudicandus, supponitq; perfectionem animę ex contemperatione corporis proficisci. Anima verò ante elementa, generationemq; totã, suã habet substantiam, estq; vita quædam, neq; corpori, neq; naturæ permista. neque rursum admittimus eos: qui animam putant esse quandam diuinæ essentiæ partem, partem verò hanc esse toti persimilẽ, semperq; perfectã. tumultũ verò, perturbationesq; circa illud versari, quod in nobis est animal. Qui enim hæc aiunt, animã semper perfectam fingũt, semperq; sciẽtẽ, nec vnquã reminiscẽtia indigentẽ, semperq; passionis expertem, nec aliquãdo deprauatam, tametsi Timęus essentiã animę nostræ nõ ex primis ait omnino generibus constitutam, quemadmodum superiores animas, sed ex secundis tertiis ve compositã. Et Socrates in Phædro inquit, vires nostras esse boni cõtrario mistas, dissensionisq; mutuæ plenas. atq; hanc ob causam aliquando meliores, aliquando deteriores superare solere. Quid plura? nónne ipse inquit, aurigã quoq; nostrum aliquando deprauari, scribẽs videlicet prauitate ipsius aurigæ multas animas claudicare? multas item plures perdere pennas? sed quidem aurigaria po-

testate in nobis est antiquius. Hæc vtique est, quæ reminiscitur diuinorum, vtiturq; secundis, tertiisque viribus, vt ministris, quod planè docemur in Phædro. Profectò, sicut diximus, mensuras animæ conseruare debemus, rationesq; perfectionē, & profectum animæ assignantes, neque ex corporeis, neque ex diuinis traducere, vt ita Platonis simus interpretes: neq; ad opinionem propriam philosophi verba detorqueamus. Postquam igitur anima aliquando imperfecta est, rursumq; perficitur, & obliuionem patitur diuinorum, & iterum recordatur, cōstat & tempus ad perfectionem eius conducere. Quo enim pacto ex imprudentia ad prudentiā transfertur, & in virtutem à prauitate, nisi per tēpus mutationes efficeret? Omnis enim mutatio spatio tēporis agitur. Hæc vtiq; dicta sint de perfectione communiter animarum. Ex his autem accipiamus, oportere eum, qui istum norit, ex ignorantia in cognitionē eius aliquando pertrāsisse, neq; semper ipsam iusti rationē in promptu prorsus habere, quemadmodum illi nobis superiores. imperfecti nanq; ab initio nascimur: neque rursum propter ipsam mutationem corporis, cognitionē quoq; iusti nobis obtingere. Nō est enim essen-

tia

tia noſtra corporea, nec materialibus conſtituta. Neceſſe eſt omnes animæ mutationes tempore menſurari. Vnde & Ariſtoteles in anima mutationem ſecundum actus,& habitus,eorumq́; oppoſita,collocat temporalem. Quòd igitur anima coniuncta corpori,& à prauitate, ignorãtiaq́; tranſiens in oppoſita, interuallo temporis indiget, nemini dubium. Quidam verò animam ipſam ſeorſum in ſe manentem arbitrantur ad agendũ tempore non egere, ſed contra tempus ex ipſa creari. hoc autem arbitror aliquam rationem deſiderare. Duplex enim tempus eſt,vnũ quidem vnà cum naturali vita, corporeoque vniuerſi motu natum: alterũ verò per incorpoream vitam procedens. Hoc igitur animarum quoq; diuinarum circuitus dimetitur. Rurſumq́; animarum noſtrarum actiones perficit etiam ſeparatas, ſecũdũ verò tempus vnà cum naturali vita porrectum vitam quidem noſtram vnà cum corpore actam metitur, vitam autẽ ipſam animæ ſecum ipſa viuentis nullo modo. Eſt tamen aliqua in nobis ſcientia ante omne tempus: ſit & aliqua tempore. Socrates igitur ſcientiam ſecundum actum expreſſam ſpectans, inquirit, quodnam ante hanc tempus extiterit. Alcibiades au-

tem sciẽtiam saltem possidens in essentia positam, propter quam putat etiam scire, quæ nescit, nequit assignare tempus, quo primùm acceperit eam, ab æuo enim hãc habemus. Quapropter si alter quidem de alia scientia loquitur, alter verò de alia, vera sunt vtraq; : scilicet & tempus scientiam præcessisse, & non habere in promptu tempus, quod affirmes scientiam pręcessisse. ante enim scientiam nondũ consummatam tempus est nullum. ante verò scientiam actu perfectam tempus extitit.

Multi gradus, per quos à multitudine ad vnum ascendimus contemplando.

PLato, & Pythagoras iubent fugere multitudinem, vt veritatem simplicissimam consequamur. Multitudinem quidem exterioris populi, nos multifariam distrahentis, atque fallentis: interioris quoque populi multitudinem multò magis. hæc enim magis distrahit, atque fallit. Primam ergo fugito variam affectuum multitudinem: secundò sensuum: tertiò imaginationum: quartò opinionũ inde pendentium. omnis enim multitudo iam dicta tam in se diuersa est, vt alia aliis in qualibet contraria sint, vnde præstat ad scientias se conferre, in quibus multitudo

iam

iam contrarietatē habet nullam. Nam etsi affectus affectibus contrarij sint, sensus quoq; sensib⁹,imaginationes imaginationibus, opiniones opinionibus, nulla tamen scientia scientiæ contraria reperitur. In hac igitur propositionum,notionumq; multitudine,cōgregemus in vnum scientiarum quoque numerum, vno quodam vinculo connectamus. Tantò enim abest, quòd inuicem contraria sint, vt etiam notio notioni seruiat, scientiæq; inferiores omnes superiori ministrent, habeantq; sua ab illis exordia. Oportet hîc insuper à multis scientiis,quæ præsupponunt vnā, ad ipsam vnam se conferre, nullam vlterius supponentem,atque ad hanc primam omnes rite referre. Post verò scientiam, eiúsque studium, expedit iam deponere compositiones, & diuisiones, multiformesq; discursus. atq; illinc ad intellectualem vitam, simplicesq; intuitus, & perceptiones eius ascēdere. Scientia enim non est summus cognitionum apex, sed super eam est intellectus, non intellectum inquam duntaxat ab anima separatum, sed ipsam quoq; illustrationem animæ illinc infusam, de quo & Aristoteles ait, intellectū esse, quo terminos cognoscimus. Atq; Timæus hunc ipsum inquit, in nullo vn-

quam alio præterquam in anima fieri: ad intellectum igitur hunc ascendentes vnà cum hoc intelligibilem essentiã contemplemur. Perceptionibus videlicet indiuiduis, atq; simplicibus indiuisa, simpliciaq; entium genera speculantes. At verò post venerabilẽ intellectũ, ipsam deniq; summam animæ (vt ita dixerim) existentiam, per quam vnum sumus, & sub qua vnitur multitudo nostra, suscitare fas est. Quemadmodũ enim per intellectum nostrũ diuinum tangimus intellectum, sic & primum vnũ, à quo omnibus inest vnio, per vnum, & tanquam essentiæ nostræ florem attingere licet. per quod sanè nostrũ vnũ diuino maxime iungimur. Simili nanque simile vbicunq; comprehẽdi potest: scibilia quidem scientia, intelligibilia intellectu: vnitissimæ entium mensuræ animæ vnitate. Iam verò hæc vnitas perq; ipsam actio, est actionum nostrarum summa: diuini per hanc efficimur, quando videlicet omnem multitudinem fugientes in ipsam vnitatẽ nostram confugimus, vnumq; efficimur, & vniformiter agimus. Hactenus fugiendam multitudinem admonuimus per gradus cognitionũ ordine procedentes: deinceps per gradus cognobilium ad idẽ comprobandũ similiter proceda

cedamus. Senſibilia fuge omnia, congeſta enim ſunt, & diuidua, ac penitus mutabilia. ideoq; ſyncera notitia teneri non poſſunt. ab his igitur ad eſſentiam incorpoream te transferto. Omne nanq; ſenſibile habet aduentitiam vnitatẽ, perq; ſeipſum eſt diſperſum, & infinitate plenũ, propterea & bonum eius eſt partibile, & aduentitium, & à ſemetipſo diſtans, atq; diſſidens, atque in ſede reſidens aliena. Cùm verò aſcenderis illuc, & inter incorporea fueris collocatus, conſpicies animalem illum ordinem ſuper corpora mobilem quidem ex ſeipſo, per ſe agẽtem, in ſe, & ex ſe ſuam ſubſtantiam poſſidentem, multiplicatum tamẽ, anticipantemq; in ſeipſo apparitionem quandam eſſentiæ, circa corpora diuidendæ. Ibi ſanè videbis rationum plurimas habitudines, proportionesq; varias, & vincula multa. Item tota quædam, & partes, & circulos animales, varietatem virium multiformẽ. Præterea animarũ perfectionem non æternam, non ſimul totam penitus conſiſtentem, ſed euolutam tempore, & in diſcurſionibus ſe verſantẽ. talis enim animæ natura eſt. Poſt verò multitudinẽ animis competẽtem te confer ad intellectum, & intellectualia regna, vt rerum poſſideas vnitatem. ibi quidem

naturæ illius, contemplator esto. Spectato manentem in æuo naturam, vigentem vitam, intelligentiam vigilantem, cui nihil deest vitæ, quæ ad perfectionẽ suam curricula temporis non desiderat. Vbi hæc inspexeris, & quanto interuallo animis sunt meliora, quære deinceps num aliqua ibi sit multitudo: & intellectus, cùm sit vnus, nunquid sit etiam vniuersus. Item, cùm sit vniformis, an sit insuper multiformis. Inuenies quidem ita se habere. Cùm ergo perspexeris intellectualem illic multitudinem, quamuis indiuiduam penitus, & vnitam, ad aliud rursum principium te traducito, atque superintellectuales essentias, vnitates earum considerato, ac denique vnitatẽ ab omnibus absolutam. hucusq; profectus, omnem multitudinem dereliqueris, & ad ipsius boni fontẽ iã peruencris. Cùm per hæc pateat perfectionem animæ cõparari ex eo propriè, quòd omnem, & externã, & internam, & ipsam vniuersi multitudinem fugiamus: hinc quoq; concludere possumus, animas nostras non à sensibilibus cognitiones duntaxat colligere, nec à rebus particularibus atq; diuisis, ipsum totum vnumq; inuenire, sed ex intimis promere disciplinã, & quod in rebus apparẽtibus imperfectũ est,

est, emendare. Non enim decet existimare ea, quæ re vera non sunt, esse præcipuas causas cognitionis in anima existentis: & quæ inter seipsa dissident, indigentq; rationibus, & argumẽtis animę, ambiguaq; sunt, scientiam omnino præcedere eodem modo manentem: neque etiam quæ variè permutantur rationes in vno consistentes progenerare: neq; indeterminata determinatę intelligentiæ causas esse. Non igitur à multis, sempiternorũ veritatem accipere decet: neq; à sensibilibus vniuersalium iudiciũ, atque discrimen, neque à rebus ratione carentibus iudicium, sententiamq; bonorum: sed oportet animam se ipsam ingrediẽtem, ibi verum, bonumq; ac veras rationes omniũ perscrutari. Plena enim est horum animæ ipsius essentia. delitescunt verò ex obliuione genesica. Quærit igitur anima verũ, exteriora spectãs, ipsum interim essentia possidens, bonumq; foris explorat, se ipsa deserta. Hinc igitur sui ipsius cognitionẽ exordiri quisque debet. Si enim in hominum multitudinem intuitũ distrahamus, nunquã vnam eorum speciem discernemus, obscuratam videlicet multitudine, diuisioneq;, & discordia, mutationeq; multiplici eorum, qui speciei participes sunt. Sin autẽ in nosipsos

aciem conuerterimus, hîc vtique & rationem vnam, & naturam vnam hominum speculabimur à disturbatione semotã. Merito itaque Socrates longè segregat animam à multitudinis conspectu cognituram: quid re vera sit homo, opinionesq; contemplationis huius impedimenta redarguit. Multitudo nanque impedimento nobis est ad animi conuersionem in se ipsam, atque ad vnius speciei notitiam. Hîc enim varietas obumbrat vnum, alteritas obscurat identitatem, dissimilitudo obfuscat similitudinem. nam circa materiam species sunt confusæ, & meliora deterioribus sunt commista.

Vita propriè naturalis animæ, nõ est in corpore terreno, sed sublimi, ideo firmæ omnes hîc ægrotant, atque delirant.

NEmo mirari debet, si cùm dicamus, quod est naturale, frequentius esse eo, quod præter naturam, & hoc quidem contrahi in angustum: naturale verò per vniuersum amplificari, hominum tamen plurimos, ignorantes esse fatemur, & malos, contrarios autem quampaucissimos. Non enim naturale est animis vnà cum corporibus vitam degere, & in generatione versari: sed contrà separata, immaterialis, incorporea vita potius est animis

consen

consentanea. Quando igitur in generatione versantur, similes sunt hominibus pestilentem habitãtibus regionem:quando verò extra generationẽ viuunt, vt Plato inquit, similes sunt prata colentibus. Quemadmodum igitur non est mirãdum inter eos, qui pestifera loca incolunt, languere quamplurimos, paucissimos verò naturalem valetudinem conseruare, sic & animas in generatione positas plurimas quidem obnoxias passionibus, atque prauas esse mirari non debes. Contrà verò stupendum foret, si animæ eiusmodi corporibus inuolutæ his nodis adstrictæ, tãta circunfusæ mutatione aliquando sobriæ, puræ, imperturbatæ reperiãtur. nónne stupendum est animam immaterialiter in rebus materialib⁹ viuere, & in caducis incontaminatã se alicubi cõseruare? atque cùm iam eiusmodi pocula biberit, non esse his pharmacis consopitam? Re enim vera obliuio, error, inscitia pharmaco cuipiam similis est, in locum dissimilitudinis animas deflectenti. Quidnam igitur admiraris, multos quidem, secundum vitam esse lupos, multos verò porcos, plurimos autem alia quadam bruti specie circunfusos? cùm terrenus locus Circes ipsius sit diuersorium: animęq; multæ ob immode-

ratam

ratam concupiſcentiam venenoſis ineſcatæ ſint poculis : illud autem , illud potius admirare, ſi qui inter mortales vſquā̃ reperiantur eiuſmodi potionibus non permulcti, non etiam irretiti, ſi qui Mercurij munere freti in rationem, ſcientiamq́; ſe conferant. Quemadmodum enim mirari non debes, ſi in tartaro proſpexeris animas cruciatas : (talium enim ille locus) ſic etiam ſi in generatione viuẽtes animæ plurimæ perturbatæ , ſint ignaræ , dementes. tales enim animas deſiderat generatio. Sicut igitur in cœlo quidem bonę ſunt omnes, in tartaro autem omnes improbæ : ſic in generatione plures quidem prauæ ſunt, pauciores autem probæ. Generatio enim non ad extremorum melius, atq; diuinius declinat, ſed deterius.

Malus neque cum alijs conſentit, neque ſecum.

IMprobus ſecum ipſe conſentire non poteſt. Neceſſe enim eſt, tum propter naturam rationalem videre, quodammodo verum, tum propter imaginationem perturbatam, plurimum ignorare , ſecumq́; diſſidere. Declarat hoc pœnitentia remiſſis perturbationibus veniens. Intemperatus igitur propter intelligentiam diuinitati cognatam , diuina quandoq; cogitat,

atque

atque loquitur: ſed propter concupiſcentiam, imaginationemq; perturbatā a temperantia diuina longè diſcedit. Cúmque ſemper ſecum ipſe pugnet, nimirum cum aliis conſentire non poteſt.

Quicunque ſciunt aliquid, circa illud omnino conſentiunt.

OPortet eos, qui ſciunt aliquid, circa illud eſſe concordes. Cuius quidem concordiæ cauſa prima eſt ipſa rerum determinata natura: ſecunda, quòd ipſa cognitionis iudiciaria ſunt eadem apud omnes: tertia, quòd in primis principiis, intellectus ad ſeipſum eſt vnitus. Ideóque quicquid eſt, intelligentiæ compos eſt, & particeps vnionis. Scientia quidem illuſtratio quædam eſt, ex intellectu dependens: concordia verò illuſtratio eſt, ex vnitate procedēs. Eſt enim vnio differentium. Neceſſe eſt igitur ſcientiæ eiuſdem participes inuicem conſentire.

Quiſque noſtrum eſt anima, & hæc in ſe habet, ſpecies omnes diuinas, atq; naturales.

TOtum Platonis conſilium hoc in libro eſt, nos in ipſam noſtri reuocare cognitionem, atque demōſtrare eſſentiam noſtram in ſpeciebus, rationibúſque conſiſtere. Atq; ſcientias omnes ex ſe ipſa

prodii

producere, & in ſe ipſa ſpecies omnes diuinas, & naturales agnoſcere. Perfecta quidem noſtri cognitio foret ab eſſentia vires, ab his actiones diiudicare. Cognitione verò noſtri communione potimur, ex actionibus vires, ex viribus eſſentiam animæ cognoſcentes: hęc quidem tria inuicem in anima confluunt. Nam & eſſentia eius eſt actu, & actio eſſentialis exiſtit. Hæc enim intellectualis fit, ſecundum actum. hęc autem eſſentiæ fit cognata, ſecundum ipſius perfectionem.

Anima libero motu ſe ducit, ſibi bonum præbet, ſe purgat, ſe erudit, etiam quando aliunde erudiri videtur.

ANimalia quidem ratione capta, impulſu gubernantur externo, & aliunde curantur, ea videlicet conditione, qua mouet ipſe motor, orbata ſcilicet ea facultate, qua aliquid ſeipſum ducere valeat, atque ſeruare. rationalis autem anima propter ipſam per ſe mobilem, & per ſe operantem proprietatē ſuapte natura poteſt circa ſe ipſam agere, ſeq; mouere, bonumq; ſibi ipſi præbere. Iam verò purificatio nobis non accidit ab externis, ſed ex intimis animæ ducit originem. Omne nanq; malum ab externis accidit, atq; eſt animæ

animæ peregrinum, ex intimis verò bonum.anima enim naturaliter eſt boniformis. Et quanto fit perfectior, tanto vitam ſibi vendicat ex ſe mobilem, quippe cùm fiat aliunde mobilis ob corporale commercium, & effectum. Quapropter quicquid accipit ab externis, remanet appoſitum extra ipſam, ſicut ſenſibilia, & imaginatione percepta. Sola verò illa ſunt in ipſa, quæ ab ipſa in ipſam fiunt, ab eaq; producuntur. Purgatur igitur ex ſeipſa, quandoquidem ratio à ſeipſa incipiens, deſinit in ſeipſam. Hac igitur ratione rectè intelligitur, quod Socrates ait, ſcilicet inter diſputantes, dicentem eſſe propriè, qui reſpondet. Hic ergo ſi redarguitur, redargutus verò purgatur, certè, dum purgatur, ſe ipſum purgat, & ab ignorantia liberat, redargutionem adhibens ipſe ſibi. Quod quidem naturæ animæ ſe mouenti conſentaneum eſt. Quod ſanè dictum confirmat etiam illud, diſciplinas eſſe reminiſcentias: quod enim reſpondentes ex ſe ipſis omnia dicant, maximum eſt reminiſcentiæ ſignum, animas videlicet rationes, ſermonesq; ex ſe ipſis promere, atque ſolo ſuſcitante quopiam indigere. Neque eſſe tabellas vacuas literarum, quæ extrinſecus figuras accipiant. ſunt enim ſemper

inſcri

inſcriptæ,& ipſe ſcriptor eſt intus. Neque tamen omnes inſcripta legere poſſunt, vel quod inſcripta ſint, cognoſcere: quippe cùm ob geneſicam obliuionẽ oculus earum ſit ſordidus circunfuſus, atq; ex ipſa obliuione in paſſiones inciderint. Solum igitur opus eſt auferre, quod obſtat appoſitum. non autem neceſſaria eſt extrinſecus iniecta notitia. habent enim animæ in ſe ianuas veritatis, ſed terrenis, materialibusq; ſpeciebus obcluſas. Si quis igitur diligentiſſime res demonſtret, animæ incitatæ quidem aliunde, promentes autem ex ſe ipſis ſcita reſponſa, ex hoc ipſo declarant verũ eſſe Platonicum illud, animam omnia noſſe, ſoloq; indigere quodam ad reſpondendum extrinſecus incitãte. Præterea, quòd aliquis, cùm eruditur, ipſe ſe ipſum purget, dæmonicæ poteſtatis eſt opus. nam dæmones non extrinſecus in nos agunt, ſed tanquam ex puppi nos intus dirigunt, & gubernant. neq; nos purgant tanquam corpora quædam aliunde mobilem nacta naturam, ſed curant tanquam mobiles ex ſe ipſis. Hac enim ratione tamen & bona præbent, & paſſiones expurgant. Socrates igitur vicem boni dæmonis agens, oſtendit adoleſcentem non tam ab alio, quàm à ſeipſo redargui.

Quare

Quare malus, & ignorans secum & cum alijs dissideat. quare bonus consentiat, & scientes inter se sint concordes.

Contingit meritò plerisq; ad se ipsos discordia frequens: quoniam aliqua quidē à sensibus intromittunt, aliqua rursum ab imaginatione, aliqua ab opinione frequenter, nonnulla ab ira, à cōcupiscentia multa. Non enim solùm ex opinionibus tales quædā passiones mouētur hominibus, sicut Stoici tradunt, sed etiā contra propter passiones quasdā, & impetus, opiniones sæpe permutant, quandoq; ex optimis pessimas sæpe reportant. Hi ergo à multis principiis, atq; potentiis, & his quidem deterioribus multiformes in se motiones accipientes, nimirū animam dissidentem habent, atque discordem. Scientia verò præditi ab vno quodam superiore principio cognitionem suscipiunt vniuersam. intellectus enim eis principia tradit. Iam verò omnes sententiæ veræ, filiæ sunt intellectus. Cùm igitur à tali quodā principio simplicitate procedant omnes, meritò omnes inuicem sunt concordes.

Qui putant hominem esse ex anima, corporeq; compositum, consequenter vtile ab iusto seiungunt: qui verò hominem esse animam, coniungunt.

VTrum idem ſit iuſtũ, atq; vtile, cęteri quidẽ diſſentiunt. Platonici verò idẽ eſſe cẽſent. Nam Epicurei ſanè, & Stoicorum quidã, finem noſtrum ponẽtes ipſum ſecũdum naturã viuere, atq; Peripatetici, qui bonum noſtrũ ex neceſſariis cõplent, non facilè poſſunt idem eſſe iuſtum, atq; vtile cõfirmare: ſimiliter & quicunq; hominẽ aiunt eſſe corpus animatum, vel ex corpore, animaq; compoſitum. Vulnera enim, cædesq; fugiet aliquis, vel iniuſtè, vt animal cõſeruetur. quippe cùm cuiuſlibet animalis bonũ ſit ſecundũ naturam ſe habere, & in hoc habitu cõſeruari, hîc igitur vtile diſſentit à iuſto. Quicunq; verò finẽ ipſum in anima collocãt corporeis non egentẽ, hominemq; ipſum eſſe putãt animam vtentẽ corpore, hi certè iuſtum, atq; vtile facile iudicãt eſſe idem. Vtrunq; enim in anima ponũt, & paſſiones inſtrumẽtorum ab ipſis vtẽtibus eſſe ſeiunctas intelligunt. Argumentatio verò probans iuſtũ eſſe vtile ita procedit: Omne iuſtum eſt pulchrũ, omne pulchrũ bonum. omne igitur iuſtum, bonũ. Atq; bonum & vtile idem eſt, omne igitur iuſtum eſt vtile.

Anima contrahit in ſe ſpeciem rei, cui adhæret: item de vehiculis diuinarum animarum, atq; noſtrarum.

ANimæ, ſpecies etiam eorum ſibi contrahunt, quibus ipſæ ſe coniungunt: nempe quando ſe aſſimilant intellectui, mox immutabilitatem ſecundum opiniones, atq; vitam ſibi vendicant: quando verò generationi ſe copulāt, nouitatem vbique ſectantur, & tum in has, tum in illas feruntur opiniones: rationesq; ipſas animæ ſemper ſtabiles minimè ſentiunt. Significat inter hæc Plato generoſiores, & ingenioſiores animas intelligentiam habentes puritatis deorum inuiolabilis, atq; hanc ipſam ſuo idolo inſerentes, etiam circa apparentem puritatem quodammodo occupari ſolere. Quandoquidem & diuinorum indumentorum inuiolabilis eſſentia eſt, & immaterialis eſt puritas, quā ſanè oportet animas induere, ſua videlicet indumenta cognata purgantes, veſtéſque ſuas incontaminatas à generatione ſeruantes, neque totum in externarum veſtium puritate ponentes.

Scientia vna in ſe manens implet multos non diminuta, hinc conijcimus animam eſſe à corpore ſeparatam.

EIuſdem ſcientiæ minus eſt vni perſuadere, atq; multis, in quā quidem Platonica ſentētia quaſi quidam hymnus, & celeb

celebratio ſcientiæ cōtinetur hunc in modum: quanta & qualis vnaquæq; ſcientia ſit, hinc apparet, quòd intellectus ipſius imitatione eadem ſcientia vnumquemq; implet cognitione, cunctóſque ſimul. eſt quidē indiuiſibilis, & confidens in ſeipſa, & interim omnia participātia ſui perficit inſtar mentis, quæ quidem ex ſe tradit omnibus interim ab vnoquoque ſeorſum. Hæc vtique eſſentiam noſtram iudicant à corpore ſeparatam, & in ſeipſam manentem. ſiquidem ſcientia, quæ perfectio noſtra eſt, talem poſſidet facultatem: corporeæ nanque potentiæ quando ſe tradunt, ipſæ ſe minuunt. Scientia verò vna, eademq; permanens indeminuta ſufficiens vni, multisq; pariter ſeipſam exhibet. & anima igitur ſimiliter eſt toti corpori præſens, omnibusq; membris, quamuis alia aliter membra participent.

Propheticus eſſe aliquis ſine ſcientia poteſt. propheta verò certò ſcit, quod pronuntiat.

VBi Plato ait, vaticinatores, ſignificat illum opinione quidem non ſcientia, quod ibi prænuntiat præſagire: nam vaticinales quidem non ſcientia præditi ſunt, ſed opinione feruntur: qui verò nō ſolùm vaticinatores, ſed etiam vates ſunt, iam ſcien

ſcientia potiuntur, potioremq; humanam ſcientiã habent. Significat etiam generoſiorũ animarũ impetus, atq; motus quodammodo à ſuperis ſuſcitari. propterea quòd etiam præter opinionem agant, ſæpe etiam ſi abſque ſcientia operentur.

Bonum, pulchrum, iuſtum, ſuperintelligibiliter intelligibile, intellectuale, eſſentia, vita, intellectus.

INter principia rerum ipſum bonum ſupereminet pulchritudinem, & pulchritudo iuſtitiam: bonum nanq; ſuper intelligibilia extat in loco inacceſſibili ſitum. pulchritudo verò occultè quidem in primis intelligibilibus permanet. Explicatius autem in ipſo ordinis illius fine. Iuſtitia deniq; vnitè quidem in primo intellectualium ordine permanet: conſequenter verò in calce intellectualis deorum proceſſionis effulget. Rurſum ipſum quidem bonũ regnat in diis, pulchritudo in mentibus. Iuſtitia regnat in animis, quapropter & iuſtum quidem pulchrum eſt. Non tamen omne pulchrum eſt & iuſtum: ſed ipſa pulchrorum cauſa iuſtitiã antecedit. item, omne pulchrum bonũ, fons autem bonorum omnium præcedit omne pulchrum. Rurſum, iuſtum quidem eſt bo-

num per mediam pulchritudinem bono cõiunctum, bonum verò superius est ambobus. Sic vtique inuenies rerum etiam extrema consideras. Materialis enim causa, quamuis bonũ aliquid sit, turpe tamen est, atq; deforme, vnius particeps quidem est, speciei tamen expers. quod verò sensibile est, pulchritudinis quidem vestigia possidet, iustitiæ verò nequaquã. Hinc in Phædro Socrates ait, inter caducas imagines nullum esse iustitiæ, temperantiæq; splendorem: pulchritudinem verò solam priuilegium id habere, vt euidentissimè pateret vbique, & desiderabilissima foret. Vbi igitur iustum est, ibi pulchrum. vbi pulchrum, ibi bonum, siue prima principia spectare volueris, siue principiorum illustrationes vsq; ad extrema porrectas. Ipsius quidẽ boni omnia participia sunt. omnium enim est principium, pulchri verò sola, quæ aliquam habent speciem. iustitiæ deniq; solæ animæ sunt participes. Iam verò in medio rerum omnium centro quale est anima, hæc omnia inuicem connectuntur: bonum, iustum, pulchrum, & bonum quidem ipsius est pulchrum, atque iustum. Iustum quoque simul & pulchrum est, & bonum: pulchrum similiter & bonum est, & iustum. Neque solùm in

eiusmodi trinitate est hic sermo verus, verùm etiam in aliis quoq; multis. Quemadmodum inter principia ipsum ens præcedit vitam, vita mentem: similiter etiam in effectibus, vbi non omne cõpos entis, compos est & vitæ: neque viuens omne statim est mente præditum, sed vicissim intelligentia omnia viuunt, atque sunt: viuentia verò sunt, quoque viuendo. Cùm verò talis sit in extremis, per trinitatem eiusmodi differentia in anima confluunt, vbi ens quidem, & vita, & intellectus existit. vita verò & intellectus est, & essentia. Intellectus autem, & essentia similiter est & vita. vna enim simplicitas est in anima, vna substantia, neque esse, neque viuere, neque intelligere, ibi est aduẽtitium. Sed intellectus quidem eius est essentialis, & viuens. vita quoque intellectualis est per essentiam. Essentia deniq; intellectualis, & viuens. vbique ergo est omnia, & ex omnibus vnum simili ratione: & bonum eius pulchritudine, & iustitia pollet: & pulchrum est bonum, atq; iustum: rursumq; iustum est bono, pulchroq; refertũ: subiectum sane vnum est, rationes verò diuersæ. vbi nos neque ipsam trium horum identitatem secundum rationes consideramus, neq; alteritatem secundum subie-

ctum existimamus, sed rationes quidem eorum differentes inter se conseruamus, vnum verò subiectum. quamobrem vbiq; per actiones animæ inuicem ista concurrunt, sicut enim rationes quidẽ virtutum sunt differentes, vnum verò compos est cunctarum, neq; fieri potest, vt sis iustitiæ particeps, & temperantiæ vacuus, vel duo hæc quidem habeas, cætera verò non habeas: sic & eiusmodi trinitas sibiipsa connectitur, & omne quidem bonum simul & pulchri compos est, & iusti, similiterq; de cæteris. propterea Socrates iustum bo num per pulchritudinem copulauit. Hoc enim est competẽs eorum medium simul, atque vinculum. Timæus autem ait pulcherrimum esse nodum, qui & seipsum, & colligata, quam maximè cõficit vnum. Memento verò ipsi quidem bono, malum duntaxat esse contrarium, bonum verò nequaquam. ex quo apparet cõcordia inuicem esse bona: malo autem & malum, & bonum pariter aduersari.

Probat omne iustum ipsa eius natura pulchrum esse atq; bonum.

OMne iustum esse pulchrum sequentibus rationibus cõfirmabimus, cùm anima sit multitudo quædam, atque in ea hoc

hoc quidem primum ſit, illud verò medium, illud autem vltimum. dic age, quando iuſtitiam in ea fieri dicimus, an quando medium, aut vltimũ ſuperioribus dominari conatur, an potius quãdo primum medio, mediũ imperat vltimo? At ſi tunc, quando deteriora melioribus præualent, non vlterius erunt deteriora natura talia. Illud enim cui cõpetit dominari, melius eſt, honorabiliúſque natura. ſi igitur impoſſibile eſt idem naturaliter eſſe melius, atq; deterius: oportet iuſtum tunc in anima reperiri, quando quod in ea optimum eſt, vitæ totius habet imperium. medium verò ſubditum meliori præualet vltimo. Tunc enim vnaquæq; pars animæ, quod ſibi conuenit, habet. primum quidem regnans: ſecundum verò ſtipans: vltimum denique meliori miniſtrans. Ipſum itaque iuſtum natura diſtributiuũ eſt eius, quod conuenit parti cuilibet animæ. Et officij proprij conſeruandi vnicuiq; cauſa, propriæq; dignitatis diſtribuendę, atq; ita totius ordinis conſeruatio. ordo verò, moderatioq; huiuſmodi naturæ conueniens naturaliter pulchra eſt. Eſt igitur iuſtitia cauſa pulchritudinis, atque pulchra. Eſt autem duplex iuſtum, vnum quidem in contractibus, quod arithmeticam conſer-

uat æqualitatem: alterum verò in distribuēdo versatur in geometrica æqualitate consistens. Tum igitur arithmeticam seruat æqualitatem, ne socium suo in contractibus defraudemus, plus videlicet quàm dederimus, ipsi recipientes. Tum verò inæqualibus distribuit inæqualia pro dignitate cuiq; geometrica proportione seruata, vt quemadmodum differunt inter se personæ, sic & differant inter se distributa personis: itaq; omne iustū, sicut diximus, est æquale: omne autē æquale, pulchrum. nam inæquale incompositum est, & turpe. iustum igitur omne pulchrum. Præterea tunc est in corporibus pulchritudo, quando superat forma materiā. ipsa nanq; materia deformis est, & turpis: & quando forma superatur ab ea, tunc forma informitate quadam & deformitate repletur, & quasi informe quiddam euadit, facta videlicet similis subiectæ naturæ. Si igitur & in anima, quod intellectuale nobis inest, vicem gerit formæ, inrationale verò materiæ (nam intellectus, & ratio in ordine termini computantur) inrationale verò in genere indefiniti locatur (natura enim indeterminatum est, expersq; mensuræ) necessarium est, in anima quoq; tūc pulchritudinem effulgere, quando ratio

quidem

quidem regnat, ſpecies verò vitæ ratione carentes rationi ſubdũtur. at verò iuſtum ipſum rationi quidem dat imperium, inrationali deputat ſeruitutem. vtriq; enim, quod ſibi conſentaneũ eſt, attribuit. principali quidem principatum: inferiori verò deſignat obſequium. Quandoquidem in opificio mundi inrationale nobis eſt ſubditum, & rationi nobis inſitæ inrationale ſubiícitur, vt vehiculum ipſum. itaq; iuſtum naturaliter pulchrum eſt, & pulchritudinis animæ cauſa. Item iuſtum quid perfectum eſt, atque definitum. nam iniuſtum imperfectum, indefinitumque cenſetur, atque infinitum vagatur, nec vſquam ſiſtit gradum præuaricans iuſtitiæ terminum. ipſum ergo iuſtum, cuicunq; adeſt, menſuram, terminumq; imponit, atq; ita omnia perfecta facit. Cùm itaque tale ſit, meritò pulchram efficit animam. Id enim, quod perfectum eſt, atque menſuratũ, naturaliter pulchritudo conſequitur, ſicut immenſuratum, indeterminatumq; deformitas comitatur. iuſtum igitur eſt natura pulchrum. denique ipſe mundi faber totum hoc per iuſtitiam exornauit. pulcherrimo enim nodorum omnium nodo deuinxit mundũ, indiſſolubilemq; effecit, propter proportionis analogicæ

logicæ

logicæ poteſtatem continentem ipſum, ſibiq; amicum vndique facientem. quod autem eſt ſimile mũdo viſibilium omniũ formoſiſſimo, nimirum eſt ipſum quoque pulchrum. quod igitur iuſtum eſt, neceſſario eſt & pulchrum.

Omne pulchrum naturaliter eſt bonum, omne turpe malum, atque viciſsim.

OMne verò pulchrum eſſe bonum, ita probamus. Conſtat pulchrum eſſe amabile ſuapte natura, quandoquidem & extrema pulchritudo diuinę pulchritudinis imaginem ferens, eſt amabilis, primoq; aſpectu animos ad ſe mouet. Quod confirmatur in Phædro. Re enim vera καλὸν id eſt pulchrum, ſiue dicitur διὰ τὸ καλεῖν, id eſt quia prouocat animas, ſiue διὰ τὸ κηλεῖν, id eſt quia permulcet intuentes, certè ſecundum naturam eſt amabile. Quapropter & amor ad pulchrũ dicitur amantem ducere. Quicquid autẽ eſt amabile, eſt appetibile. eſt enim amor appetitus aliquis alicuius robuſtus, atque vehemens. Et quicquid amat, appetit aliquid quo & indiget. Omne verò appetibile eſt & bonũ, ſiue re vera bonũ, ſiue apparens. Pleraq; enim non bona expetenda nobis occurrunt, quoniam appetẽtibus ſe offerunt

runt tanquam bona. Demonstratum est autem à Socrate in Memnone, manifestè fieri non posse, vt qui malum, quale sit, nouerint, ipsum appetant. Appetibile igitur omne bonum est. Ac siquidem appetibile sit principaliter, bonũ quoq; principaliter erit. Sin autem apparens appetibile, tale etiam erit bonũ. omnino autem in quolibet terminorum hoc est apponẽdum, scilicet aut apparens, aut re vera. Si enim pulchrum, & apparens, certè & amabile & appetibile, bonumq; pulchro eiusmodi consors. Sin autẽ natura pulchrum est, & amabile, bonum quoque similiter. Atqui quidnam erit appetibile, nunquid malum? At impossibile est, vbi notũ fuerit, esse alicui expetendum: omnia enim bonum appetunt, ad malum autem appetitio nulla fertur. sed neque etiam appetitus fertur ad aliquid, quod neque sit bonum, neque malum: quod enim tale est, gratia alterius agitur, nullusq; finis existit. omne autem appetibile finis. atque siquid ex malis appetitur, quoniam apparet bonum, desideratur vt bonum: & si quid non pulchrum amatur, quoniam apparet, amatur vt pulchrum. Si igitur omne pulchrum est amabile, omne amabile est appetibile, omne appetibile bonum: consequent

quenter omne pulchrum eſt bonum, atq; viciſſim, omne bonum appetibile: appetibile eſt amabile: ſiquidem amare eſt vehementer appetere. vnde in Sympoſio Socrates ait bonum amabile eſſe ſicut pulchrum: ſi inquam omne bonum eſt appetibile, appetibile rurſum amabile, amabile verò pulchrum, ſequitur vt bonum omne ſit pulchrum. Neque nunc nobis obiiciat aliquis, ipſum bonũ eſſe ſuperius pulchritudine, neque rurſum duplex eſſe, quod amabile dicitur: non enim nũc de primis rerum principiis diſputamus, ſed de iis, quæ nobis inſunt, pulchris, atque bonis: quod igitur in nobis eſt bonum, ſimul eſt appetibile, & amandum. Per amorem igitur id comparamus, & poſſidemus: per amorem inquã, ſtudiumq; propenſum. ac, ſi quis ſeipſum animaduerterit, planè perſpiciet, eiuſmodi bonum acriores nobis amores inferre, cognoſcet, quàm pulchra ſenſibus manifeſta: quod igitur eſt bonũ, eſt & pulchrum. Quapropter Diotima præcipit amatoribus, vt poſt occurrentem ſenſibus pulchritudinem, ſe ad pulchritudinẽ transferant actionibus, officiis, ſcientiis, inſitam, ibiq; amatorium animæ oculum vehementer exerceant. Deinceps verò ad intellectum, ibiq; præcipuam, diuinamq;

namq; pulchritudinem dominantem, tanquàm ipſum re vera pulchrum in nobis animæ vigeat. Quid enim in nobis eſt virtute,& ſcientia pulchrius? Quid cõtrà, vitio,& ignorantia turpius?

Homo eſt anima vtens corpore, vt inſtrumento. Mala ergo corporis non pertinent ad animam, hominémq; ſicut neq; mala inſtrumentorum, ad artificẽ, atq; artem.

FAlsò pleriq; putant vulnera, mortemq; mala. quid enim horũ nobis eſt malum? Siquidem non tranſit in animam, quæ nos ipſi ſumus. Neque enim paſſiones inſtrumentorum virtutes vtentiũ mutant, neque igitur faber obtuſa aliquando ſeca, artem amittit ſecandi, neque etiam ſi in arte fabrili conſiſteret noſtra felicitas, infelicem propterea putaremus fabrum, cui ſeca defuerit. Iam verò quemadmodum anima inſtrumentum habet, ſic & corpus inſtrumenta quędam habet, per quæ mouet externa: quorum vitium bonam non lædit corporis habitudinem, ſimiliter & corporis paſſiones in animam non pertranſeunt. quapropter & mors, etſi corporis malum eſt, non tamen eſt animæ malum. Si igitur pulchrum quidem

dem actionis est in anima, malum verò interim fit in alio, nondum ostensum est, idem aliquando pulchrum esse, simulque malum. Licet etiam dialectica ratione distinguere, aliud quidem esse aliquid secundum seipsum, aliud autem secundum accidens. Est enim actio fortis, pulchra secundum seipsam: mala verò, si quando sit mala, per accidens: quoniam accidit fortiter agentem mori. esto enim, si vis, mors è malorum numero. Non igitur officium forte secundum hoc ipsum, quod est forte, ideoque & pulchrum, est etiam malum, sed forte per accidens. aliud igitur est pulchrum, aliud verò malum. Neque qua ratione pulchrum, eadem ostensum est esse aliquando malum, sed per accidens propter obitum. Proinde hominis ignorat essentiam, qui bonum à pulchro secernit. & hoc quidem in alio, illud autem in alio ponit, bonum in corpore, pulchrum in actionibus animæ. Sed re vera homo ipse est animus, ipse essentia à corpore segregatus, in quo quicquid est, pulchrum est, & bonũ est. etiam si inde corporis sequatur incommodum. Corpus enim non pars hominis, sed instrumentũ: instrumenti verò malum non pertinet ad vtentem.

Quam

Quomodo differant duo hæc, scilicet secundum seipsum, & qua ipsum.

DIctiones eiusmodi, scilicet, secundum seipsum, & qua ipsum, etiam apud Aristotelē distinguuntur. Quod enim secundum seipsum alicui competit, potest ei non competere primo. Quod autē qua ipsum conuenit, præter id, quod conuenit, secundum se ipsum etiam primo competit ei, atque adæquatur. Pulchrum igitur, si commensurationis animæ causa est, atque ob hoc ipsum dicitur pulchrum, efficitq́; , vt melius in anima dominetur deteriori, perficitq́; nos, & animæ deformitatem purgat: hac ipsa ratione bonum est, non quidem per accidens, sed qua ratione pulchrum. si enim qua pulchrum est commensuratum, est & bonum. Bonum enim est mēsura, certè qua pulchrum est, existit & bonum. Similiter turpe, qua turpe, malum est. Nam qua turpe est, informe est, indeterminatum, incompositum, & hac ipsa ratione malum. Qua igitur est turpe, est vtique malum. eadem itaque res, & pulchra semper est, & bona: atque contrà turpis pariter, atque mala. hanc tu regulam hîc mēte teneto, qua & in posterum vsus est Aristoteles. Siqua duo conuertuntur, inuicem eorum quoque opposita

poſita conuertuntur. ſi igitur pulchrum, bonumq; cõuertũtur inter ſe, eorũ quoq; oppoſita, malum ſcilicet, atq; turpe, ſimiliter inter ſe conuertuntur.

PROCLVS DE SACRIFICIO, ET MAGIA,

Interprete Marſilio Ficino Florentino.

QVemadmodum amatores ab ipſa pulchritudine, quæ circa ſenſum apparet, ad diuinam paulatim pulchritudinem ratione progrediuntur: ſic & ſacerdotes antiqui, cùm conſiderarent in rebus naturalibus cognationem quandam, compaſſionemque aliorum ad alia, & manifeſtorum ad vires occultas, & omnia in omnibus inuenirent, ſacram eorum ſcientiam condiderunt. agnouerunt enim & in infimis ſuprema, & in ſupremis infima: in cœlo quidem terrena ſecundum cauſam, modoque cœleſti: in terra verò cœleſtia, ſed modo terreno. Nam vnde putamus plantas illas, quas heliotropias nominant, id eſt ſoliſequas, ad ſolis motum ſolem verſus moueri? ſed ſelinetropias, id eſt luniſequas ad lunã verti? Nem-

pe cuncta precantur, hymnosque concinunt ad ordinis sui duces. Sed alia quidem intellectuali modo, alia rationali, alia naturali, alia verò sensibili modo. Itaque solisequa quomodocunq; potest, mouetur ad solem: ac siquis posset audire pulsationem ab ea in aëre circuitu factam; profectò illum quendam per eiusmodi sonum erga regem suum compositum animaduerteret, qualemcunque potest planta conficere. Quamobrem in terra quidem aspicere licet solem & lunam, sed pro qualitate terrena. In cœlo autem plantas omnes, & lapides, & animalia pro cœlesti natura vitam habētia intellectualem. Quæ quidem veteres contemplati, alia cœlestium, alia terrenorum adhibuerunt, vnde diuinas virtutes in locum inferiorem ob quādam similitudinem deduxerunt. Nempe similitudo ipsa sufficiens causa est, ad res singulas inuicem vinciendas. Siquis enim canabim, siue papyrum calefaciat, deinde subigat lucernæ proximæ, etiam si non tangat, videbit subito accensam canabim, quamuis non tetigerit ignem, accensionemq; desuper ad inferiora descendere. Comparemus igitur canabim calefactam, siue papyrum cognationi cuidam inferiorum ad superio-

ra, appropinquationem verò eius ad lucernam opportuno vſui rerum pro tempore, loco, materia. Proceſſum ignis in canabim præſentiæ diuini luminis ad id, quod poteſt capere. acceſſionem denique canabis deificationi mortalium, materialiumq; illuſtrationi, quæ deinde feruntur ſurſum inſtar accenſæ canabis ob quandam ſeminis diuini participationẽ. Quid verò de Loto dicam? Lotus implicat quidem in ſe folia ante ſolis exortum, oriente verò ſole explicat paulatim: & quatenus ſol ad mediam cœli aſcendit plagam, eatenus pandit folia. Quatenus verò à medio petit occaſum, gradatim folia contrahit. Videtur hæc non minus dilatatione, contractioneq; foliorum honorare ſolem, quàm homines genarum geſtu, motuq; labiorum. Non ſolùm verò in plantis, quæ veſtigium habent vitæ, ſed etiam in lapidibus aſpicere licet, imitationem, & participationem quandam luminum ſupernorum, quemadmodum helitis lapis radiis aureis ſolares radios imitatur. lapis autem, qui vocatur cœli oculus, vel ſolis oculus, figuram habet ſimilem pupillæ oculi: atque ex media pupilla emicat radius. lapis quoque ſelenitus, id eſt lunaris, figura lunæ corniculari ſimilis,

quad

quadam sui mutatione lunarem sequitur motum. Lapis deinde helioselenus, id est solaris, lunarisq; imitatur quodammodo congressum solis, & lunæ, figuratq; colore. Sic diuinorum omnia plena sunt, terrena quidem cœlestium, cœlestia verò supercœlestium, proceditque quilibet ordo rerum vsq; ad vltimum. Quæ enim super ordinem rerum colligũtur in vno, hæc deinceps dilatantur in descendendo, vbi aliæ animæ sub numinibus aliis ordinantur. Deinde & animalia sunt solaria multa, velut leones, & galli, numinis cuiusdam solaris pro sua natura participes: vnde mirum est, quantum inferiora in eodem ordine cedant superioribus, quamuis magnitudine, potentiaq; non cedant, hinc ferunt gallum timeri à leone quamplurimum, & quasi coli. cuius rei causam à materia, sensú ve assignare non possumus, sed solùm ab ordinis superni contemplatione. quoniam videlicet præsentia solaris virtutis conuenit gallo magis quàm leoni: quod & inde apparet, quia gallus, quasi quibusdam hymnis applaudit surgenti soli, & quasi aduocat, quando ex antipodum medio cœlo ad nos deflectitur, & quandoque nonnulli solares angeli apparuerunt formis eiusmodi

præditi, atque cùm ipsi in se sine forma essent, nobis tamen, qui formati sumus, occurrere formati. Nonnunquam etiam dæmones visi sunt solares leonina fronte, quibus cùm gallus obiiceretur, repętè disparuerunt. Quod quidem inde procedit, quòd semper quæ in eodem ordine constituta inferiora sunt, reuerentur superiora: quemadmodum plerique intuentes virorum imagines diuinorum, hoc ipso aspectu vereri solent turpe aliquid perpetrare. Vt autem summatim dicam, alia ad reuolutiones solis correuoluuntur, sicut plantæ, quas diximus: alia figuram solarium radiorum quodammodo imitantur, vt palma, dactylus: alia igneam solis naturam, vt laurus: alia aliud quiddam, videre sanè licet proprietates, quę colliguntur in sole, passim distributas insequentibus in solari ordine constitutis, scilicet angelis, dæmonibus, animis, animalibus, plantis, atque lapidibus. Quocirca sacerdotij veteris autores à rebus apparentibus superiorum virium cultum adinuenerunt, dum alia miscerent, alia purificarent. Miscebant autem plura inuicem, quia videbant simplicia nonnullam habere numinis proprietatem, nō tamen singulatim, sufficientem ad numinis illius

aduoc

aduocationem. Quamobrem ipsa multorum commistione attrahebant super nos influxus: atque quod ipsi componendo vnum ex multis conficiebant, assimilabant ipsi vni, quod est super multa, constituebãtq; statuas ex materiis multis permistas: odores quoque compositos colligentes: arte in vnum diuina symbola, reddentesq; vnum tale, quale diuinum existit secundum essentiam, comprehendens, videlicet vires quamplurimas. Quorũ quidem diuisio vnamquãque debilitauit, mistio verò restituit in exemplaris ideam. Nonnunquam verò herba vna, vel lapis vnus, ad diuinum sufficit opus. Sufficit enim Cnebison, id est carduus, ad subitam numinis alicuius apparitionem, ad custodiam verò laurus. Raccinum, id est genus virgulti spinosum, cepa, squilla, corallus, adamas, iaspis, sed ad præsagium cor talpæ, ad purificationem verò sulfur, & aqua marina. Ergo sacerdotes per mutuam rerum cognationem, compassionémque conducebant in vnum, per repugnantiam expellebant, purificantes, cùm oportebat, sulfure, atque asphalto, id est bitumine, aqua aspergentes marina. purificat enim sulfur quidẽ propter odoris acumen. aqua verò marina propter igneam

portionem, & animalia diis in deorum cultu congrua adhibebant, cæteraq; similiter. Quamobrem ab iis, atque similibus recipientes primùm potẽtias dæmonum, cognouerunt, videlicet eas esse proximas rebus, actionibusq́; naturalibus: atq; per hæc naturalia, quibus propinquant in præsentiam conuocarunt. Deinde à dæmonibus ad ipsas deorũ vires, actionesq́; processerunt, partim quidem docentibus dæmonibus addiscentes, partim verò industria propria interpretantes conuenientia symbola, in propriam deorum intelligentiam ascendentes, ac deniq; posthabitis naturalibus rebus, actionibusq́;, ac magna ex parte dæmonibus, in deorum se consortium receperunt.

*

PORPHYRIVS DE OCCASIONIBVS, *siue causis ad intelligibilia nos ducentibus,*

*

MARSILIO FICINO INTERPRETE.

*

De natura corporeorum atque incorporeorum.

OMNE corpus est in loco. Nullum verò eorum, quæ secundū se sunt incorporea, vel aliquid tale, est in loco. Quæ secundum se sunt incorporea, eo ipso, quod pręstantius est omni corpore, atq; loco, vbique sunt, non distanti quidem, sed indiuidua quadam conditione. Quæ secundum se sunt incorporea, non localiter præsentia corporibus, adsunt eis, quotiescunq; volunt, ad illa vergentia, atque declinantia, quatenus videlicet naturaliter ad ea vergunt atque inclinantur. Sed enim cùm non adsint locali conditione corporibus, habitudine quadam eis adsunt. Quæ secundum se sunt incorporea, certè non per substantiam, & per essentiam corporibus adsunt.

Non enim corporibus commiſcentur, veruntamen ex ipſa inclinatione, quaſi momento vis quædam ſubſiſtit inde communicata iam propinqua corporibus. Ipſa nanq; inclinatio ſecundam quandam vim ſubſtituit corporibus iam propinquam.

De natura, & alligatione, & solutione animæ.

ANima quidem medium quiddam eſt inter eſſentiam indiuiduam, atq; eſſentiam vera corpora diuiſibilem. Intellectus autem eſſentia eſt, indiuidua ſolum. Sed qualitates, materialesq; formę, ſecundum corpora ſunt diuiſibiles. Non omne, quod agit in aliud appropinquatione, & tactu facit, quod facit, ſed etiam quæ propinquando, & tangendo faciunt aliquid ſecundum accidens, non vtuntur propinquitate. Anima corpori alligatur conuerſione quadam ad paſſiones prouenientes à corpore. Rurſumq; ſoluitur quatenus à corpore nihil patitur. Quod natura ligauit, hoc & ipſa natura ſoluit. Rurſus, quod conciliauit anima, hoc & anima dirimit. Natura quidem corpus in anima deuincit, anima verò ſeipſam in corpore. Quãobrem natura corpus ab anima ſeparat, anima verò ſeipſam à corpore ſegregat.

Omnia

Omnia quodammodo sunt in omnibus pro conditione eorum, quibus insunt.

NOn similiter omnia in omnibus intelligimus, sed propriè se habet ad omnia vniuscuiusque essentia: in intellectu quidem intellectualiter, in anima verò rationaliter: in plantis seminariè, in corporibus imaginariè: in eodemq́; (quod his omnibus superius est) modo quodam superintellectuali, atq; superessentiali.

In summis est vnitas cum virtute: in infimis multitudo cum debilitate.

INcorporeæ substantię descendentes quidem diiudicentur, atque in singula potentię defectu multiplicantur. adscendentes autem vtuntur, atque simul recurrunt in vnum copia potestatis.

De speciebus vitæ.

NOn solùm in corporibus æquiuoca conditio est, sed ipsa etiam vita multipliciter prædicatur. Alia est enim vita plantæ, animalis alia. alia rursus intellectualis essentiæ, alia tandem naturæ superioris, alia animæ, alia intellectualis: viuunt enim & illa: etsi nullum eorum, quæ ab ipsis existunt, vitam eis similem sortiatur.

Quæ generant, partim conuertuntur ad genita, partim minimè.

OMne, quod sua essentia generat, aliquid se deterius generat. atq; omne genitum ad genitorem natura conuertitur. eorum verò, quæ generãt, alia quidem nullo modo conuertuntur ad genita: alia verò partim quidem flectũtur ad illa, partim etiam non flectuntur. alia tandem solùm deflectuntur ad genituras, neq; interim ad se reflectuntur.

Sensus, imaginatio, memoria, intelligentia.

MEmoria non est imaginationum conseruatio quædam, ἀλλὰ τῶν μελετηθέντων προβαλέσθαι ἐκνέας προβλήματα. sed est ipsas propositiones, siue productiones in actum eorum, quæ meditatus est animus nuper, educere. Anima quidẽ habet omnium rationes. Agit autem secundum eas, vel ab alio ad expeditionem eiusmodi prouocata, vel ipsa seipsam intus conuertens ad rationes, & cùm ab alio prouocatur, tanquam ad externa committit introducere sensus: cùm verò ingreditur in seipsam, ad intelligentias peruenit: neque igitur sensus extra imaginationem sunt, neq;, vt dixerit aliquis, intelligẽtiæ quatenus competunt animali:

li: neque rurſus abſque inſtrumentorum ſenſualium paſſione ſunt ſenſus, ſic & intelligentiæ non abſque imaginatione. niſi analoga conditio ſit: quemadmodum figura conſequens quiddam eſt ad animal ſenſuale, ſic phãtaſma aliquid conſequens ad intelligentiam animæ intelligentis in animali.

Anima eſt immortalis.

ANima eſt eſſentia inextenſa, immaterialis, immortalis: in vita habẽte à ſe ipſa viuere, atq; eſſe ſimiliter poſſidente.

Paßio animæ, atque corporis eſt longè diuerſa.

ALiud eſt pati corpora, aliud incorporea. Paſſio enim corporũ cum tranſmutatione contingit: paſſio verò animæ eſt accommodatio quædam, & affectio ad rem ipſam, & actio quędam, nullo modo ſimilis calefactioni, frigefactioníque corporum. quamobrem ſi paſſio corporum, cum tranſmutatione ſit, dicendum eſt omnia incorporea eſſe paſsionis expertia. Quæ enim à materia, corporibusq; ſeparata ſunt actu, eadem permanent: quę verò materiæ, corporibusq; propinquant, ipſa quidem non ſunt paſsiua, ſed illa, in quibus hæc apparent, patiuntur. quando enim animal ſentit, anima quidem ſimilis

lis esse videtur harmoniæ cuidam separatæ ex seipsa chordas mouenti contemperatas. Corpus autem simile harmoniæ, quæ inseparabilis inest chordis, sed causa mouendi esse videtur animal, propterea quòd sit animatum, quod quidem simile est musico, ex eo quòd sit concinnum. corpora verò, quæ per passionem sensualem pulsantur, similia contemperatis chordis apparent. Etenim ibi non harmonica quidem separata patitur, sed chorda: & mouet sanè musicus per ipsam, quæ sibi inest, harmoniam: neq; tamen chorda ratione musica moueretur etiã, si vellet musicus, nisi harmonia ipsa id dixit.

De differentijs incorporeorum.

IPsa incorporeorum appellatio non secundum communitatem vnius, eiusdemq; generis, sic cognominata est quẽadmodum corpora, sed secundum nudam ad corpora priuationem. Quamobrem nihil prohibet inter illa alia quidem esse essentia, alia verò non essentia: & alia rursus ante corpora, alia verò vnà cum corporibus: item alia à corporibus separata, alia verò nõ separata. Præterea alia secundum se subsistentia, alia verò aliis, vt sint indigentia: alia deniq; actionibus, vitisq; ex se mobilibus eadem, sed alia vitis, &

qual

qualibus actionibus quodammodo permutata, nempe secũdum negationem eorum, quæ ipsa non sunt, non secundum assistentiam eorum, quæ sunt, appellantur.

Passiones materiæ primæ assignatæ similiter à Plotino.

MAteriæ propriæ apud antiquos hæc sunt incorporea quidem. diuersa enim est à corporibus. præterea vitæ expers, neq; intellectus, neq; anima, neq; aliquid secundum se viuens. Item informis, permutabilis, infinita, impotens. Quapropter neque ens, sed verum non ens, imago mollis apparens, quoniam quod primò est in mole, est ipsum impotens. Item appetitio subsistentiæ, & stans non in statu. præterea semper in se apparens, tũ paruũ, tum magnũ, tum minus, tum magis, tum deficiens, tum excedens, quóduc fiat semper, maneat verò nunquam, neque tamen aufugere potens, quippe cùm totius entis sit defectus. Quamobrem quicquid promittat, mentitur: ac si magnum appareat, interim euadit paruum, quasi enim ludus quidam est in non ens aufugiens. Fuga enim eius nõ fit loco, sed dum ab ente deficit: quamobrem quæ in ea sunt imagines, insunt in deteriori rursus imagine. quemadmodum in speculo id, quod alibi situm

situm est,apparet alibi:& ipsum speculum plenum esse videtur, nihilq; habet, dum omnia videtur habere.

Quid patiatur, quid non.

PAssiones circa id sunt omnes, circa quod accidit & interitus. Via enim ad interitum est admissio passionis, atque huius est interire,cuius est pati. Interit autem incorporeum nullum : sed quædam inter illa aut sunt, aut non sunt. quapropter nullum eorum patitur:quod enim patiens est,non oportet ita se habere,sed esse tale, vt alterari queat, atque interim in qualitatibus eorum, quæ ingrediuntur, sicq; inferunt passionem.Ei nanque quod inest alteratio non à qualibet accidit,neq; igitur materia patitur.Nam secundum seipsam qualitatis est expers, neque prorsus formæ,quæ sunt in ea,ingredientes,vicissimq; exeuntes,sed passio fit circa compositum, & vnius esse in compositione consistit:hoc enim in cõtrariis viribus,& qualitatibus ingredientiũ,inferentiumq; passionem perseuerare in subsistendo videtur. Quamobrem ea quorũ viuere est ab externis,nec à seipsis, nimirũ & viuere,& non viuere pati possunt.Sed ea,quorũ esse in vita consistit, passionis experte, necessarium

ſarium eſt permanere ſecundum vitam, quemadmodum vitæ vacuitati conuenit & non pati, quatenus & vitæ vacuitas: Itaque ſicut permutari, ac pati compoſito ex materia, formáque contingit, id eſt corpori, neque tamen id materiæ accidit, ſic viuere, atq; interire, patiq; ſecundum hoc ipſum in compoſito ex anima, corporéque perſpicitur. neque tamen animæ id contingit, quoniam anima nõ eſt aliquid ex vita, & non vita conflatum, ſed vita ſolùm. conſtat quippe, cùm ſimplex eſſentia ſit, ipſaq; animæ ratio ſit natura ipſa ſe mouens.

Omnis intellectus eſt omniformis.

INtellectualis eſſentia ſic in partibus eſt conſimilis, vt & in particulari quolibet intellectu, vniuerſóque intellectu ſint entia: ſed intellectu quidem vniuerſali entia etiam particularia vniuerſali ſint ratione: in particulari autem intellectu etiam vniuerſalia ſimul atque particularia ſint conditione quadam particulari.

Anima quia per eſſentiam eſt vita, non moritur.

CIrca eſſentiam, cuius eſſe conſiſtit in vita, & cuius paſſiones vita quædam ſunt, nimirum & mors in quali aliqua vi-

t ta

ta verſatur, non in priuatione vitæ ſimul tota. Quoniam neque paſſio, ſeu vita eſt omnino, illic ad non viuendum, ipſaq́; illic accidit orbitas.

Omnis vita incorporea quocunq; mutetur, permanet immortalis.

IN vitis incorporeis proceſſus manentibus prioribus in ſe firmis efficiuntur, dum nihil ſui perdunt, neq; permutant ad ſubſtantiam inferioribus exhibendã. quapropter neq; quæ inde ſubſiſtunt, cum aliqua perditione vel tranſmutatione ſubſiſtunt. neq; hoc quidem efficitur, ſicut generatio interitus, permutationisq́; particeps. ingenita igitur, & incorruptibilia ſunt atque ingenitæ, incorruptæq́; ſecundum hoc ipſum effecta.

Quomodo intelligatur quod eſt ſuperius intellectu.

DE illo quod eſt mente ſuperius, per intelligẽtiam quidem multa dicuntur: conſiderantur autem vacuitate quadam intelligentiæ intelligentia meliore. quemadmodum de dormiente per vigilantiam multa dicuntur, ſed per ſomnum ipſum cognitio eius, peritiaq́; habetur. ſimili nanq; ſimile cognoſci ſolet, quoniam omnis

omnis cognitio, aſſimilatio quædam eſt ad hoc ipſum, quod cognoſcitur.

Non ens aut eſt ſuperius ente, vt Deus, aut inferius cum materia.

QVod non ens dicitur, aut ipſi nos machinamur ab ipſo ente aliquando ſeparari, aut ſuperintelligimus, dum ens poſſidemus. quapropter ſi ſeparamur ab ente, ens ipſum nõ ſuperintelligimus: non ens ſuper ens ipſum, ſed iam non ens velut falſam concipimus paſſionem, contingentem videlicet illi, qui digreditur extra ſeipſum. ipſe enim quiſque quemadmodum exiſtẽter, id eſt verè, atque per ſe ipſum poteſt reduci ad ipſum non ens ente ſuperius, ſic ab ente, ſeq; ipſo digrediens iam traducitur ad non ens, quod entis ipſius eſt caſus atque ruina.

Subſtantia incorporea eſt vbicunque vult.

NAtura corporis nihil impedit, quin quod ſecundum ſe incorporeum eſt, ſit vbicunq;, & quomodocũq;. Sicut enim corpori incomprehẽſibile eſt quod molis eſt expers, nihilq; ad ipſum pertinet: ſic incorporeo ipſum, quod mole diſtenditur, non ſit obſtaculum & quaſi non ens

 iacet,

iacet. neque enim quod incorporeum est locali conditione quò vult discurrit. locus enim cum mole simul existit. neque rursus corporum limitibus coërcetur, quod enim quomodocunque iacet in mole, in angustum cohiberi potest, & conditione locali transmutationem agere. quod autem est à mole, magnitudinéque prorsus exemptum, hoc ab iis, quæ sunt in mole, contineri non potest, à motuq; locali per manet liberum. Igitur quali quadam, certaq; dispositione reperitur ibi, vbicunque disponitur, loco interea tum vbique, tum nusquam simul existens. quapropter quali quadam certáque affectione, vel super cœlum, vel in parte mundi quadam apprehenditur: quando verò in aliqua mundi parte tenetur, non oculis quidem aspicitur, sed ex operibus eius præsentia sua fit hominibus manifesta.

Substantia incorporea nullo corpore cohibetur, sed producit escam in corpore, per quam se corpori applicat.

QVod est incorporeum, siquando in corpore comprehendatur, non opus est vt ita concludatur, quemadmodum in parco feræ clauduntur: nullum nanque corpus potest ipsum sic in se cohibere, neque

neque ſicut vter liquorem aliquem trahit, & cohibet, aut flatum: ſed oportet ipſum ſubſtituerè vires ab ipſa in ſeipſum vnione extra manantes, quibus deſcendens corpori applicatur. copula itaque eius ad corpus per ineffabilem quãdam ſui ipſius impletur extenſionem quamobrem non aliud quidẽ vllum ipſum alligat, ſed ipſum certè ſeipſum. neque igitur reſoluit ipſum corpus quando frangitur, aut interit, ſed ipſum potius ſemetipſum enodat, quando à familiari erga ſubiectum affectione diuertit.

Vniuerſales cauſæ non conuertuntur ad effectus, ſed eos ad ſe conuertunt.

NVlla ſubſtantiarum, quæ vniuerſæ ſunt, atq; perfectæ, ad ſuam conuertitur genituram. Omnes autem perfectæ ſubſtantiæ ad generantia rediguntur, & id quidem ad corpus vſque mundanum. Quod quidem cùm ſit perfectum, ad animam eſt redactum. animam inquam intellectualem, ideoq; circulo voluitur. anima verò mundi ad intellectum attollitur. intellectus autem erigitur ad principium. Omnia itaque perueniunt ad hoc ipſum ab extremis exordientia, quatenus facultas ſuppetit vnicuiq;. perueniunt inquam

eleuatione ad primum, illucusque perducta: quæ quidem aut ex propinquo, aut ex longinquo effici solet. Hæc itaque non solùm appetere Deum dici possunt, sed etiam pro viribus assequi. in substantiis verò particularibus, & ad multa labi potentibus inest procliuitas deflectens ad genituras: ideoq; in his delictum dicitur accidisse, in his infidelitas est damnata. has igitur contaminat ipsa materia, propterea quòd ad hanc deflecti possint, cùm tamen interea ad diuinum se valeant conuertisse: quare perfectio quidem à prioribus secunda substituit conseruans eadem ad priora conuersa. defectus autem priora etiam ad posteriora deflectit, efficitq; vt hæc ipsa diligant à superiore interim diuertentia.

Quomodo differenter est vbiq; Deus, intellectus, anima.

DEus est vbique, quia nusquam intellectus est: vbiq; etiam, quia nusquam anima: denique vbique est, quoniam est & nusquam: sed Deus quidem vbique & nusquam est eorum omniũ, quæ sunt post ipsum. Sui verò ipsius est solùm, sicut est, atque vult. Intellectus autem in deo quidem vbique est, sed in eis, quæ sunt post ipsum,

ipſum, exiſtit nuſquam pariter, & vbique anima tandem in intellectu, atque deo, ſimiliter eſt vbique, in corpore verò vbiq; eſt ſimul & nuſquam. Corpus autem & in anima, & in intellectu, & in Deo, omnia profectò cum entia, tum non entia ex deo ſunt, & ideo neque tamen ipſe Deus eſt, cum entia, tum non entia, neque exiſtit in eis. Si enim eſſet duntaxat vbiq;, ipſe quidem omnia, & in omnibus eſſet. At quoniam eſt, & nuſquã, omnia ſanè per ipſum fiunt. fiuntq; rurſus in ipſo, quoniam ipſe exiſtit vbiq;: diuerſa rurſus ab ipſo, quoniam ipſe nuſquam. Similiter intellectus vbique exiſtens, atque nuſquam, cauſa eſt animarum, animaſq; ſequentium: neque ipſe anima eſt, neque quæ poſt animam, neq; in eis exiſtit: quoniam videlicet non ſolum vbiq; eſt, eorumq;, quæ ſunt poſt ipſum, ſed & nuſquam. Rurſus, anima neque corpus eſt, neq; eſt in corpore, ſed cauſa corporis, quoniam dum vbique eſt, per corpus ſimul eſt, & in corpore nuſquam. proceſſus deniq; vniuerſi in illud deſinit, quod neque vbiq; ſimul, neque nuſquam eſſe valet, ſed alternis quibuſdam vicibus vtriuſque fit particeps.

EX PORPHYRIO DE ABSTINENTIA ANIMALIVM, MARSILIO FICINO INTERPRETE.

*

Anima in hoc corpore dormit.

ABstinere animalibus præcipimus, non quidem omnibus, ſed omni duntaxat diuina contemplaturo, qui ſanè animaduertit huius habitaculi veneficia, in quo hîc habitamus: quin etiam cognoſcit, quòd in ſe eſt, naturaliter perpetuò vigilans, atq; ſomnum, quo hîc opprimitur, deprehendit. Cui nos ſanè educationẽ, nutritionemq; trademus cõſentaneam: tum huius loci naturæ, tum ſui ipſius cognitioni conuenientem.

Beatitudo non eſt diuinorum cognitio, ſed vita diuina.

BEata nobis contemplatio non eſt verborum accumulatio, diſciplinarumq; multitudo, quemadmodum aliquis fortè putauerit: neque enim ita componitur, neq; pro quantitate rationum ac verbo-

rum

rum accipit incrementum, alioqui nihil prohiberet illos, qui omnes congregauerint disciplinas, esse beatos. hunc verò nedum quælibet disciplina felicem contemplatione impleat, nec ipsæ etiam de iis, quæ veræ sunt doctrinæ, id vnquàm efficiunt, nisi eis adsit & vita in ipsam diuinorum translata naturam. profectò contemplationis finis est ens ipsum, verumq; assequi adeo scilicet, vt eiusmodi assecutio contemplatorem pro naturę suæ viribus, cum eo, quod contemplatur, conflet in vnum: non enim in aliud, sed in ipsum verè seipsum fit recursus, neq; ad aliud, sed ad seipsum re vera fit conspiratio. Ipse verò re vera est intellectus. Quamobrem & finis est intellectu viuere, atque ad hoc ipsum sermones, disciplinæq; foris adhibitæ, conditionem quidem nobis purgatoriam adhibent, non tamen rationem ipsam qua nobis felicitas cõpleatur. quãobrem si in sermonum, rationumq; congerie felicitas ipsa consisteret, liceret hominibus educationem, certáque officia cõtemnentibus, felicem consequi finem. at verò quoniam hanc vitam oportet in aliam commutare, animum per verba, & rationes, operáque purgantes, dic agè, quínam sermones, quænam opera sic potissimum

tissimum nos instituant? nónne verba duntaxat, officiaq;, quibus à rebus sensum mouentibus, sensusq; passionibus separemur? Atq; ad vitam intellectualem, supérque imaginationem, ac pro viribus passionis expertem denique reducamur.

De animæ descensu, atq; ascensu.

OPortet nos, si modò ad illa, quæ re vera nobis propria sunt, reuolaturi sumus, hæc, quæ & ex natura mortali nobis adsumpsimus, omnino deponere vnà cum affectione ad hæc declinãte, per quã descẽsio nobis cõtigit. præterea reminisci beatæ, & æternæ substãtiæ, ac, dum ad incorporeum studemus ascendere, duo potissimum meditari, tum qua ratione esse materiale, caducumq; deponamus, tum etiam qua via præcipuè reuertamur, contraria scilicet via redeũtes ad illa viæ, per quam ad hæc nostra descẽdimus. Eramus enim, & adhuc sumus, intellectuales essentię puræ ab omni sensu, naturæq; irrationali viuẽtes: copulati verò sumus naturæ sensibili, tũ per impotentiã æternæ ad intelligibile nostrũ coniũctionis, tum per potentiã ad inferiora vergentem. Omnes enim vires cum sensu, corporeq; agentes, tunc primùm pullulant ad effectum, cùm animus in ipso intelligibili minimè perseuer

seuerat, similes terræ iam deprauatę, quæ, cùm triticum sæpe susceperit, reddit deniq; lolium. Idq; per quandam animæ accidit prauitatem, quæ sanè nō perdit quidem ipsius essentiā, dum irrationale pullulat germen, sed per hoc ipsum anima cōiungitur cum mortali, dum ad alienum ex proprio trahitur. Quamobrē siquando ad pristinum statum redire pro viribus affectamus, necessariū est à sensu, & imaginatione, omniq; irrationali, quæ sequitur inde, conditione, passionibusq; eiusmodi animum penitus segregare, quatenus permittit naturæ necessitas. Rite verò disponere, articulatimq; componere, quæ ad mentem pertinent, tranquillitatem, pacemq; ex hoc circa irrationale bellè constituentes, vt nō solùm de ipsis intellectus intelligibilibus audiamus, sed etiā quanta potentia simus fruentes, videlicet contemplatione mentis, & in naturam incorpoream restituti. Iamq; per intellectū verè viuentes, nec vltra falsò vnà cum naturis caduco cognatis. Soluere itaq; multa nobis indumenta debemus, tum visibile hoc indumentum, tum interiores adhuc nobis vestes adhibitas. non enim vitiorum effectus tantùm deuitare debemus, sed effectus etiam ipsos radicitus extirpare.

re. discessus autem à corpore fieri quidem potest cum violentia, fieri quoq; persuasione quadam, & perfecto rite peragitur per extenuationem quandam, &, vt dixerit aliquis, per obliuionem, mortemq; affectuum, quæ quidē optima discessio est, quippe cùm nihil trahat secum ipsius, ex quo animus ipse diuellitur. nam vt in rebus sensibus manifestis compertum habemus, quicquid euellitur violentia, aliquid secum, siue partē, seu vestigiū euulsionis ipsius, eiusq; ex quo eradicatur trahere solet.

De solutione animæ.

SApientes antiqui diligenter omnia deuitabant, quæ animam corpori affigere possent. sic Pythagorici, & similes sapientes partim se in solitudinem recepe runt, partim in ciuitatum templis, lucisq; viuebant, vnde procul turba omnis semoueretur. Plato autem elegit academiam habitandam, agrum non modò solitarium, & ab vrbe semotum, sed etiā (vt fertur) insalubrem. Alij verò oculis etiam minimè pepercerunt, quo contemplationem intimam nullis interpellatam, & perpetuam conseruarent. Philosophus quidem animum à corpore per violentiam non extrudet: nam si vim intulerit, nihilo minus

minus permanebit ibidem, vnde sic exire compulerit. neque tamen parum referre putabit, si corpore impinguando sibi carcerem confirmauerit duriorem. Cauebit enim ne sensus, eiusq; voluptas, si inualescat, animam profundius in corpus immergat. Profectò si sensuum actiones puram animi actionem non impedirent, quídnam graue foret esse in corpore, dũ motiones, quæ per corpus fiunt, minimè patiaris? quo enim modo iudicares, diceresq; quod passus fueris, nisi & patiaris, nisi & præsens his existeres, quæ patiebaris? Intellectus quidē penes seipsum esto, etiam si nos penes ipsum minimè simus. qui autem ab intellectu digreditur, ibi iam est, quo est transgressus, discurrensq; sursum, atque deorsum, atentiore perceptionis cuiusdam studio, illic iam adest, vbi perceptio ipsa peragitur, nedum qui ad experientiam sensibilium descendit, & per facultatem irrationalem agit, possit interea quæ secundum mentem sunt, contemplari syncerè: nec illi etiam, qui duas nobis attribuunt animas, geminas quoq; nobis attentiones simul habere permittunt; alioquin duo animalium coniugia effecissent. fieri posset altero ad alia intento, vt alterum sibi alterius opera minimè

nimè vendicaret. Sed quidnam oporteret passiones corporeas eneruare, ab eisq; mori, idq; quotidie meditari, si possemus secundum intellectum agere coniuncti mortalibus absque intellectus inspectione, vt aliquis declarauit? Intellectus enim videt, intellectus audit. At si luxuriosè comedens, vinumq; ingurgitans suauissimum, potes interea diuinis incumbere, cur non frequenter es in diuinis, dum humanis inhæres, eaq; congressu perpetras, quæ dictu etiam honesta non sunt? vbique enim pueri ipsius, qui nobis inest, perturbationes sunt, & quia turpes, ideo ad eas contemplator distrahi nequit, & interim contemplari. vbi enim sensus, animaduersióque eiusmodi, illinc ipsum abest intelligibile: & quo magis facultas excitatur ratione carens, eo longius abest intelligentia. fieri nanque non potest, vt aliquis huc, atque illuc delatus, hîc simul sit atque ibi. non enim parte nostrum, sed toto attentiores efficimus.

De abstinentia.

VIr autem cautus, & qui naturæ veneficia suspicatur, cognoscitq; naturam corporis, quemadmodũ videlicet instrum

ſtrumenti more ad animi vires contemperatum eſt, intelligit ſanè quantū paſſio ſonare parata eſt velis, nolís ve, quoties ab externis pulſatur corpus, pulſatioq; in perceptionem peruenit: perceptio enim ipſa, animaduerſioq; ſonus ipſe eſt. Fieri verò non poteſt, vt anima ſonet quidem, niſi tota conuerſa ſit ad ſonum, & oculum præſidentem ad hoc ipſum direxerit. Quando verò ſublata multorum indigentiæ cauſa fuerit, liberatiq; fuerimus eorum copia, quæ intromittuntur in corpus, & eorū pondere iam leuati, tunc animi oculus à fumo, fluctuq; corporeo fores emicat, neque commemoratione, neq; demonſtratione iam indiget ob naturalē ſui ſolertiam otij neſciam. Præterea vſus carnium ad ſanitatem minimè cōfert, ſed ſanitatem potius impedit: quoniam per quæ recuperatur ſanitas, per eadem perſeuerat. recuperatur autē per victū tenuiſſimum, & carnibus abſtinentē, quapropter & hoc ſanitas conſeruatur. Quòd ſi ad Milonis robur animalium abſtinentia minus confert, certè neq; roboris augmento opus eſt philoſopho, ſi modò contemplaturus eſt. neque actionibus ſeipſum, & incontinētiæ dediturus cōſeruare profectò ſanitatem decet, non mortis quidem metu,

metu, ſed potius ne à bonis contemplatione proficiſcentibus arceamur. Conſeruat autem maximè ſanitatem imperturbatus animi ſtatus, cogitationisq; diſpoſitio ad ipſum, quod verè eſt, expoſita. Multum enim vigoris ad corpus inde redundat, quemadmodum experiẽtia noſtri familiares comprobauerunt, adeo, vt dolores iunctūrarum, pedum ſimul, manuũq; acerrimos, annosq; integros octo vectari ab alio compellentes ſimul expulerint, cum pecuniarum, rerumq; incuria externarum, ſtudioque ad diuinitatem prorſus iacto. ſimul igitur pecunias, atque curas, morbumq; corporis expulerunt. Ex quo apparet plurimum, immo totum ad ſanitatem conferre certum quendam animi habitum, atque ſtatum: conducit & plurimum tenuis ad idem victus, & parcus. Si autem oportet nos nihil veritos veritatem liberè confiteri, non datur aliter finem conſequi, niſi quandoque deo (ſi dictu fas eſt) affigamur, atque euellamur à corpore, oblectamentiſque corporeis: quippe cùm ſalus ipſa nobis non per nudum verborum rationumq; auditum, ſed per opera comparetur, non aliter inquam deo copulari poſſumus, quàm per puriſſimam abſtinentiam: neque etiam videlicet

cet alicui particulariũ deo nedum ipsi deo omnibus præsidenti, superq; naturã etiam incorporeã simpliciter existenti, qui quãtò cæteris simplicior est, & purior, sufficientiorq;, & à materia longè semotior, tantò puriorem esse oportet animum eo aliquando fruiturum.

EX SECVNDO LIBRO PORPHYRII, DE SAcrificiis, & diis, atque dæmonibus.

PRimi sacrificatores non animalia, sed herbas primùm, floresq;, deinde arbores sacrificarunt, atq; aromata subfumigarunt. Primi, qui animalibus vesci cœperunt, penuria frugũ animalia inuaserunt, prius enim terræ fructibus vescebantur. Tribus de causis diis sacrificandũ est, vt veneremur, vt gratiã referamus, vt necessaria ab ipsis petamus, malaq; propellamus. ad hæc autẽ impetranda votum animi satisfacit, cui addi possunt ex frugibus munuscula quædam. Animalia verò mactare nefas est. Sacra profectò diis nos quoque dicabimus, sed diuersa, sicut par est, sacrificia offeremus, sicut differẽtibus quoq; sacrificabimus potestatibus. deo quidẽ ipsi,

qui regnat in omnibus, sicut sapiens quidam vir inquit, nihil sensibile offeremus, neq; fumigantes, neq; denominantes. Nihil est enim materiale, quod ipsi prorsus immateriali subitò non sit impurũ. quapropter neq; sermo huic vocalis esse potest accommodatus, neq; etiã sermo animo intimus, quando passione quadã animę sit inquinatus, sed silẽtio puro, purisq; de ipso intelligentiis ipsum rite colemus. oportet igitur coniunctos, similesq; deo iam effectos nostram hanc ad deum eleuationẽ, velut sacram victimam, dedicare deo, quæ quidẽ & ipsamet diuina laus est, salusq; nostra. in ipsa igitur dei huius cõtemplatione passionis omnis experte sacrificium hoc impletur. Filiis autem eius, qui & intelligibiles dij sunt, laudem iam ex ipso quoque sermone adhibere debemus. Nam vnicuique numinum iusta primitiarum fit oblatio ex iis, quæ largitur, & per quæ nos nutrit, atq; in esse conseruat ad sacrificij facultatem. sicut igitur agricolæ primitias ex iis, quæ colligunt, manipulos videlicet frugum, atque fructus arborum ad numina ferunt, ita nos dicabimus eis primitias intelligẽtiarum, similiumq; munerum excellentium, gratias scilicet pro iis agentes, quę nobis largiti

giti sunt, ipsam videlicet numinum, munerumq; suorum contemplationem, præcipuè cùm per ipsam eorũ inspectionem verè nos nutriant, præsentes vbique nobis, atque apparentes, & nostræ saluti feliciter aspirantes. Nunc verò multos etiam philosophiæ studiosos id operari piget, qui gloriam potius, quàm diuinitatẽ colentes circa statuas reuoluuntur, neq; cõsiderant, vtrum, & quomodo ad talia sit veniendum: neque discere student ab illis, qui diuina sapientia pollent, quousq;, & quantum ad hæc sit concurrendum. Nos autem cum his minimè contendemus, neq; tale aliquid dignoscere studebimus, sed sanctos, antiquósque imitabimur plurimum, videlicet velut primitiarum numinibus ex ipsa contẽplatione dicantes, quam nobis superi tribuerunt, & cuius nobis vsus ad veram salutem est admodum necessarius. itaque Pythagorici circa numeros, lineasq; versati, ex his etiã diis plurimum dedicabant, alium quidem numerum Palladem nominantes, alium verò Dianam, alium Apollinem: rursus alium iustitiam, alium temperantiam, ac similiter in figuris, atq; ita similibus sacrificiis diis adeo placuerunt, vt vnumquẽq; deorum suis oblationibus aduocarẽt, eo-

rumq; beneficio frequenter ad vaticiniũ vterentur, & siquo ad examinandum aliquid indigerent. Diis autẽ quæ sunt intra cœlum , siue cursu quodammodo pererrantibus, siue non errantibus, quorum ducem esse Solem primò , deinde Lunã existimandũ est, commodè sacrare possumus ignem iam quasi cognatũ, & quæ mandat theologus, seruare debemus. Inquit autẽ ille, animatum nullum sacrificandum, sed vsq; ad farinam , & mel , terræq; fructus atq; flores : nouit enim virum pietatis veræ cultorem, Diis quidem animatum nullum aliquando sacraturum , sed dæmonibus, atque aliis siue bonis, siue malis. sed missa hæc faciamus. mihi quidẽ quæ pleriq; Platonicorũ diuulgauerunt, in mediũ ingeniosis iam afferenda videntur. Tradunt verò hoc tantummodo, primus quidem deus cùm sit incorporeus , immobilis, impartibilis in nullo, neq; etiam in seipso cohibitus, nullo eget externo, neque etiã mundi anima eget externis. Possidet enim & continet ipsum, quod est trina dimensione porrectũ, facultatemq; naturaliter se mouentem, & suapte natura decreuit bene, ordinateq; moueri , mouereque mundi corpus secundũ optimas rationes. excepit autem in seipsa corpus , atq; com

plexa

plexa est, quamuis incorporea sit, atque ab omni libera passione. Diis autem reliquis ac mundo & errantibus, & nō errantibus, qui ex anima, & corpore constant, oculis manifesti, sacrificandum est sacrificiis inanimatis ea, qua diximus, ratione.

De speciebus dæmonum bonorum, atque malorum.

Reliqua est inuisibilium multitudo, quos dæmones indistinctos dixit Plato. horum verò alij quidem ab hominibus cognominati apud singulos nacti sunt honores diis æquales, reliquumque cultum: alij verò plurimum formæ nominati non sunt, sed à quibusdam per vicos, aut vrbes nomē, & cultū occultè quodam modo sortiuntur. reliqua verò turba, sic quidem communiter appellatur nomine dæmonum. Rata verò apud omnes fides est eiusmodi: eos certè læsuros genus humanum, si irascantur, propterea quod negligātur, neq; cultum legitimū nanciscantur: rursusq; benefacturos hominibus, qui eos votis, supplicationibusq; & sacrificiis, & aliis, quæ cōsequūtur, sibi cōciliauerūt. Cùm igitur opinio hæc de dęmonibus cō fusa sit, multūq; habeat in eos calūniæ, necessarium est eorū naturā ratione distinguere,

guere. Forte nanq; neceſſarium aiunt, vnde circa illos error hominibus incidit declarare. diſtinguendum igitur hunc in modum. Quæcunq; igitur animæ ex tota anima pullulantes magnas ſub Luna locorum partes gubernant, ἀπερειδόμεναι innitentes quidem, ſiue adhærentes, ſiue impoſitæ ſpiritui, ſed ipſum ſecundum rationem ſuperātes. has vtiq; bonos dæmones iudicandum, & ad eorum, quæ fiunt, vtilitatem omnia procurare, ſiue quibuſdam pręſint animalibus, ſiue certis fructibus, ſiue aliis horum gratia ordinatis: velut imbribus, & temperatis ventis, aërię; ſereno, temperationię; temporum, & reſi quis ad hæc omnia conferentibus: apud nos rurſum artibus & muſicæ diſciplinæ, & medicinæ, & gymnaſticæ, atq; ſimilibus. Fieri verò non poteſt, vt ij, qui vtilitati rerum, commoditatię; conſulunt, rurſum inferant detrimenta. inter eos adnumerandi ſunt dęmones, quos Plato tranſferre, nuntiareq; dicit humana quidē diis, diuiná ve hominibus, dum vota quidem noſtra ad deos, velut iudices perferunt: illorum verò iuſſa, monitionesq; vnà cum vaticinio ad nos deducunt. Quæcunque verò animæ coniuncto ſpiritui minimè dominantur, ſed plurimùm cedunt, hæ

ſanè

sanè per hunc ducuntur nimium, & ferun-
tur quando iræ, concupiscentiæq; spiritus
inualescūt. hæ quidem animæ ipsæ quoq;
sunt dæmones, sed rite malefici nominan-
tur. Sunt autem tum hi omnes, tum quos
diximus ab his diuersi inuisibiles, nec
prorsus humanis sensibus manifesti. non
enim solido corpore vestiuntur. Præterea
nec vnam omnes formam habēt, sed figu-
ris plurimis insignitas. Et formæ, quæ il-
lorum spiritum obsignant, aliàs quidem
apparent, aliàs verò nequaquam. aliquan-
do verò & formas mutant illi scilicet, qui
deteriores sunt. Spiritus autem eorum,
qua quidem ratione corporeum quiddam
est, passioni obnoxium est, atque dissolu-
bile: sed qua ab animis, ita deuinctū spe-
cies eius diu perseuerare potest, neque ta-
men est æternum. Consentaneum est ali-
quid ab eo semper effluere, atque nutriri.
In commensuratione quidem corpus bo-
norum consistit, quemadmodum & cor-
pora nobis manifestorum, sed malefico-
rum dæmonum inconcinna sunt, ac affe-
ctione passiua locum incolunt terræ vi-
cinum. Nullum ergo malum est, quod
non audeant perpetrare: habent enim
omnino violentum, & male sanum mo-
rem, desertum videlicet custodia dæ-

monum meliorum. Ideoq; vehementes, repentinasq; insidias plurimũ machinantur, & proruunt. ac dum agunt incursiones, partim latere conantur, partim inferunt violentiam. quamobrem acutæ, veloces q; sunt passiones ab eis illatæ: curationes autem, emendationesq; à dęmonibus melioribus tardiores esse videntur. Omne enim bonum gubernatione facile, æquale q; est, & progreditur ordine. neq; quod oportunum est, transgreditur. Si ergo sic de dæmonibus senseris, nunquam in opinionem de illis incides absurdissimam, per quam opineris, vel à bonis mala, vel à malis contingere bona. neque sic tantùm absurdus est sermo, sed etiam multi concipientes inde pessimas de diis opiniones in multos homines diuulgarunt. Vnum enim hoc est inter maxima damna, quæ à maleficis dæmonibus inferuntur, quòd videlicet, cùm ipsi infelicium passionum terrenis incidentium autores sint, sicut pestis, penuriæ, terræ motus, æstus, incendij, atq; similium, nobis interea persuadent illos horum effectores esse, qui contrariorum potius, id est fertilitatis, prosperitatisq; eiusmodi sunt autores: sic itaque seipsos ex ipsa calamitatum causa conantur absoluere: atque hoc ipsum machinantes,

primum

primum quidem iniustitiam suam latere nos moliuntur, subinde verò nos flectunt ad supplicationes, & sacra beneficis co͂uenientia diis, quasi illi nobis irati sint: hæc autem, similiaq́; faciunt studentes à recta deorum sententia nos abducere, atque ad seipsos adducere. omnibus enim rebus sic iniquè, discorditerq́; factis admodum delectantur, & tanquam aliorum deorum facies subeuntes: sicq́; imprudentia nostra confici sibi turbas in societatē adsumunt, & propter eiusmodi concupiscentias hominum incendunt animos amoribus, cupiditatibusq́; diuitiarum, & dominationum, atque voluptatum. rursus nouis, extraneisq́; opinionibus nos inuoluunt, ex quibus seditiones, bellaq́; nascũtur, & cætera generis eiusdē. Quod autē omnium grauissimum est persuadere similia à superis effici à deo, vt etiam deum maximum criminationibus eiusmodi subigant, quem tradant omnia sursum, deorsumq́; turbare. Accidit autem hoc non rudibus tantùm hominibus, sed multis philosophiæ etiam studiosis. Causa verò erroris mutuò procedit, atque confirmatur. Etenim philosophantes, qui à communi colluuione nunquam secesserũt, in eosdem cum plebe errores inciderũt, rursusq́;

susq; turbę opinionibus suis similes à laudatis scriptoribus audientes in hac de diis sententia sunt magis etiam confirmatæ. Poëticum nanque artificium, suspiciones insuper eiusmodi hominum acrius excitauit, propterea quòd elocutione vtitur ad stuporem, & attractum quasi magicum vehementer accommodata, facileq; potenti mulcere animos, & allicere, ideoq; fidem de rebus prorsus impossibilibus nobis afferre: sed profectò firmiter credendū est, neq; bonū vnquam lædere, neq; prodesse malum. Non enim caloris est (vt inquit Plato) frigefacere, sed oppositi. ita neq; iusti nocere. Iustissimū autē omnium naturaliter est ipsa diuinitas, alioquin nihil diuinum foret. Nónne igitur secernenda est hæc potentia, sorsq; beneficorum dæmonū? quæ enim prompta est, naturaliter admodum contraria est beneficæ, contraria verò circa idem nunquam naturaliter accidunt. Cùm igitur eiusmodi dęmones in multis mortalem lædant naturam, & quandoque in magnis, certè boni dæmones interim officia sua nunquam deserunt, sed imminentia passim à malis pericula pro facultate significant, tum in somniis ostendentes, tum per animos diuinitus inspiratos, perq; alia multa.

ta. Ac si quis posset significata discernere, omnes improborum machinas deprehenderet, atque deuitaret. hi nanque significant omnibus, sed non quiuis significata cognoscit: neq; quilibet scripta legere valet, sed qui literas antè didicerit. Per contrarios verò dæmones vniuersum efficitur veneficium. hos nanque maximè, horumq; ducem honorare solent, qui mala veneficiis inferunt, hi sanè dæmones omniformibus figuris, imaginibusq; abundant, prodigiorumq; machina strenuè fallunt, horũ opera infelices φίλτρα, amatoriaq; maleficia machinantur. omnis enim intemperantia, spesq; diuitiarum, atque gloriæ per hos inualescit, præcipuè verò deceptio: mendacium enim, proprium est eiusmodi dæmonum. Dij enim videri volunt, ac potestas ipsa eis præsidens, deus maximus vult haberi. Hi sanè sunt duntaxat, qui libamine, nidoreq; carnium oblectantur. his enim spirituale corpus eorum pinguescere solet, viuit nanque hoc vaporibus, fumigationibusq;, atq; variè admodum (vt par est) per varia, nidoreq; sanguinis, & carnium vires adsumit. Vir igitur prudens, atque temperatus cauebit eiusmodi sacrificiis vti, quibus eiusmodi dæmones attrahat ad seipsum. Studebit autẽ

animum

animum perfectè purgare. animū nanque purum ob ipsam dissimilitudinem nunquam aggrediuntur. Proinde si ciuitatibus fortè necessarium sit, hos etiam dæmones sibi conciliare, nihil ad nos vsus eiusmodi pertinet. Nam in ciuitate diuitiæ, externaq́;, & corporea commoda tanquam bona inter ciues habentur, atq; horum cōtraria mala: neq; fermè quicquam pensi habent de animi perfectione, atque puritate. Nos autem commodis, quæ dæmones afferāt, quantum fieri poterit, non egebimus, sed tum ex animo, tum ex externis omni studio cōtendemus, deo quidem ipsi, sibiq́; propinquis similes effici, quod sanè trāquillitate animi, veritatisq́; rerum comprehensione distincta, ac vita ad hæc prorsus intenta completur: improbis autem hominibus, atque dęmonibus, omniq́; prorsus, & quod mortali, materialiq́; gaudeat, dissimiles effici. Quamobrē secundum ea, quę tradidit Theophrastus, ipsi quoq; sacrificabimus, quibus & theologi consenserunt, cognoscentes videlicet quatenus animam à perturbationibus purgare negligimus, eatenus potestati improbæ copulari. vnde merito compellemur hanc insuper demulcere. vt enim theologi tradunt, qui à rebus pendent externis,

ternis,neq; dum perturbationibus dominantur, hac ipsa conditione coguntur potestatis eiusmodi impetum à se propellere,alioquin cessare nunquam à laboribus poterunt.

De sacrificijs ad dæmones malos, & de abstinentia,& cautione à malis dæmonibus.

QVapropter theologi, si quando permittunt dæmonibus improbis vitandorum gratia malorum, quæ illaturi sint, animalia mactare, vetant, simul talia sacrificia degustare, interea iubent antè quàm ita sacrifices purgare animum ieiunio, ac præcipuè animalium abstinentia. Existimant enim sanctam animi puritatem esse quasi symbolum, characteremq; diuinum, quo custodiaris adeo, vt nihil patiaris ab illis, quibus ipse propinquas, dum eos sacrificando concilias: quando enim contrà sis affectus, atque illi,quibus sacrificia operaris, sisq; purior, ideoq; diuinior te, & corpore & animo indemnem perseuerare, pura scilicet sanctimonia velut arce munitum. Quamobrem fascinatoribus etiam veneficisq; necessaria visa est eiusmodi cautio, per quam sint à discrimine tutiores, neque tamen penitus tuti esse possunt: lasciuiæ nanque genera consueuerũt dæmones improbos compellare.

pellare. quapropter non veneficorum, incantatorúmque propria est puritas, atque simonia, sed diuinorum certè virorum, contemplantiumq; diuina. Iam verò castitas, abstinentiaq; suos passim obseruatores contra malos dæmones diuina familiaritate tuetur. itaque si fascinatores hac vti prorsus constituissent, certè fascinare nunquam prorsus auderent, vtpote, qui per hanc reuocati essent ab eorum concupiscentia, quorum gratia in pietate se polluunt. Itaque perturbationum pleni, atq; vix vel paululum cibis abstinentes impuris, ideoq; ipsi prorsus impuri supplicia luunt transgressionis contra vniuersum iniquè: partim quidem sub dæmonibus, quos ipsi prouocant, partim etiam sub diuino iudicio cuncta mortalium opera, consiliaq; prorsus inspiciente.

De vero cultu, & sacrificio, & cautione à malis dæmonibus.

DIuinus autem vir animum, tum sapientia diuina, tum abstinentia ciborum perturbationes hominibus incitantium, tum ipsa ad deum similitudine muniet, & quasi dei templum incontaminatum animum esse putabit, in hoc videlicet vniuerso dei patris templo. Proinde cùm

cũ omne sensibile corpus defluxus quosdam materialium dæmonum nobis afferat, certè vnà cum impuritate nutrimenti ex carnibus, & sanguinibus hausti adest nobis potestas dæmonica huic amica, faciléq; pellecta propter similitudinẽ, proprietatemq; valde familiarẽ. Quamobrem rectè theologi omnes in primis abstinentiæ studuerunt, atq; Ægyptius nobis hæc aperuit, causam afferens maximè naturalem, quam experientia comprobauerat. Quoniam videlicet praua, irrationalisq; anima, quæ corpus violentia suum reliquit, expoliata ad hoc ipsum deinde se admouet, ibiq; moras protrahit, vnde hominum quoq; animæ violentia mortuorum immorantur, & circa corpus. idq; ipsum nos admonet ne vi à corpore animum excludamus. Cùm igitur violentæ viuentium cædes compellant animas corpora relicta diligere, nihil autem obstet, quo minus anima ibi sit quocunque cognatum aliquid allicit eam, vnde animæ passim multæ visæ sunt lamentari, hominumq; animæ carentium sepultura circa corpora immorentur. quibus sanè malefici sæpius abutuntur ad ministeriũ suum efficiendum, compellentes animas appositione corporis, vel partis cuiusdam assumptio

ſumptione: cùm hæc inquam hæc illis historia comperta ſint, compertámque habuerint improbæ naturam animæ, & cognationem eius ad corpus, voluptatemq; qua afficitur erga corpus, ex quo euulſa eſt, iure nutrimẽtum ex animalibus fugerunt, atque damnauerunt, ne extraneas animas auulſas violenter, atque impuras, quæ ad cognatum ſibi trahuntur, ad ſe ſic accerſirent: néve prohiberentur quominus ſoli, puriq; deo appropinquarent, ſiquando videlicet præſentia turbantium dæmonum propellerentur à deo. Quòd natura cognati corporis incitamentum quoddam ſit ad animam trahendam, experiẽtia in pluribus theologos docuit. Qui enim vaticinantium animalium inſinuare ſibi animas optabant, præcipua illorum membra deglutientes, velut corda ceruorum, vel talparum, vel aſturum accipiebant, ſubinde præſentem animam dei ritu vaticinantẽ. quæ ſanè vnà cum ſui corporis intus aſſumptione in corpus humanum ſe penitus ingerebat. Iure igitur philoſophus, deiq; ſacerdos omnibus dominatis, animalibus omnibus abſtinet. ſolus videlicet ſoli deo per ſeipſum ſtudens appropinquare, dum videlicet nulla comitantium inde turba diuertat, quo quidem

dem commercio ipſe, deinde & naturas rerum intelligit, & diuinat, deumq; habet in ſemetipſo, vnde æternæ vitæ fiduciam pignusq; poſſidet, totus trãſlatus ad deũ, atque vatis loco iam Iouis familiaris euadit. Proinde ſi qua neceſſitas inſtat, non deſunt huic diuinitatis familiari paſſim boni dæmones occurrentes ei, & per ſomnia, ſigna, voces, futura prænũtiantes, vnde diſcatur, quid ſit neceſſarium deuitare. Solum nanq; diſcedendum eſt à malo, cognoſcendumq;, quod in vniuerſo ſit optimum ac maximè venerandum. & vniuerſum, quod eſt in toto bonum amicum, atq; affabile. Improbitas autem, & inſcitia diuinorum compellit hominẽ deſpicere, quæ nõ nouit, eaq; damnare. verùm apud eos, qui audire poſſunt, ipſa natura clamat. quæ, cùm intellectualis ſit, per intellectum cultores ſuos in ſacra penitus introducit. Nouit profectò vir ſapiens, dæmones quidem malos animalium victimis delectari, & in eis futura portendere. Deos autem huiuſmodi victimis non egere, qui ſanè adorantium mores inſpiciunt, maximũ ſacrificium exiſtimantes rectum de ipſis, atq; de rebus iudiciũ. nam apud deos optima eſt oblatio, pura mens, & perturbationum vacuus animus. hinc Pla-

to bono quidem viro conuenire ait ſacrificia operari, diuiniſq́: intereſſe: malum verò fruſtra in ſacrificiis laborare.

EX LIBRO TERTIO, QVOD ANIMAE SENſuales ſint, & rationales, atq; immortales.

IN libro tertio dicit ſe afferre opinionem veram,& Pythagoricam: omnem ſcilicet animam ſenſibus, & memoria præditã, eſſe rationalem, habereq; rationem, orationemq́;, tum interiorem, tum exteriorem, qua inter ſe loquãtur animalia. quorum verba non diſcerni à nobis, nihil mirum ſit, cùm barbarorũ etiam multorum ſermonem minimè diſcernamus, neq; tam loqui quàm indiſtinctè vociferari putemus. Addit, ſi credendum ſit antiquis, atque illis, qui patrum noſtrorum, & noſtro tempore extiterunt. Sunt qui dicant ſe audire ſermonem animalium, atq; intelligere, ſicut apud antiquos Melapus, & Tireſias, atque tales. nuper verò Apollonius Theaneus, quem dicunt in amicorum cœtu, cùm audiret hirundinem aliis nuntiare, aſinum prope vrbem onuſtum tritico cecidiſſe, triticumq; humi diffuſum: contendit

tendit deinde animalia rationem habere, tum quia inter se sua significẽt, tum quia diligenti sibi solertia consulant, vsuiq́; futuro prouideãt, tum quia discant, & ab se inuicem, & ab hominibus multa, seipsaq́; inuicem doceãt. Subiungit Aristotelem, Platonem, Empedoclem, Democritum, aliosq́;, quicũq; veritatem de animalibus perscrutati sunt, participationẽ rationis, orationisq́; in animalibus cõperisse. Appa rere autem in hac diuersitatem, vt Aristoteles quoque dixerit, in essentia minimè differentem: sed per magis, minúsue diuer sitatem, quemadmodum plerique putent differentiam deorum in hac ad homines esse. non quidem secundum essentiã, imo secundum perfectum, & imperfectum ha bitum rationis, sic & rationis naturam no biscum animalibus, sed per magis & minus existimamus esse cõmunem. Animalia illa Aristoteles ait esse prudentiora, id est astutiora, quæ sensuum acumine pollent. Differentiæ verò corporũ facilè quidem, vel difficilè passiuam reddunt animam, atq; magis, minusq́; promptam habere rationem præstant. verùm secundum essentiam, variare animã nequeunt, quando neq; sensus, neq; passiones reddunt inter se differẽtes, neq; faciunt, vt perfectũ

transgrediantur. Concedatur itaq; secundum magis & minus esse in his differentiam rationis, neq; tamen ratione animalia reliqua omnino priuentur, neq; ex eo, quod nos magis, quàm animalia intelligamus. propterea illa intellectione omnino priuemus. sicut neq; volare perdices negamus, quoniam astures velocius volent. Concedere quidem poterit aliquis animã cum corpore compati, patiq́; aliquid eo vel bene, vel malè affecto: permutari verò ipsam animæ naturam ex hoc, nequaquam. Si autem compatitur tantùm, vtitúrque eo, vt instrumento, faciet quidem per ipsum multa aliter instrumẽtis dispositum, quàm nos simus, quæ quidem nos facere non valemus. Atque compatietur per ipsum certo modo dispositum, non tamen naturam propriam commutabit. Qui autem bruta dicit, quæ rationaliter agunt, natura facere non animaduertit se dicere hæc rationalia esse natura. quasi verò ratio nobis natura non insit. Ipsáque perfectio nõ, sicut natura instituti sumus, suscipiat incrementum, veruntamen quod diuinum est, non fit disciplina rationale. non enim erat quãdo rationale non esset, sed simul & fuit, & rationale fuit. neque prohibetur esse rationale, quoniam ratio-

nem

nem non acceperit per diſciplinam, quan uis & in cæteris animalibus, ſicut & in hominibus, multa quidem ipſa natura docuerit, alia verò diſciplina præbuerat. Nõ abſurdè quidã conati ſunt oſtendere multa etiam ex locis, quæ ſortita ſunt, prudentiora eſſe quàm nos. vt enim habitantia ætherem rationalia ſunt, ſic aiunt, quæ illis proximè habitant, id eſt in aëre. Deinde quę in aqua, deinde quę in terra, inter ſe rationis gradu differre. ſi enim deorum dignitatẽ quodammodo metimur etiam ex locis, ſic & animalium perpendimus dignitatem. Socrates, & ante illum Rhadamanthus per animalia iurabant. Ægyptij verò animalia quædã deos exiſtimabant, ſiue re vera deos arbitrarentur, ſiue cõſultò deorum formas vultu bouino, & auium facie, aliorumq; pingerent, vt non aliter animalibus quàm hominibus abſtinerent, ſiue alia ſecretiori de cauſa: ſic & Græci ſtatuæ Iouis cornua arietis impoſuerunt: tauri verò cornua ſtatuæ Dionyſij. at Pana ex homine, & capra compoſuerunt. Muſas autem & Sirenas alauerunt, & Amorem, atque Mercurium: & Iouem tauri formam induiſſe ferunt, & aquilæ, atque cygni. Per hæc antiqui honoranda eſſe animalia teſtabãtur. & Socrates, vbi

ait cygnos suos esse conseruos, non est iocatus. Tabula verò indicat conuenire animalia nobiscum in anima, dicens indignatione deorum, ex hominibus animas in animalia pertransire, cùm verò pertransiuerint, deos denique misereri. per hæc, & similia significatur animalia esse rationalia, ratione quidem in plurimis imperfecta, non tamen prorsus ab ente.

Nefas est animalia cadere.

INiustum est animalia cædere, quandoquidem non omnino à nobis sunt aliena. Nos autem tanquam lasciui, & insolentes ludo frequenter in theatris, venationibusq́; animalia passim plurima interficimus, quo factum est, vt vis ipsa in nobis ferina, & immitis vehementius inualuerit, humanitas autem, & mansuetudo cessauerit. Pythagorici verò mansuetudinem, & clementiam erga feras meditati sunt, tanquam humanitatis, & misericordiæ specimen. Omne, quod est inanimatum, cùm ratione, menteq́; careat, opponitur ei, quod vna cum anima rationem, & intelligentiam quandam habet. Omne nanque animatum sensuale habet etiam phantasiam, velut rationem quandam. natura enim, quæ alicuius gratia, & ad aliquid

quid omnia facit,& fecit animal ſenſuale, non quidem vt ſimpliciter ſentiret, atque pateretur, ſed vt perciperet quæ ſibi com moda forent, quæ've incommoda, & illa quidem ſequeretur, hæc fugeret. ſenſus igitur vtrorumque cognitionem ſingulis animalibus affert. quæ verò ſenſum ſequuntur, ſcilicet vtilium proſecutiones, apprehenſionesq́;, noxiorum verò deuitationes, putandum eſt non adeſſe niſi habentibus ratiocinationem quandam, & iudicium, atque memoriam. Etſi Strato phyſicus ſenſum dicit nõ abſq; intelligentia quicquam agere, ſiquidem præſentia ſenſibus non percipimus, dum attentius aliud intelligimus: tamen eſto quidem ſenſum non egere mente ad eius actionẽ, at quando ad proprium, & alienum ſenſus agendo ſe confert, & inter hæc duo differentiam ponit, & illud fugit, hoc ſequitur,mediumq́; ſequendi, effugiendiq́; ſagaciter inuenit ineſſe rationem:coniicere poſſumus, & hæc quidem rationis propria ſunt, omniaq; omnibus animalibus adſunt ſcilicet progreſsiuis.

Qui paucis contentus viuit,& innocens,est quaſi deus.

CVm animis finis ſit deo fieri ſimilẽ, Deus autem nullius indigus ſit,no-

ceátue nulli,ille certè feliciſſimus eſt,deó que ſimillimus,qui ita ſeipſum comparat, vt quamminimè egeat alienis, quamminimè noceat. hic ergo ſolis veſcetur terræ fructibus, ne noceat hominibus, ne noceat animalibus: & quantum fieri poterit, parcet etiam plantis & herbis:nam & hoc ipſum antiqui lamentabantur, quòd vel arborũ fructibus egeamus. huius autem egeſtatis cauſa generatio eſt,quódue in ipſa inopia per generationẽ conſtituti ſumus iam remotiores à copia.inopia verò ſalutẽ quæritat ab externis. Qui igitur pluribus eget externis, magis cum inopia copulatur, longiusq; à deo diſiungitur.qui enim deo ſimilis eſt,hac ipſa ſimilitudine veram poſſidet copiam.Diues autem, diuitiisq; fruens, nullis infert iniuriam. nempe quandiu iniuriam infert, quamuis pecunias omneis habeat, totamq; occupet terram,pauper eſt habendus, quippe cùm ſit familiaris inopiæ. Quamobrem vir iniuſtus profanus eſt,& omni prauitate pollutus. quod quidem vitium nobis intulit ruina quædam animæ in materiam diſcedentis à bono. omnia igitur nugæ ſunt, quatenus aliquis à principio deficit.omnium egenus eſt animus, quandiu ad ipſam plenitudinem minimè

ſuſpic

ſuſpicit. Cedit autem ei,quod eſt naturæ ſuæ mortale. quatenus ipſe non nouit re vera ſeipſum. Qui autem tanquam deo ſimilis iam effectus, quàm minimis ad victum eſt contentus, hic illa ſeculi aurei proſperitate potitur.

Ratio quædam ineſt etiam animalibus.

RAtio quidem naturaliter ineſt. ratio verò recta, perfectaq; ex meditatione fit, atque doctrina. Quapropter rationalis quidem facultatis participatio quædam omnibus competit animalibus. Rectitudinem verò, ſapientiamq; neq; hominem quidem adeptum reperire licet: & quemadmodum differentia viſus ipſius eſt ad viſum, volatusq; ad volatum. non enim ſimiliter cernunt aſtures, atque cicadæ, neque aquilæ ſimiliter volant, atque perdices, ſic neque rationale quodlibet æque particeps eſt acuminis, & aſtutiæ.

EX QVARTO LIBRO,

ANTIQVI ANIMALIbus abſtinebant.

DIcæarchus peripateticus antiquos inquit Græcos, tanquam proximè deo genitos, optimos fuiſſe natura, ac vitã optimam peregiſſe, adeo vt genus eorum aureum

ſit iudicatum. ſubdit eos nullum animal occidiſſe. Illi ſanè nihil ad ſanitatem melius probauerunt, quàm ſuperflua minimè congregare. Itaque nutrimentum natura valentius adſumere noluerunt, ſed quo potius eſſet natura valentior. Antiqui quoque ſacerdotes Ægyptiorum ſapientiæ ſtudio dediti, de quibus Cheremon ſtoicus diligentiſſimè tractat, animalibus plurimum abſtinebant. Quinetiam multa, velut diuina, venerabantur, quorum alia diis aliis accommodata dicebant, ſicut Soli aſturem, atq; cantharum, & arietem, atque crocodilum. Comprehenderunt enim omnis animalis animam eſſe rationalem, quando à corpore fuerit ſeparata, præſagamq; futuri, nobiſq; diuinantem, omniumq; effectricem, quorum & homo ſolutus à corpore. non ergo temere animalia honorabãt, & ab eis ſe, quantum fieri poterat, continebant.

Sobria vita Eſſæorum.

NArrat ſubinde ex hiſtoria Ioſephi Eſſæorum vitam religioſorum apud Iudæos, atque philoſophorum, omnia eos habuiſſe cõmunia, charitatem mutuam, & abſtinẽtiam, & patientiam ante omnia coluiſſe diuino cultui ſemper intentos.

adeoq;

adeoq; fortes animo, vt necari quàm deũ negare maluerint. Atque in ipsis cruciatibus ridere palàm cõsueuerint. qui ob eam causam cruciati alacres animas emittebant, tanquam iterum recepturi. hęc enim sententia rata est, inquit, apud illos, animas immortales existere, atque ab æthere tenuissimo descendentes corporibus applicari, ῥύμῃ, id est, impetu, & instinctu naturali tractas ad corpora: postquam verò è carcere corporis emigrauerint, tanquam à longa seruitute iam liberas exultare, perq; sublimia se attollere. Abstinebant tum animalibus multis, tum omni prorsus incontinentia. Deniq; ex ipsa vita & temperatissima, & veritatis studiosissima, & deuotissima deo inter eos multi futura præsagiebant, ideoq; prophetæ nominabantur.

Sapientes antiqui præsentem vitam contemnebant spe futura.

SApientes Indorum nominati sunt Gymnosophistæ. inter eos qui quadã generis succesßione in studio religionis, & sapientiæ procedebant, Brachmanes nominati sunt: qui verò idem electione tantùm profitebantur, Samanei, quorum vitam Bardesanes Babylonius latè describit.

bit. Samanei huius vitæ tempus tanquam necessariam quandam seruitutem naturæ ministrantem inuiti ferebant, studebantq́; animas è corpore soluere. & cùm prospere corpus se habere sentirent sæpe, nihilo ad hoc vrgēte, egrediebātur è vita. hos ergo domestici obitu beatos existimabant, atque eos, qui illis superessent deflebant, vt infelices.

Sobrietas, & contemplatio mentem deo coniungit.

GYmnosophistæ, præter reliquā temperantiam, atq; sanctimoniā animalibus abstinebant. Sanctimonia quidem mortalibus abstinens æternam continet vitam. Corpus autem pinguefactum animam cogit esurire à felici vita cadentem, augetq́; mortale, expellens, impediensq́; vitam nobis æternam. contaminat & animam, videlicet corpoream eam reddens, & ad id, quod diuersum est, deflectens. Magnes verò lapis quasi quandam animam trahit ferro sibi aliquando propinquanti. vnde ferrum natura grauissimum euadit leue, eleuaturq́; spiritu magnetis se conferens ad magnetem. Siquis ergo ad deum suspensus euaserit, incorporeum intellectualemq́;, merito non debet nutriment

mentum quærere, quo pinguefiat corpus, quod iter ad mentem impedit, sed ad minimum, ac penitus necessarium alimentum rediget corpus: ipseq; nutrietur diuinitate naturalius deo coniunctus, quàm magneti ferrum. Iam verò si neque minimis quidem alimentis indigeremus, tantò feliciores essemus, quantò magis & immortales. Nunc verò in hoc mortali viuentes, adhuc etiam nos (vt ita dicam) mortaliores latenter efficimus, dum corpus adaugemus, atque (vt Theophrastus inquit) dum ἐνοίκιον, id est plurimum necessitudinis animus familiarius habitando cum corpore contrahit, atque insuper seipsum adhibet totum. Sed vtinam absq; cibo penitus, atque potu agere vitam potuissemus: vt corporis cohibentes effluxũ optimis statim rebus coniungeremur, in quibus & deus existens ita deus existit. Verum quidnam frustra ad homines hæc exclamamus, atque deflemus, sic excæcatos, vt malum quidem suum assiduè foueãt, oderint verò seipsos primo, verumq; genitorẽ? Deinde eos etiam, qui vt quandoq; ab ebrietate expergiscantur, admonent, & hortantur. Democrates ait, viuere imprudenter, intemperanter, impiè, non tam malè viuere est, quàm diu mori.

EX

EX MICHAELE PSELLO DE DAEMONIBVS,

Interpres Marsilius Ficinus.

NAtura dæmonum non eſt abſque corpore, ſed habet corpus, & verſatur circa corpora, quod & venerandi patres noſtri iudicauerunt. ſunt & qui aſſerant, dęmones propria cum corporibus præſentia ſibi apparuiſſe. Atq; & Baſilius diuinus myſteriorum nobis occultorum inſpector, non ſolùm dæmonibus, ſed puris etiam angelis corpora tribuit, velut ſpiritus quoſdam tenues, & aëreos, atq; puros, & teſtem affert Dauidē dicentem: Qui facit angelos eius ſpiritus, ac miniſtros eius flammeos: atq; id quidē neceſſarium eſt. oportet enim, vt diuinus aſſerit Paulus, ſpiritus miniſtros, qui mittuntur, corpus habere, quo mouentur, gradumq; ſiſtant, palamq; appareant. nouerunt enim hæc miniſteria nō aliter, quàm corpus aliud perfici poſſe. quòd ſicubi legas in ſcriptura eos incorporeos appellari, reſpondeo & noſtros, & alios ſolere corpora quidem craſſiora corporea nominare,

minare, corpora verò tenuia, & quę aſpectum, tactumq; effugiunt, incorporea frequenter cognominare. Non eſt autẽ corpus idem cognatum angelis, atq; dæmonibus. Angelicum enim corpus radios quoſdam effundens alternis oculis ſuſtineri non poteſt, eis penitus euaneſcens: dæmonicum verò ſi vnquam tale fuerit, eloqui neſcio. videtur autem tale aliquando extitiſſe, cùm Iſaias nominet angelũ, qui cecidit, luciferum: nunc verò alioquin obſcurum, tenebroſumq; exiſtit, ac ſi coniugato lumine nudatum oculis offeratur, moleſtum nobis occurrit, & angelicum quidem materiæ penitus expers, quapropter & per vniuerſum ſolidum penetrat, atq; pertranſit, minusq; etiam quàm ſolis radius paſſionibus eſt obnoxium. Solis nanq; radium per corpora diaphana, atq; tralucida procedentem, ſiue ingredientem obſtacula terrena, & opaca obſtantia detinent adeò, vt ſuſtineat fractionem, vtpote qui ad malum cognationem habeat. Corpori verò angelico nihil horum obſtat, vtpote quod nullam à quoquam oppoſitionem patitur. quippe cum horum nullis in ordine congruat, vel natura. corpora verò dæmonica quamuis ob tenuitatem inuiſibilia ſint, attamen materialia

quod

quodammodo ſunt, paſſioniq́; ſubiecta, præſertim quęcunq; loca ſubterranea ſubire. Hæc enim adeo cõcreta ſunt, vt tactui ſubiiciantur, pulſataq́ue doleant, & igni propinquantia comburantur, adeo vt horum quædam cinerem quoq; relinquant. Quod quidẽ apud Thuſcos Italiæ populos accidiſſe, hiſtoria traditur. neque ego hæc loquor quaſi poëticam fabulã, monſtraq́; in mediũ afferens Cretenſiũ, Phœnicumq́; more, ſed ex ipſis Saluatoris verbis perſuaſus hæc affirmo, quæ tradunt dæmones ignę torqueri, vtpote qui, propterea quòd corporei ſunt, pati poſſint. Quo enim modo pati poſſent, ſi incorporei forent? quod enim incorporeum eſt, pati à corpore ne fingi quidem poteſt.

Sex dæmonum ſpecies, quomodo ſe transforment, ſe nobis inſinuent, nos moueant.

ACcepi verò multa de his ab eis, qui ſeipſos dediderũt ſtudio eos in aſpectum prouocãdi, tametſi nil tale vnquam viderim, neque videre dæmonas optem. Verſatus verò ſum cum aliquo, qui in Cherrhoneſo Græciæ contermina ſolitariam vitam egit, Marco nomine. hic in Meſim fluuium genus ſuum referebat, ac ſiquis

ſiquis alius in dæmonum cultu profecerat, inſpexeratq; apparitiones dæmonum: hęc ergo antè tanquam vana, falſaq; ſpernebat, atque deteſtabatur. deinde verò palinodiam cecinit, veriſq; dogmatibus, & noſtris adhæſit. hic ergo multa, & mira quidem, & dæmonica nobis aperuit, atque mihi interdum interroganti, vtrum dæmones pati poſſent: & valde quidem, inquit, adeo, vt nonnulli dæmonũ ſemen iaciant, atq; in puſilla quædam animalia oriantur. Tum ego, incredibile inquam dæmonas excrementa habere, & membra genitalia. Habẽt quidẽ, inquit ille, membra, ſed non talia, excrementum verò aliquod ex illis emanat. Tum verò ſubiunxit, mihi crede. ſed ego, inquam, graui in diſcrimine ſum, ſi noſtro more nutriantur. Nutriuntur ſanè, inquit Marcus, alij quidem inſpiratione, veluti in arteriis, & neruis viget ſpiritus, alij verò humore, ſed nõ ore, vt nos, immo verò ſicut ſpongiæ, atque oſtra, exugentes quidem humorem extrinſecus adiacẽtem, rurſus autem quod in humore concretius eſt ſecernentes. id verò non patiuntur omnes, ſed ſolùm genera dæmonum materiæ proxima, genuſq; dæmonum, quod odit lucem, & aquatile, atque ſubterraneum. At

hæc interrogaui, sunt'ne ô Marce multa dęmonum genera? multa, inquit, atque diuersa, tum secundum formas, tum secundum corpora, adeo, vt & aër, qui supra nos est, & qui circa nos, sit plenus dæmonum, plena & terra, mareq́;, & loca abdita, atq; profunda. nisi molestum est, inquã, enumera. Sex generaliter, inquit, sunt genera dæmonum, neque verò noui, vtrum locis diuidere oporteat dæmonas, in quibus versantur, an potius ex eo, quod vniuersum dæmonum genus amore afficiatur ad corpus. Esse verò noui senarium numerum corporeum, atq; mundanum. In eo enim circunstantię corporeæ sunt, atq; mundus per hunc cõpositus est, siue quia hic numerus primus est, qui componat triangulum scalenum. Esse verò proprium æquilateri diuinum, atq; cœleste, vtpote quod sit sibi ipsi æquale, ac difficile moueatur ad malum. propriũ verò æquicrurij genus humanũ vti. quod vno quodam ab instituto aberret, ex pœnitentia verò fiat melius. Scaleni verò proprium dęmonicum tanquam inæquale, nec vllo modo propinquans bono. siue igitur hoc, siue alio modo res se habeat, sex omnino ille genera dæmonũ enumerabat, & primum quidem prima lingua barbarè nominabat

leliu

leliureon,id est igneum, quod circa subli-
miorem aërem peruagari dicebat. omne
nanque dæmonicum ex lunaribus regio-
nibus, velut ex templo profanum aliquid
exterminari. Secundum verò genus,quod
in aëre propinquo nobis oberrat, quod &
à multis propriè,aëreum nominatur. Ter-
tium,terrenum,quod plurimum circa ter-
ramversatur,terrenisq; aduersatur multis
rationibus,atq; machinis. Quartum,aqua
tile,& marinum, quod humoribus se im-
mergit, ac libenter circa lacus, & fluuios
habitat, multosq; perdit aquis, & in mari
fluctus excitat ac tẽpestates,nauigiaq; vi-
ris onusta funditus submergit,multosque
obruit vndis. Quintũ,subterraneũ,quod
habitat quidem sub terra, inuadit autem
qui puteos effodiunt, & metalla. efficit
hiatus terræ,& fundamẽta concutit.flam-
miuomos ventos suscitat. Sextum & vlti-
mum est lucifugum, imperscrutabile, ac
penitus tenebrosum, passionibusq; frigi-
dis violenter res perdens. Esse verò dice-
bat hæc omnia dæmonum genera sic af-
fecta, vt & deos oderint, & hominibus
aduersentur,sed aliud alio peius. Aquati-
le enim, & subterraneum, ac etiam luci-
fugum summopere malefica, atque perni
ciosa. hæc enim non phantasiis excogita-
 tion

tionibusq́; animas deprauare,atq; lædere, ſed oberrantia ferarum more ſylueſtrium ad perniciem hominū feſtinare. ſic aquatile quidem errantes, in aquis ſuffocare, atque morbo comitiali, dementiaq́; vexare. Aëreos autem, atque terreſtres arte quadam, & excogitatione inuadere, ſicq́; humanos animos fallere, & ad perturbationes turpiſſimas, & iniquas, pernicioſasq́; flectere. Tum ego,quonam pacto,& quid agētes hæc peragunt? vtrum dominantes nobis, & quocunque placet velut mancipia circunferentes? Non dominātur ait,ſed nobis clam commemorant.ſpiritui nāq;, qui nobis ineſt, phantaſtico propinquant, vtpote qui & ipſi ſpiritus ſint,verba perturbationum, & voluptatum nobis inſonant, non emittentes quidem vocem pulſatione quadam, ac ſonitu, ſed ſermones ſuos abſque ſonitu immittentes. Sed quonam pacto inquam ſine voce ſermones nobis ingerere poſſunt? Quid mirū, inquit,ſi modò illud animaduertas, quemadmodū videlicet qui loquitur, ſi procul loquatur, vehementiore clamore eget.factus verò propinquior in audiētis aurem ſuſurrando ſubloquitur: qui ſi poſſet cum ipſo animæ ſpiritu copulari, nullo ſono prorſus egeret, ſed ſermo eius voluntate

conc

conceptus nullo penitus ſono audienti illaberetur, quod quidem animabus etiam egreſſis corpore contingere tradunt. Has enim ſine ſtrepitu inter ſe verſari. hoc vtique modo nobiſcum dæmones cõuerſantur, clàm videlicet, adeo, vt nec vnde quidem nobis inferatur bellũ, liceat perſentire. Neque de hoc dubitauit quiſquis, quod aëri contingit, conſiderauerit. Sicut enim aër præſente lumine colores, & formas accipiens traducit in illa, quæ naturaliter accipere poſſunt, ſicut apparet in ſpeculis, rebusq; quaſi ſpecularibus: ſic & dæmonica corpora ſuſcipientia ab ea, quæ intus eſt, eſſentia phantaſtica figuras, atque colores, & quaſcunque ipſi voluerunt formas in ipſum animalem, noſtrúmque ſpiritum tranſmittunt, multa nobis negotia præbent, voluntates, & conſilia ſuggerentes, formas ſubindicantes, ſuſcitantes memorias voluptatum, ſimulacra paſſionum frequenter concitantes vigilantibus, atque dormientibus. nonnunquam verò femora nobis, ac inguina titillantibus, incitantes inſanos, & iniquos amores ſubiiciunt, & ſubacuunt, præcipuè verò ſi humores calidos humidosq; ad id conducentes nacti fuerint. Sed hi Plutonis galeã ſubinducentes perturbant

animas arte quadam,& ſophiſtica fraude. Reliqua verò dæmonum genera nihil excogitant ſapienter, nec quicquid facile aſtu peragunt, niſi quòd moleſta tamen, atq; valde turpia ſunt,& charonei ſpiritus more lædunt. Sicut enim ferunt ſpiritum hunc corrumpere quicquid propinquauerit, ſiue quadrupes, ſiue homo, ſiue ſit auis: ſic dæmones occurſu diri quicquid occurrerit, ſubitò perdunt agitantes corpora, animosq;, naturalesq; habitus peruertentes. ſæpe etiam igne, aqua, præcipitio perdunt non ſolũ homines, verũ etiam bruta nonnulla. Ad hæc ego, cúr nam hi dæmones bruta rurſus inuadunt? iam verò circa Gergeſam tale aliquid accidiſſe porcis ſacra teſtantur eloquia. At hæc ille, cùm dæmones hominum hoſtes ſint, nihil mirum videri debet eos lædere. inſultant quinetiã aduerſus bruta nõnulla, non tam voluntate nocendi, quàm viuifici caloris auiditate. Cùm enim in locis habitẽt profundiſſimis, ad ſummum quidem frigidis, ſed humore carentibus: frigiditatem plurimam contrahunt humoris expertem, qua quidem obſtruſi in anguſtumq; coacti calorem humidum appetunt,& vitalem, vtq; hunc aſſequantur in animalia irruunt,& ratione carentia,&

ad

ad balnea, foueasq; aduolant. Nam calorem ignis, solisq; velut comburentem, & exsiccãtem fugiunt: calorem verò animalium quasi moderatum, suauiq; humore permistum diligũt, præsertim humanum, quia sit temperatior. quamobrem hominibus se insinuantes, non mediocriter eos perturbant, oppletis videlicet meatibus, & impletis, in quibus spiritus insidet animalis, ipsoq; spiritu dæmonicorũ corporum crassitudine coacto, intusq; concusso, ex quo accidit, vt vibrentur, concutianturq; corpora, virésque principales malè in actionibus se habeãt, ac motiones stupidæ erraticæq; proueniant. Atq; si dæmon, qui irruit, subterraneus sit, cõcutit, ac destruit occupatum, clamatq; per ipsum vtens patientis spiritu velut proprio instrumento. Sin autem lucifugorum aliquis homini se clam ingesserit, segnitiem adducit, cohibetq; vocem, hominemq; obsessum, quasi mortuum reddit. hoc enim genus tãquam inter dæmones vltimum terrestrius est, summopereq; frigidum, atque aridum, & cuicunque latẽter irrepserit, vim omnem animalem obtundit, & hebetat, obfuscat, & delet. Cùm verò ratione captum sit omnino, omniq; intellectuali speculatione prorsus orbatũ, & ductum inrationali

quadam phantaſia, more brutorũ præ cę-
teris indocilium, nullis rationibus auſcultat, nec redargutiones metuit. quocirca rectè apud multos mutum, ſurdumq; vocatur: neq; diſcedit ab occupatis, niſi diuina poteſtate propulſum, oratione videlicet, ieiunioq; accedentis. Sed ego, ô Marce, inquam, retẽtiora quædam ſapere nos medicorum ſectatores adducunt, aſſerentes paſſiones eiuſmodi non eſſe effectus dæmonum, ſed humorum, vaporumq; & venti malè ſeſe habentium. itaq; pharmacis, & diæta non carminibus incantantiũ, expiationibusq; curare hæc aggredi ſolent. Tum ille, nihil mirum eſt hæc medicos dicere, qui nihil nouerint præter ſenſum, ſed corporibus tantùm incubuerint cognoſcendis. Illa fortaſſe decebat malorum humorum putare incommoda, capitis ſomniferam grauitatem, atræ bilis anguſtias, phreneſis deliramenta, quæ lauacris, potionibusq; vel euacuationibus, vel emplaſtris ſedare conſuerunt. Inſpirationes autem, occupationesq;, quibus qui obſeſſus eſt, agere nihil poteſt, non intellectu, non ratione, non phantaſia, non ſenſu. Aliud verò eſt, quod mouet, atque ducit, dicitq; inſuper, quæ non nouerit occupatus, & futura nonnunquam prędicit,
quo

quo inquam pacto dicemus, hæc esse erraticas materiæ motiones?

Quomodo dæmones occupent hominem, loquantur, moueant, se transforment.

EGo igitur Marco fidem adhibeo, præsertim cùm memoria teneam, quæ de dæmonibus diuina nobis Euangelia tradunt. quódue viro Corinthio contigit iubente Paulo, & denique quotcunque patrum nostrorum scriptis leguntur de dæmonibus multa, penitusq́; miranda. Reliquum verò est, ea referre, quorũ ego inspector, & quibus velut autor interfui. Profectus sum in Elasoniam, vbi vir quidam act⁹ dęmone multa multis oracula fudit. Quem ego conueniens interrogaui, vnde nam sibi facultas vaticinandi contigerit, cùm verò ille aperire nollet arcanum, tandem Laconicam passus necessitatem, tandem confessus est verum. Retulit ergo se initiatum fuisse in operibus dæmonum à quodam Aleto Liuio, qui eum nocte adduxisset in montem, iussissetq́; herbam quandam assumere, deinde in os expuisset, & quibusdam vnguentis oculos illinisset, vnde sibi dæmonum turbas videre cõtigerit: ex quibus senserit, quasi coruum quendam inuolantem, osq́; suum ingre-

dientem ex eo tempore,atq; hactenus sibi vaticiniū adesse de quibuscūque,& quandocunque hoc ipsum vult,quod eum mouet. in diebus enim crucifixionis,& in die venerandæ apud nos resurrectionis mihi, ait, nihil, etiam si studiosè contenderim, insonat. Hæc ille nuntiauit. Cùm verò quidam meorum comitum irrideret eum, percuteretq; ceruicē,ait, Tu quidem paulò pòst pro vna plaga multas vtiq; reportabis, & aliis multa prædixit, quæ prouenerūt. Quidam ergo eum fatidicum conspicatus tanquam musicum instrumētum insonantibus dæmonibus euasisse, sic obiecit,omnes insanię species passiones sunt deprauatæ materiæ, potius quàm tragicæ dæmonum passiones. Ad hunc ille, nihil mirum videri debet, inquit, si ita medicorum sectatores iudicāt, qui nihil vnquam eiusmodi viderint. Nam & ego ita putabam,quousque contigit prodigiosum aliquid prouidere, quod non importunum erit in præsentia recensere, & profectò nihil mētiar.* Senex quidam,qui hoc idem pallium induebatur,Frater meus natu maior habebat vxorem alioquin modestam, morbisq; vexatam frequentibus. hæc aliquando puerpera vehementer iam laborabat, vestemq; confringens barbarè lo-

quebatur,

quebatur, ſermone præſentibus incognito. itaq; ambigebant omnes quid in re ardua faciendum foret: fœminæ verò quædam adducunt peregrinum quendam nomine Anaphalangiam valde ſenem, rugoſumq́;, & exuſtum, atque nigrum, qui nudato enſe, prope lectum adſtans, ira quadam apprehendit ægrotam, linguaq́; ſibi patria, id eſt Armenica, àcriter conuiciatus eſt. illa huic viciſſim reſpondit Armenicè, ac primò quidem audax è lecto prorupit cũ eo protinus certatura. At barbarus ille, tum maximè adiurationibus vtebatur, & quaſi furens minabatur illam ſe percuſſurũ. Tum fœmina ſe recepit, compreſſit, contremuitq́;, & humilius iam locuta, in ſomnum mox incidit. Nos autem obſtupuimus ambigentes, quonam pacto illa locuta ſit Armenicè fœmina, quæ Armenios nec vidit quidem vnquam, neque domeſticis laribus egreſſa eſt. Cùm ergo reſipuiſſet, interrogauimus eam, quid paſſa fuiſſet, & nunquid acta animaduertiſſet, vel mente teneret. Tum illa reſpondit ſe vidiſſe dæmonum viſum tenebroſum, & ſimile mulieri, paſſos habenti crines in ſe irruere. vnde antè quàm ipſa lectum ingrederetur, extimuiſſe: quod verò deinceps ſecutũ eſt, minimè perſenſiſſe: quamobrem

obrem ego post hæc ita dubitare cœpi, quonam pacto dæmon mulierem perturbans mulier appareret:nec iniuria dubitabatur, vtrum dæmonum alij quidem mares, alij verò sint fœminæ more animaliũ caducorum: præterea quomodo dæmon lingua Armenica vteretur. nam valde dubitandum est, num dæmones alij Græcè, alij Chaldaicè, alij Persicè, alij Syriacè loquantur. Deinde quomodo ad magi illius minas seipsum dæmon compresserit, strictumq́; timuerit ensem:quid enim patiatur ab ense dæmon indiuiduus, atque immortalis? Tum Marcus dubitationem meam animaduertens, ait,nullus dæmon suapte natura mas est, vel fœmina. Compositorum enim sunt huiusmodi passiones:corpora verò dæmonũ simplicia sunt ductu, flexuq́; facilia, ad omnemq́; configurationem naturaliter apta. sicut enim nubes suspicimus nunc hominum, nunc vrsorum, nunc draconũ, aliorúmue præferre figuras, sic & corpora dæmonum: sed hoc interest,quòd nubes externis agitatæ ventis figuras varias agunt, dæmones autem proprio concilio,prout ipsi volunt, corporum formas in se variant, & modò in breuiorẽ molem contrahuntur, modò rursus in longiorem se extendunt.

Quem

Quemadmodum lumbricis videtur accidere ob ſubſtantiam meliorem, ductúque facillimam: neque ſolùm magnitudine in eis diuerſitas accidit, verùm etiam figuras, coloresq; variant multiformes: corpus enim dæmonis ad vtrumque eſt natura paratum. qua enim ratione eſt natura facilè cedens, ſic in varias figurarum ſpecies transformatur. qua vero aëreum eſt, diuerſos aëris inſtar colores ſubit. Sed aër quidem ab extrinſeco coloratur, corpus vero dæmonis ab intima phantaſię actione ſpecies colorum accipit. quemadmodum nobis expaueſcentibus genæ palleſcunt, verecundia verò affectis rubeſcunt, anima verò prout ſic, aut ſic afficitur, paſſiones eiuſmodi in corpus, ſimiliter traducente eadem ratione de dæmonibus eſt putandum. Nam & hi ab intrinſeco in corpora ſua colorum ſpecies transferunt, quapropter vnumquodq; dæmonum corpus proprium in quam elegerit figuram transformans, ſpeciémque coloris certam ad extremum vſque corporis educens, ſic & tanquam vir apparet, & mox occurrit, vt fœmina, leonis more fremit, ſaltat vt pardalis, latrat vt canis, atque ad vtris, vaſisq; formam ſe aliquãdo trãsfert: ac dum omnes eiuſmodi viciſſim formas mutat, nullam

nullam earum ſtabilem retinet. Nō enim ſolidum corpus dæmonum, quo poſſit acceptas retinere figuras. Sed ſicut in aëre & aqua cōtingere conſueuit, videlicet ſiue colorē infundas, ſiue figuram imprimas, mox diffunditur, atque diſſoluitur: ſimile quiddam dæmonibus accidit. nā & in his figura, colorq́;, & ſpecies rerum quarumlibet cito dilabitur. Docuit itaque Marcus has maris, & fœminæ differentias non ineſſe dæmonibus, ſed apparere, nullamq́; eiuſmodi formam in eis ſtabilem permanere. Sin autem è multis audiueris dæmonem ſub fœminę ſpecie omnibus puerperis apparere, nullámq; eiuſmodi formam, ſcito, non omnes dæmones eandem vim, voluntatémq; habere, ſed in hoc etiam illos valde differre. Nempe in proportione quadam ſimili, qua etiam cōpoſita, caducáq; animalia ſe habere. ſicut enim inter hæc homo quidem intellectualis, prudentísq; potentiæ particeps phantaſticā inſuper vim communiorem habet ad omnia fermè ſenſibilia explicabilem, atq; diffuſam, tum ad cœleſtia, tum ad illa, quæ circa terrā ſunt, atq; in ipſa terra. Equus autē, atque bos, & reliqua ordinis eiuſdem vim eam magis particularem, atque ad nōnulla imaginabilia cognomina operantem,

quæ

quę pręſepe, poſſeſſoresq; ſuos cognoſcit. Culices autem, & mures, atq; ſimilia angu ſtiorē hanc habent, atq; indiſtinctā, neque foramen cognoſcunt, ex quo emerſerunt, neq; locū, quò proceſſere, & quò quid eſt adducendum, ſed vnicam tantū imaginationem habēt, ſcilicet alimenti: ſic & multa, diuerſaq; dæmonum genera inter ſe ſimiliter differūt. nempe in his quoq; ignei quidem, aëreiq; phantaſiam habent variè admodum diſtinctam, atq; diſcretā, quancunq; imaginabilē ſpeciē elegerint. nam ad hanc ipſam ſeipſos formant, contra verò lucifugum dæmonum genus ſe habet. eius enim imaginatio valde anguſta eſt: itaq; formas varias non commutat, vtpote quòd plures imaginabilium rerum non habeat ſpecies, neq; corpora poſſideat ad motum agilia, ad flexumq; accommodata. Aquatiles verò, atq; terreſtres medium inter hos dæmones obtinentes, poſſunt quidem plures formas mutare, ſed quibus maximè delectātur, in eis diutius immorantur. Quicunq; enim in humidis viuūt, mollioremq; vitæ ductum tenent, ſe auibus, mulieribusq; ſimiles reddūt. Quapropter naiadas, nereidas, & dryadas feminino ſexu hos cognominant. quicunq; verò in locis habitāt ſiccioribus, corporaq; habent

bent ſubarida, quales ὀνοσκέλους eſſe ferũt, in viros ſe transformant. Nonnunquam etiam canibus,& leonibus,aliisq́; animalibus ſimiles ſe oſtendunt:in quibus videlicet mos ineſt maſculinus.Nihil itaq; mirum, ſi dæmonium inuadens puerperas fœmineam præfert formam: quippe cùm ſit adulterum, humiditatibusq́; ſe oblecte tur impuris. formam enim ſubit vitæ ſibi gratæ conuenientem.

Dæmones ſingularum gentium,quibus loquuntur,linguam imitantur.

QVa verò ratione. Armenicè loquerentur, Marcus quidem non explicauit,neq; etiam à nobis eſt quæſitum.Ar bitror autem hinc fore hoc manifeſtum, quoniam non poſſit lingua dæmonum propria inueniri. tametſi Hebraicam quis ſeruare linguam dixerit,ſiue Græcam,aut Syriam,aliámue barbarã.quid enim opus eſt voce dæmonibus? qui inter ſe abſq; voce conuiuunt. Cùm verò ſicut angeli poſteriores poſterioribus, alij aliis gentibus præſunt, ſic dæmones alij aliis aſſiſtunt: ſanè ſinguli ſingularum gentium linguas exercent:quamobrem dęmones, qui inter Græcos habitant, heroico ſtylo oracula ediderũt. apud Chaldæos verò Chaldaica

vteban

vtebantur lingua, quemadmodum apud Ægyptios Ægyptia voce colloquia faciebant. quinetiam dæmones incolentes Armeniam, si aliò fortè se conferant, indigenarum voce vtuntur.

Cur dæmones timeant minas, atque patiantur.

SEd quæritur, cur dæmonia minas, ensesq; timeant: profectò omnia dæmonum genera audacia, rursusq; timiditate plena sunt, præsertim coniunctiora materiæ. Aërea enim circunspectæ cogitationis participia, siquis obiurgauit, discernere nouerunt obiurgantem, vel honorantem: neq; aliter ab obsessis discedunt, nisi obtestator erga deum sanctimonia polleat, nomenq; dei, sermonemq; horribilem incantet potestate diuina. hæc profectò sunt dæmonia materiæ proxima, formidantia ne in loca profundiora, abyssumq; demittantur. Item angelos timent, qui illuc eos pręcipitant quoties videlicet quispiam eis præcipitium minitatur, adducitq; inuocationes angelorum ad hoc institutorum. valde enim timent. nam ob ignorantiã non discernunt minitantem. Iam verò si anicula quædã, vel superbior senecium aliquis, minas eiusmodi rusticè

intentauerit, sæpe discedũt, quia discernere nequeũt. Ideo superfluis etiam quibusdam facilè mancipãtur, scilicet vnguibus, & capillis à polluto magorum genere. Itẽ plumbo, & cera, tenuiq; filo deuinciuntur, atq; nefariis adiurationibus cõturbantur. venefici ergo, & nefandi dæmonia hæc subterranea mansuefaciunt. Qui verò nefariis ministeriis abstinent, aërea maximè colunt, cauẽtes ne dæmonium subterraneũ interueniat. nam siquid tale interuenerit, præter id, quod terrores incutit, etiam saxa iacere consueuit. proprium enim subterraneorũ est lapides in occurrẽtes iacere, sed ictibus irritis. Aërea verò dæmonia ratio dictat intrepida esse, neq; tamen boni quicquam afferunt, quoniam & superba sunt, & iactabũda, & deceptionis, phantasiæq; inanis plena. ab eis enim in cultores veniunt ignei quidam radij, quos furiati homines diuina spectacula putant. nihil tamen veri, cõstantisq; possident. quid enim in obscuris dæmonibus potest lucis inesse? sed hæc omnia fallaciæ sunt occultorum, atq; præstigiæ. Sunt plẽriq;, qui communiter appellantur Euchetæ, quorum fraudulentum dogma ab insano quodam monente manauit. Tradũt ergo principia plura, & profectò ab ipso

monen

monente duo rerum principia ſuppoſita ſunt, ita vt deo bonorum opifici Deus malorum, artifexq́; ponatur, deoq́; cœleſtiũ domino Deus dominus ſubcœleſtiũ. hinc Euchetæ miſeri tertiũ his principium adhibuerunt. Nẽpe apud eos vnus quidem pater eſt: filij verò duo, antiquior videlicet, atq; iunior. principia tria, ſed patri quidem ſupermundana tãtùm, iuniori autem filio cœleſtia, ſeniori verò ſubcœleſtia velut dominis tribuuntur. Quod quidem dogma nihilo à Græcis fabulis differre videtur iuxta poëticum illud, ternario diſtributa ſunt præmia numero. Sed inter Euchetas, alij vtrũq; filium colunt. nã etſi diſſidere eos nunc inter ſe dicant, vtrunq; tamen exiſtimant adorandum. quoniam ambo ex eodem patre naſcantur, atque in poſterum conciliandi mutuò ſint. Alij verò alterum duntaxat, id eſt iuniorem colunt, vtpote qui meliori, præſtantioríque prouinciæ dominetur. ſeniorem verò non ſpernunt quidem, ſed obſeruant ipſum cauentes, videlicet ne malefaciat. Deterrimi verò inter illos à cœleſti quidem numine diſiunguntur omnino. ſolũ verò terreſtrẽ ſatanã finibus ſuis excipiunt, ipſumq́; nominibus apud eos potioribus extollũt, appellantes primogenitũ, & à patre ſeiũ-

ctum. Item arborum, animaliumq́;, & reliquorum cōpositorum opificem, pestiferum verò, atq; hostilem. Sed qui hæc dogmata introducunt, & oculis, & auribus mentis capti sunt, neq; enim vidēt ex ipsa rerum cognatione mutua, vnum esse omnium autorem, neque scripturam sanctam id docentem audiunt, neq; ratione secum ipsi reputant: quòd videlicet si duo inter se dissidentes rerum opifices essent, non esset vna quædam conspiratio, vnióque omnia ligans. Et si dæmonia diuitias nobis, & gloriam promittunt, nihil tamen ex se tradere possunt. quippe cùm imperium nullum habeāt, sed visu tantùm quædam inania suis cultoribus afferunt, varia prorsus, & instabilia, quæ tamen impij diuina esse spectacula putant.

Euchetæ & gnosci, vt dæmonia toto concipiant pectore, nefanda sacrificia perpetrāt. Conueniūt die, quo passus est Saluator, vespere statutū in locum vnà cum puellis sibi notis, & post quædam sacra extinctis luminibus, mistim coëunt siue cum sorore, siue cum filia, siue cum quali bet. nono rursus mense reuertuntur, puellasq́; accersunt, & infantes iam natos ab his euellunt, perq́; totum corpus pueros circuncidunt, & circūfuso sanguine phia-

las

las implent, corpora cremãt, cinerem cum ſanguine miſcent. hoc condimento epulas, & pocula condiunt, tum ſua inter ſe, tum aliorum clàm quorumcũq; poſſunt. Exiſtimant enim hoc ſacrificij, & alimenti genere tanquam maximè profanos characterem diuinum nobis impreſſum, & dæmonia procul arcentem penitus aboleri, itaque dæmonia liberius ingredi.

Quomodo magi excantent, trahantq; dæmonas.

VEneficia, atq; magia non vanum nomen ſortita ſunt, ſed vim quandam poſſident. Veneficium enim ars quædam eſt circa materiales dæmones, & terreſtres, ſimulacra dæmonum prouocans in aſpectum, & alios quidem velut ab inferis excitat, alios autẽ ex alto deducit. Diſciplina enim noſtra omnem dęmonem exiſtimat malum, propter ſuperbiæ, & vanitatis exceſſum, ab angelico ſtatu, ordinéque delapſum. Opinio verò Græca paruam dæmonum partem iudicat malam, & hanc quidem non tanquam electione talem, ſed ex prima rerum diuiſione ſic affectam, tortoris vicem gerentem aduerſus animas delinquentes. Talem itaq; dæmonum portionẽ veneficiis præſtigiator in aſpectum imaginariũ prouocat, viſaq;

imaginalia spectatoribus obiicit, & aliis quidem fluenta quædam illinc exundantia adducunt in medium: aliis autem vinculorum solutiones, & delicias, gratiamq́; promittunt. Adducunt verò tales dæmonum potestates nodis, cantibusq; quibusdam, & in plurimis quidem mentitur, in quibusdam vera loquitur. Magia verò facultas quædam Græcis visa est potestatis plurimæ compos. Tradunt enim hāc esse extremam sacerdotij portionem. Affert autem visa quædam sæpius in aspectum falsò diuinitatem aliquā præferentia. Hęc enim facultas perscrutatur vniuscuiusque rei sub Luna genitę, naturam, potentiam, qualitatem elementorum inquā, eorumq́; partium, animalium, omnium plantarum, & seminum, & pomorum, item lapidum, herbarumq́;, ac summatim vniuscuiusque rei substantiam, & virtutē. hinc erga effectus suos agit, & statuas sanitatem adducentes, videlicet omnigenis figuris instructas, & alia rursum artificia inferētia morbos callet, & quæ inter se differūt, & quæ conueniunt. multarū nanq; materiarum commistio vnionem illi arti affert, distantia verò ab vno discretionem infert. Iam verò aquilæ, & dracones apud illos ad sanitatem conferre dicuntur: feles autem,

&

& canes,& corui,conferunt ad vigiliam. Cera item,atq; lutum ab illis ad quaſdam partium conformationes aſſumi ſolent, quippe cum proprietates quaſdam ſuis viribus habeant.Apparet frequenter cœleſtis ignis hucuſq; traductio.tunc verò ſtatuæ ſubridere vidētur, & lampades ſpōte ignibus accenduntur. inſtructa eſt magia multum aſtronomica facultate,plurimaq; per ipſam peragit.Eſt & quædam in pelui vaticinatio, per quam ruſtici ſæpe vaticinantur. profectò quemadmodum prædictio quædam fit,id eſt per aërem,atq; per folia, ſic prædictio quædam fit in pelui apud Aſſyrios frequētata, atq; nominata, quæ profectò congruitatem quandam habet cum dæmonibus materiæ valde coniunctis. Accipiunt ergo peluim aqua plenam vaticinantes, dæmonibus congruentem in profunda repentibus. Apparet autem peluis illa aqua plena quodammodo & ſpirare,propter ſonitum,ipſaq; aqua in peluim infuſa ſecundum ſubſtātiam quidem ab externis aquis minimè differt, ſed virtute infuſa carminibus valde præcellit, atque ita facta eſt aptior ad ſuſcipiendum ſpiritum deinde fatidicum. Id verò dæmoniū particulare eſt, atq; terrenum, compoſitionibusq; attractū: & cùm pri-

mùm illabitur aquæ ſonum, mox quēdam exiguum, & ſignificationis expertē edit, remiſſionem eius præſentibus ſignificantem. deinde verò in aqua iam inundante exiles quidam ſoni ſuſurrant quadā prædictione futuri. Eſt autem eiuſmodi ſpiritus paſſim pererrans, quoniā ſolarem ordinem eſt ſortitus, idq; genus dæmonum dedita opera tenuem vocem edit, vt propter indiſtinctā vocis obſcuritatem, eius mendacia minus deprehendi poſſint. Sed nunquid corpora dæmonum pulſari poſſunt? poſſunt ſanè, atq; dolere ſolido quodam percuſſa corpore. verùm quónam pacto, cùm ſint ſpiritus, neq; ſolida, neq; cōpoſita natura, & compoſitorum eſt ſenſus? Sed profectò in iis, quæ ſentiunt, non neruus ipſe eſt, qui ſentit, ſed qui eis ſpiritus ineſt. Quapropter ſi atteratur neruus, ſi frigeſiat, ſi quid aliter patiatur, ſpiritu videlicet in ſpiritum miſſo, fit dolor. Nempe compoſitum nunquam per ſe doleret, ſed quando participat ſpiritum, quo quidem priuatum priuatur & ſenſu. Dæmonicum itaque corpus per totum ſe naturaliter ſenſuale ſecundum partes ſingulas abſque medio videt, audit, tangit, patiturq; tangēdo, & diuiſum dolet, ſicut & corpora ſolida. Sed hoc intereſt, quòd

cor

corpora quidem ſolida, diuiſa cùm ſunt, aut vix, aut nũquam reſtituuntur, corpus verò dæmonum, vbi ſecatur, mox in ſe iterum recreatur, & coaleſcit, ſicut aquæ, aërisq́; partes, quando aliquid intercidit ſolidum, ſed & dictu velocius dæmonicus ſpiritus in ſe reuertitur. Dolet tamẽ interea, dum diuiditur, quamobrẽ aciem ferri metuit, idq́; animaduertentes, qui fugare dæmones moliuntur, tela, & enſes in rectum ibi conſtituunt, quò nolunt dæmones aduentare, atq; alia machinantur tum oppoſitis paſſionibus propulſantes, tum congrua quadam affectione mulcentes.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI, *in librum Mercurij Triſmegiſti, ad Coſmum Medicem, patriæ patrem.*

*

EO tempore, quo Moſes natus eſt, floruit Atlas aſtrologus Promethei phyſici frater, ac maternus auus maioris Mercurij, cuius nepos fuit Mercurius Triſmegiſtus. Hoc autem de illo ſcribit Auguſtinus, quanquam Cicero, atque Lactantius Mercurios quinque per ordinẽ fuiſſe volunt,

lunt,quintumq́; fuiſſe illum,qui ab Ægyptiis Theut, à Græcis autem Triſmegiſtus appellatus eſt. Hunc aſſerunt occidiſſe Argum, Ægyptiis præfuiſſe,eisq́; leges,ac literas tradidiſſe. Literarum verò characteres in animalium, arborumq́; figuris inſtituiſſe. Hic in tanta hominum veneratione fuit, vt in deorum numerum relatus ſit. Templa illius numini cõſtructa quamplurima. Nomen eius proprium ob reuerentiam quandam, pronuntiare, vulgò, ac temere non licebat. Primus anni menſis apud Ægyptios nomine eius cognominatur. oppidum ab eo conditur, quod etiam nunc Græcè nominatur Hermopolis, id eſt Mercurij ciuitas. Triſmegiſtum verò ter maximum nuncuparunt, quoniam & philoſophus maximus, & ſacerdos maximus, & rex maximus extitit. Mos enim erat Ægyptiis (vt Plato ſcribit) ex philoſophorum numero ſacerdotes, ex ſacerdotum cœtu regem eligere. Ille igitur quemadmodum acumine, atq; doctrina, philoſophis omnibus anteceſſerat, ſic ſacerdos inde cõſtitutus, ſanctimonia vitæ, diuinorumq́; cultu, vniuerſis ſacerdotibus præſtitit, ac demum adeptus regiam dignitatem, adminiſtratione legum, rebusq́; geſtis ſuperiorũ regum glo-

riam

riam obſcurauit, vt meritò ter maximus fuerit nuncupatus. Hic inter philoſophos primus, à phyſicis, ac mathematicis ad diuinorum contemplationẽ ſe contulit: primus de maieſtate dei, dæmonum ordine, animarũ mutationibus ſapientiſſimè diſputauit. Primus igitur theologiæ appellatus eſt autor: eũ ſecutus Orpheus, ſecundas antiquæ theologiæ partes obtinuit. Orphei ſacris initiatus eſt Aglaophemus, Aglaophemo ſucceſſit in theologia Pythagoras, quem Philolaus ſectatus eſt, diui Platonis noſtri præceptor. Itaque vna priſcæ theologiæ vbiq; ſibi conſona ſecta, ex theologis ſex miro quodã ordine conflata eſt, exordia ſumens à Mercurio, à diuo Platone penitus abſoluta. Scripſit autẽ Mercurius libros ad diuinarũ rerum cognitionẽ pertinẽtes quamplurimos, in quibus, prò Deus immortalis, quàm arcana myſteria, quàm ſtupẽda pandũtur oracula! nec vt philoſophus tantũ, ſed vt propheta ſæpenumero loquitur, canitq; futura. Hic ruinã præuidit priſcæ religionis, hic ortũ nouæ fidei, hic aduentũ Chriſti, hic futurum iudicium, reſurrectionem ſeculi, beatorum gloriam, ſupplicia peccatorum. Quo factum eſt, vt Aurelius Auguſtinus dubitauerit, peritiá ne ſyderũ, an

reuel

reuelatione dæmonum, multa protulerit: Lactantius autem illum inter Sibyllas, ac Prophetas connumerare non dubitat. E multis denique Mercurij libris, duo ſunt diuini præcipuè, vnus de Voluntate diuina, alter de Poteſtate, & ſapientia dei. Ille Aſclepius, hic Pimander inſcribitur. Illum Apuleius Platonicus Latinum fecit, alter vſque ad hæc tempora reſtitit apud Græcos: at nuper ex Macedonia in Italiam aduectus diligentia Leonardi Piſtorienſis, docti, probiq; monachi, ad nos peruenit. Ego autẽ cùm tuis exhortationibus prouocatus, è Græca lingua in Latinam conuertere ſtatuiſſem, æquum fore putaui, Coſme felix, vt nomini tuo opuſculum dedicarem. Nam cuius ipſe adiutus opibus, librisq; affatim refertus, ſtudiis Græcis incubui, eidem ſtudiorum Græcorum me decet offerre primitias. Neq; fas erit, opus tam ſapientis philoſophi, tam pij ſacerdotis, tam potentis regis dicare cuiquam, niſi ipſe, cui dicatur, pietate, ſapientia, potentia, reliquis omnibus antecelleret. Eſt autem (vt ad ſcripta Mercurij deſcendamus) huius libri titulus, Pimãder, quoniã ex quatuor perſonis, quæ in dialogo diſputant, primæ Pimandro partes attribuuntur. Edidit verò librum Ægyptiis

ptiis literis, idemq; (Græcæ linguæ peritus) Græcis inde transferendo communicauit Aegyptiorum mysteria. Propositum huius operis est, de potestate, & sapientia dei disserere. Cumque sint horum operationes geminæ, quarum prima, in ipsa dei natura permanet, secunda porrigitur ad externa, & illa quidem mūdum primum, æternumq; concipit, hæc verò mundum secundum, temporalemq; parit, de vtrisque operationibus, deq; mundo vtroque grauissima disputat: quid dei potestas, quid sapiētia, quo ordine intrinsecus concipiant, quo progressu exterius pariant. Præterea, quæ producta sunt, quomodo se inuicē habeant, quò conueniant, quóve discrepent, quo denique pacto suum respiciant autorem. Ordo autem voluminis est, vt in dialogos quatuordecim distinguamus, vtque primæ dialogi partes Pimandro dentur: secundas teneat Trismegistus: tertias Aesculapius: quartum locū obtineat Tatius. Intelligit ergo Mercurius in diuinis Aesculapium, ac Tatium erudire. Diuina docere nequit, qui non didicit, ac humano ingenio, quæ supra naturam sunt, inuenire non possumus. Diuino itaque opus est lumine, vt solis luce solem ipsum intueamur. Lumen vero diuinæ

uinæ mentis nunquam infunditur animę, nisi ipsa, ceu luna ad solem, ad dei mentem penitus conuertantur. Non conuertitur ad mentem anima, nisi cùm ipsa quoque fit mens. Mens verò non prius fit, quàm deceptiones sensuum, & phantasiæ nebulas deposuerit. Hac de causa Mercurius modò sensus, & phantasiæ caligines exuit, in aditum mentis se reuocans: mox Pimander, id est mens diuina, in hunc influit, vnde ordinem rerum omnium, & in deo existētium, & ex deo manantium, contemplatur. Demum quæ diuino sunt numine reuelata, cæteris hominibus explicat. Is igitur est libri titulus, id propositum illius, & ordo. Tu verò Cosme felix, lege feliciter, ac diu viue, vt & diu patria viuat.

MER

MERCVRII TRISMEGISTI LIBER DE POTESTATE ET *Sapientia Dei, cui titulus*

PIMANDER.

Marſilio Ficino Florentino interprete.

CVm de rerum natura cogitarem, ac mentis aciem ad ſuperna erigerem, ſopitis iam corporis ſenſibus, quēadmodum accidere ſolet iis, qui ob ſaturitatem vel defatigationem ſomno grauati ſunt, ſubitò mihi viſus ſum cernere quendam immenſa magnitudine corporis, qui me nomine vocans, in hunc modum clamaret: Quid eſt ô Mercuri, quod & audire, & intueri deſideras? quid eſt, quod diſcere, atque intelligere cupis? Tum ego, Quiſnam es inquā? Sum, inquit ille, Pimander, mens diuinæ potētiæ, ac tu vide quid velis, ipſe verò tibi vbique adero. Cupio, inquam, rerum naturam diſcere, deumq́ue cognoſcere. Ad hæc ille: Tua me mente complectere, & ego te in cunctis, quæ optaris, erudiam. Cùm hæc dixiſſet, mutauit formam, & vniuerſa ſubitò reuelauit. Cernebā enim immen

immẽsum quoddam spectaculum, omnia videlicet in lumen conuersa, suaue nimiũ, atq; iucundum, quod intuentem me mirificè oblectabat. Paulò pòst vmbra quædam horrenda, obliqua reuolutione sublerlabebatur, in humidamq́; naturam migrabat, ineffabili tum vultu exagitatam: inde fumus quidam magnus in sonitum erumpebat, ex sonitu vox egrediebatur, quam ego luminis vocem existimabam: ex hac luminis voce verbũ factũ prodiit. Verùm, hoc naturæ humidæ astans, eam fouebat, ex humidæ autẽ naturæ visceribus syncerus, ac leuis ignis protinus euolans alta petit. Æër quoq; leuis spiritu parens, mediã regionẽ inter ignem, & aquã sortiebatur. terra verò & aqua sic inuicem cõmistæ iacebant, vt terrę facies aquis obruta nusquam pateret. Hæc duo deinde cõmota sunt à spiritali verbo, quod eis superferebatur, aures eorum circunsonans. Tunc Pimander ait: Aduertis quid sibi hæc visio velit? Cognoscã inquã. Ait ergo Pimander: Lumẽ illud ego sum, mens, deus tuus, antiquior quàm natura humida, quæ ex vmbra effulsit: mentis verò germen lucẽs, dei filius. Quid ergo inquam? Sic inquit: Cogita, quod in te videt, & audit verbum domini, mens autem pater

deus,

deus, neq; enim diſtant adinuicẽ: horum vnio vitæ eſt. TRISMEGISTVS. Gratias habeo tibi. PIMANDER. Verùm in primis meditare lumen, atque cognoſce. TRISM. Hæc vbi dicta ſunt, diu illũ oraui, vt eius ideam ad me cõuerteret. Quod cùm ille feciſſet, repentè proſpicio mea in mente lucẽ viribus innumeris exiſtentẽ, ornatũ ſine termino ignẽ, vi ingenti circunſeptũ, & in ipſa ſtabilitate dominantẽ. Hæc ipſe percepi per Pimandri verbum, qui me ſtupore attonitum, ſic iterũ affatus eſt: Vidiſti in mente primã ſpeciẽ infinito imperio præualentẽ? Eiuſmodi quædam mihi Pimãder. At ego illi, Elementa naturæ vnde manarunt? PIMAN. Ex voluntate dei, quæ verbum complexa, pulchrumq; intuita mundũ, ad eius exẽplar, reliqua ſui ipſius elementis, vitalibusque ſeminibus exornauit. Mens autem deus vtriuſque ſexus fœcunditate pleniſſimus, vita & lux cum verbo ſuo mentem alterã opificẽ peperit, qui quidẽ deus ignis, atq; ſpiritus numẽ. Septẽ deinceps fabricauit gubernatores, qui circulis mundum ſenſibilem complectuntur, eorumq; diſpoſitio fatum vocatur. Connexuit inde dei verbum ex elementis deorſum tendentibus, purum naturæ artificium, vnitumq;

est opifici menti, consubstantiale enim erat. relictaq; sunt elementa naturæ deorsum cadẽtia sine ratione, vt sint tanquam sola materies. Mens quidem opifex vnà cum verbo circulos continens, ac celeri rapacitate conuertens, suam ad se machinam flexit, eamq; volui à principio ad finem absq; fine præcepit, incipit enim illic semper vbi desinit. horum profectò cunctorum circuitus, quemadmodum ipsa mens voluit, ex elemẽtis inferioribus animalia conflauit rationis expertia, neque enim præbuit rationem, aër volatilia protulit, aqua verò natantia. Distincta quoque inter se sunt aqua & terra, eum in modum, qui menti placuerat. Terra postmodum animantia, quæ intus habuerat, peperit, quadrupedia videlicet, serpentia; fera, agrestia pariter, atque domestica. at pater omnium intellectus, vita & fulgor existens, hominem sibi similem procreauit, atque ei tanquam filio suo congratulatus est, pulcher enim erat, patrisq; sui ferebat imaginẽ. Deus enim re vera propria forma nimium delectatus, opera eius omnia vsui concessit humano. Homo autem cùm considerasset, in tempore suo rerum omnium procreationem, ipse quoque fabricare voluit, vnde à contemplatione

tione patris, ad sphæram generationis delapsus est. Cumq; omnium in se potestatem haberet, opificia septem gubernatorũ animaduertit. Hi autem, humanæ mentis meditatione gaudentes, singuli eorũ proprij ordinis participem hominem reddidere. Qui postquã didicit horũ essentiam, propriamq; naturam cõspexit, penetrare, atque rescindere iam exoptabat ambitum circulorũ, vimq; gubernatoris præsidentis igni comprehendere. Qui ve arbitriũ, & potestatẽ omnium habuerat, in animãtia mundi mortalia, & ratione carentia, per harmoniam emersit, atq; exiliit, penetrans, ac resoluens potentiam circulorum: ostenditq; naturam, quę deorsum labitur, velut pulchram dei formam. qui cùm naturã contueretur mira pulchritudine præditam esse, actionesq; omnes septem gubernatorum, atque insuper dei ipsius effigiem possidere, illi amore ingenti subrisit, vtpote qui humanæ pulchritudinis speciẽ in aqua specularetur, eiusdemq; admirationem quandam in terra conspiceret. ille præterea consecutus similem sibi formam in se ipso existentẽ, velut in aqua amouit eam, secumq; congredi concupiuit. Effectus e uestigio secutus est voluntatem, formamq; carentem ratione progenuit,

genuit. Natura illud, in quod toto ferebatur amore, complexa, illi penitus sese implicuit, atque commiscuit. quandoquidē solus homo ex vniuersis terrenis animantibus duplicis naturæ censetur, mortalis quidem propter corpus, immortalis autem propter hominem ipsum substantialem. immortalis enim est, cunctorumq; arbitrium obtinet: cætera verò viuentia, quæ mortalia sunt fato subiecta, patiuntur. Non igitur harmonia superior obstitit, in harmoniā verò lapsus periclitatus, seruus effectus est. Hic vtriusq; sexus fœcunditate munitus, ab eo, qui arborum, & riuorum fons est, vigilq; factus ab eo, qui est vigilans, continetur, atq; eius dominationi subiicitur. TR. Post hæc, mens inquam meæ rationis, ipse es. Tum Pimander: Id est, inquit, mysteriū, quod in hanc vsq; diem, genus humanum latuit. Natura quippe homini sese immiscens, miraculum attulit, quod omnium miraculorum vincit admirationem, nam cùm septem illorum harmonia ipse iam fuisset imbutus ab eo, quem tibi paulò antè narraui, patre videlicet, atque spiritu, natura ipsa non restitit. Quinimmo septē protinus homines peperit, septem gubernatorum naturas, masculini pariter, ac fœmi-

nini

nini generis compotes,atq; sublimes. Ad hæc ipse sic intuli : O Pimander, ardenti desiderio nuper affectus sum, audire præterea reliqua cupio. quare, ne hîc me deseras, obsecro. Cæterum ille mihi: P I. Sile, nondum enim primum sermonem absolui. T R. Ecce iam taceo. P I. Horum septem (vt dixi) generatio in hunc modum effecta est. Fœmina enim aër, & aqua coëundi compos, ex igne maturitatem, ex æthere sumpsit spiritum, conglutinauitq; natura corpora ad hominis speciẽ effingendam. Non autem ex vita, & luce, in animam, mortemq; processit: vita quippe animam largita est, lux denique mortem. Talia profectò vsq; ad finẽ circuitus principiorum simul, & generum cuncta mundi sensibus membra manebant. Verùm audi iam reliquum, quem summopere cupiebas, sermonem. Expleto demum circuitu, omniũ (volente deo) solutus est nodus. nã cuncta vtriusq; generis animantia vnà cũ homine dissoluũtur, & mascula quidẽ ex parte, fœmineaq; similiter conficiebãtur. Extẽplo deus verbo sancto clamauit, pullulate, adolescite, propagate vniuersa germina, atq; opera mea. Vos insuper quibus mentis portio cõcessa est, genus recognoscite vestrũ, vestramq; naturã immortalẽ

 consid

considerare Amorē corporis, mortis causam esse scite: rerū omnium naturā discite. His dictis, prouidentia, per fatum, harmoniamq; cōflauit mistiones, generationesq; constituit, vnde cuncta sunt secundum genus propriū propagata. Demum qui seipsum cognouit, bonū (quod est super essentiā) consecutus est. qui verò corpus, amoris errore complectebatur, is oberrabat in tenebris, mortis mala sensu percipiens. TR. Quot tamen delinquunt, ignorantes, inquam, vt ob eam causam immortalitate priuentur? PI. Videris, ô Mercuri, non satis intelligere, quæ audieris. TR. Etsi nondum intelligere sim professus, intelligo tamen, ac memini. PIM. Gratulor si, quæ dicta sunt, tenes. TR. Responde mihi quæso Pimander, cur digni morte sint ij, qui in morte iacent? PIMAN. Quia præcessit proprio corpori tristis vmbra, ex hac quidem natura humida. ex hac verò corpus in mundo sensibili constitit. ex hoc denique mors ipsa scaturiit. Num hoc tenes Mercuri? Tenes etiā qua de causa, qui seipsum cognoscit, trāsit in deum, vt dei verbum tradidit? TR. Quoniam ex vita, & luce constat omnium pater, ex quo natus est homo. PI. Rectè loqueris. Lux & vita deus

est,

eſt, & pater, ex quo natus eſt homo. ſi igitur comprehenderis te ipſum ex vita, ac luce cõpoſitum, ad vitam rurſus, lucemq́; tranſcendes. TRISM. Hæc ait Pimander. At ego: Adhuc mihi mens dicas oro, quonam pacto ad vitam aſcendere queam. PIMAN. Deus ipſe mens iuſſit, vt homo mentis particeps, ſeipſum animaduerteret. TRISM. Non ergo homines ſinguli mentem poſſident. PIMAN. Rectè dicis Mercuri. adſum enim ego mẽs iis, qui boni, pij, puri, religioſi, ſanctiq́; ſunt, præſentiaq́; mea fert illis opem, adeoq́; vt ſtatim cuncta dignoſcãt, patremq́; pacatum, & propitiũ habeant. Itaque gratias agunt benedicentes piè, & hymnis ſolennibus collaudantes, concedunt ſanè corpus morti ſuæ, ſenſuum illecebras faſtidiunt, vtpote qui clarè diiudicant, quàm letifera ſint ſenſuum lenocinia. quinetiam ipſa mens ianitoris munere fungens, incidentes in inſidias corporis, haudquaquam permitto finem conſequi ſuum. aditus enim, per quos turpes blanditiæ manare ſolent, iugiter intercludo, libidinumq́; fomites omnes extinguo. Contrà, ab ignaris, improbis, ignauis, inuidis, iniquis, homicidis, impiis, procul admodum habito, permittens eos dæmonis vltoris arbitrio,

 qui

qui ignis acumen incutiens, ſenſus affligit.magisq́; ad patranda ſcelera armat hominẽ,vt turpioris culpæ reus,acriori ſubplicio ſit obnoxius. eumq́, ſine vlla intermiſſione, ad inſatiabiles concupiſcentias inflammat:cũ eo pugnat in tenebris, peccatum examinat, & ignis impetũ in eius cruciatum mirum in modum concitat, atque adauget. TRISM. Diligenter mihi omnia, ô Mens, quemadmodum poſtulabam,expoſuiſti. Vlterius autem id reſponde, quid poſt aſcenſionem futurum ſit. Primum quidem (Pimander ait) in corporis materialis reſolutione,corpus in alterationem labitur.ſpecies,quam antè habuerat, inſenſibilis deliteſcit in poſterum. morum otioſus habitus dæmoni cõceditur,atq; dimittitur. ſenſus corporei partes animæ facti, ſuos in fontes refluunt, aliquando in ſuos actus iterum ſurrecturi: iraſcendi & appetendi vires in naturam conuertunt ratione carentem.itaque,reſiduum,tum per harmoniam recurrit ad ſupera. Primæ dehinc zonæ creſcendi pariter, & decreſcẽdi officium reddit. Secundæ machinationem malorum, otioſumq́; dolum. Tertiæ otioſam concupiſcentiæ deceptionem. Quartæ imperioſam, atque inexplebilem ambitionem. Quintæ profanam

ſanam arrogantiam,& audaciæ temeritatem. Sextæ occaſiones diuitiarum prauas, itemq́; otioſas. Septimæ zonæ mẽdacium inſitum. Tunc ſanè animus harmoniç motiones exutus,ad optatam naturam reuertitur vim propriam habẽs, vnaq́; cum iis, qui illic ſunt, patrem laudat. ipſi quoq; in poteſtatũ ſe numerũ conferunt, effectiq́; poteſtates,deo fruuntur,atque id eſt ſummum bonum eorum, quibus cognoſcẽdi ſors competit, deum ſcilicet fieri. Quid præter hæc ad te pertinet, niſi vt cuncta amplexus dux fore velis eorum, qui cura ſint tua digni, vt humanũ genus tuo munere diuinam ſalutem conſequatur? Talia quædam effatus Pimander,in poteſtatum diuinarũ numerum ſe reduxit, ego autem benedicens, ac gratias agẽs vniuerſorum parenti,ſurrexi iam corroboratus ab illo, totiusq́; edoctus naturæ ordinem,ſpectaculum etiam clariſſimum contemplatus. Hinc ipſe cœpi hominib⁹,pietatis & ſciẽtiæ decorem enuntiare. O populi viri terrigenæ, qui vos ipſos ebrietati, ſomno, & ignorantiæ dediſtis,ſobrij viuite, abſtinete à ventris luxu, vos, qui irrationali ſomno demulcti eſtis. Illi autẽ exaudientes,mecũ vnanimes cõuenere. Tunc rurſus adieci:Cur,ô viri terrigenç præcipites

in mortē ruitis, cùm vobis haud quaquā desit immortalitatis consequendæ facultas? reuocate iam vosmet, qui laboratis inopia, ignorantiæ tenebris inuoluti: discedite ab obscuro lumine, asciscite immortalitatē, corruptionem fugite. Eorum verò partim deridentes abscedebant, in mortis iter præcipitati: partim autem ad pedes meos prostrati, vt eos instituerem precabantur. subleuans igitur eos dux humani factus sum generis. ostendebam quippe illis quæ ratio esset consequendę salutis, sapientiæq; sermones illorū auribus infundebam. quo factum est, vt illi ex imbrium procellis emerserint. tandem aduentante vespere, solisq; radiis occidentibus (vt deo gratias agerent) præcipiebant. Postquam verò gratias egerāt, quisque in proprium se cubile condebat. Ego autem Pimandri beneficium inscripsi penetralibus animi, atque adeptus, quæ petieram, omnia, in gaudio requieui. corporis enim somnus, cùm sobrietas extiterat, oculorum compressione verus intuitus, silentium meum bonitatis fœcunda prægnatio, sermonis prolatio bonorū omnium genitura. Hæc mihi contigerunt ex mente haurienti, id est ex Pimandro diuinæ potentiæ verbo. vnde ipse diuino afflatus spiritu, veritatis compos

compos effectus sum. quamobrem omnibus animi viribus, patri deo gratias ago, Sanctus deus pater omniũ: Sanctus deus, cuius volũtas à propriis potestatibus adimpletur: Sanctus deus, qui suis familiaribus innotescit: Sãctus es, qui verbo cũcta constituisti: Sanctus es, cuius imago est omnis natura: Sanctus es, quem nũquam natura creauit: Sanctus es omni potestate validior: Sanctus es omni excellentia maior: Sanctus es omni laude melior. Excipe verborum sacrificia sancta, ab animo, & corde debito tibi manantia. Ineffabilis, solo silentio prædicandus ab eo, qui fallacias veræ cognitioni contrarias declinauit. Annue, corrobora me, atq; huius gratiæ participes effice eos, qui in ignorantia versantur, cognatione quidem mihi fratres, tibi autẽ filij. Etenim fidem tibi præsto, testimonium de te perhibeo. In vitam, ac lumẽ assurgo. Ipse pater es venerãdus. homo autẽ tuus, sanctitate vnà tecum potiri desiderat, cum potestatẽ illi omnium, arbitriumq; concesseris.

COMMENTARIA.

In hoc primo ex quatuordecim dialogis, salua semper religionis pietate, videtur Mercurius Mosaïca mysteria tractare. Moses

ses enim tenebras vidit super faciem abyssi, & spiritum domini ferri super aquas: hic verò vmbram horrendam in humidam naturam migrantem, quam quidem humidam naturam verbum Domini fouebat. Ille potenti verbo Domini cuncta creata nuntiat, hic verò verbum illud lucens, quod omnia illuminet, germen mentis, filium dei esse asseuerat, & mentem patrem, & verbum mentis filium natura non distare, consubstantiale, inquit, erat, vidit & horum esse vnionem. Et si plenius desideras, & fas est viris ante verbi carneum velamen tantum diuinæ cognitionis ascribere, vidit filium ex patre nascentem, & spiritum ex patre, filioq; miro modo procedentem, cùm dixit: Mens autem deus vtriusque sexus fæcunditate plenissimus vita, & lux, cum verbo suo mentem alteram opificem peperit. Vidit & mentem exuberanti fæcunditate sui se ad externa porrigentem, & ad sui diuini verbi exemplar formantem vniuersa, & vnicuique, in aëre, in aqua, & in terra, propriam secundum genus suum naturam dispertientem. mox hominem ad ipsius similitudinem, & imaginem factum, cuius vsui vniuersa sensibilia mens opifex subiecit, qui mox de intelligibili sphæra ad corporeorum, concupiscibiliumq; sphæram prolapsus est, hinc quoque fomitis malorum contraxit originem, & tandem homo, omnium (volente

lente

lente deo) solutus est nodus, mortiq; cum cateris factus obnoxius. Quid hic aliud est, deum verbo sancto clamasse? pullulate, adolescite, propagate vniuersa germina, atque opera mea, quàm id Mosaïcum: Crescite, & multiplicamini, & replete terram? Mox Mercurius nos instruit quà pateat aditus ad mentem, & quis nos ab ea tandem malus auferat error, & quibus mens abũdè bonorum largitrix adsit, quibúsve pariter absit, & quo pacto quemadmodum certis gradibus ab intellectuali, immortaliq; natura labimur, degeneramusq; ad caduca, ita quoque certis, oppositisq; gradibus in priorem purgata mentis statum redintegramur. Moses diuino instituto dux fit Hebræi gregis, Mercurius Ægyptij, & nunc sancta institutione gregem suum pascit actiuam vitam viuens, nunc verò hymnis, gratiarumq; actionibus rerum patrem collaudans, in contemplationis vitam, lumenq; assurgit. hæc Pimandri summa est.

Mercu

Mercurij ad Æsculapium Sermo vniuersalis. 11.

DEus atque ipsa diuinitas, dico nunc non quod genitum videlicet, quia ingenitum. Si ergo diuinum sit, essentia est: sin deus, etiam super essentiam. Intelligibile autem id hoc pacto. intelligibilis enim deus primus non sibi, sed nobis existit. intelligibile quippe intelligenti per sensum subincidit. deus itaq; minimè sibi intelligibilis. non enim aliud quiddam existens, præter id, quod intelligit, intelligitur à seipso. est tamen differes quiddam à nobis, idcirco à nobis intelligitur. Quod si intelligibilis logos, non deus. sin vt deus, haud sanè vt logos, verbum tanquam discretus dicatur. Omne autem, quod mouetur, non in moto, sed in quodam stabili mouetur. ipsum quoque, quod mouet, etiam permanet. impossibile enim est cum eo simul agitari. AESC. Quonam igitur pacto Trismegiste, ea, quę in mundo sunt, mutãtur vnà cũ iis, quæ mouent? nam sphæras erraticas ab aplane sphæra moueri dicebas. TRISM. Iste non motus, ô Æsculapi, sed resistẽtia est. nõ enim eodem, sed modo contrario gradiuntur. oppositio verò reuerberationem motionis stabilem cõtinet. repercussio enim stationis,

tionis, agitatio est. Ideoq; erraticæ sphæræ cõtrario, ac aplane subalternè inuicem discurrendo obuiatione contraria circa oppositionem huiusmodi ab ea, qua perstat, agitantur, quod quidem aliter habere se nequit. nam arctos ipsas, quas nostri nec exoriri vnquã, nec mergi, circa idem perpetuò recurrentes, non moueri censes, an consistere potius? AESC. Moueri, ô Trismegiste. TRIS. Quonam motu Æsculapi? AESC. Motione circa idem sempiternè currente. TRIS. At verò circulatio illa idem, & circa idem: motus statione cõtentus. ipsum nãque circa idem prohibet, quod super ipsum est. impeditum autem id, quod super ipsum est, circa idem instat. atq; ita cõtraria agitatio firma est, ab ipsa oppositione perpetuò stabilita. Exempla tibi ante oculos ponam in terris viuentium, veluti dum homo quis natat (currẽte nimirũ aqua) manuum simul, & pedum repercussio stare hominem efficit, ne cum aqua pariter collabatur, aut mergatur in eam. AESC. Perspicuum, ô Trismegiste exemplum in medium attulisti. TRISM. Quodcunq; ergo mouetur in statu, à statu mouetur. Motus itaq; animalis omnis, quod ex materia constat, nequaquam fit ab iis, quæ sunt extra mundum. cæterùm

ab

ab internis ad externa, ſeu ab anima,ſiue à ſpiritu, ſiue ab animo quodam incorporali.corpus enim corpus animatum minimè mouet,ſi neq; totum ſimul corpus, & ſi inanimatũ exiſtat. AESC. Qua ratione id aſſeris,ô Triſmegiſte? TRIS. Ligna,& lapides, & cætera omnia quæcunque animam habent, non mouentur à corporibus,ô Æſculapi? Quid enim intra corpus mouens ipſum inanimatum? non vtique corpus illud eſt, quo mouentur vtraque, & corpus eius,quod fert,eiusq́;, quod fertur? Non illud quoq;,quod dictum eſt,animatum eſt,ob eam potiſſimum rationem, quòd mouet? Nónne ergo perſpicis animam tunc onerari maxime, quando ſola duo corpora ſuſtinet? Quinetiam manifeſtum eſt, quicquid mouetur,in aliquo, & ab aliquo ſtante moueri. AESC. In illo vtique mutari oportet, quæ mutantur, ô Triſmegiſte. TRIS. Rectè dicis,ô Æſculapi. Nihil eſt in rerũ ordine vacuũ, ſolum verò quod non eſt,quod priuatur exiſtentia,vacuum nuncupandum.nihil enim reperiri poteſt, quod cùm exiſtat, vacuum ſit. AESC. Nónne reperiuntur quædã vacua Triſmegiſte? veluti dolium vacuum, vacuus puteus,& ſimilia quoq; quamplurima? TRIS. Heu quàm procul à veritate

vagaris

vagaris ô Æſculapi.quæ ampla, & maximè omniũ plena ſunt, ea tu vacua putas. AESC. Quomodo id ô Triſmegiſte? TR. Aër profectò corpus eſt, id corpus reliqua penetrat, diſcurrésq; replet omnia. corpus enim huiuſmodi eſt, ex corporalibus non compoſitum. Quo fit, vt quæcunq; tu vacua nuncupas, plena ſint aëris. Itaq; cõcaua potius iſta, quàm vacua nominari debent. nã & exiſtũt, ac aëris, ſpiritusq; ſunt plena. AESC. Inuicta atq; indubia hæc eſt ratio Triſmegiſte, aër corpus eſt. id corpus in reliqua permanat, atq; influens cõplet omnia. Locum, in quo omne mouetur, quid eſſe dicemus? TR. Incorporeum ô Æſculapi. AESC. Incorporeum verò quid eſt? TR. Mens, ac ratio ſeſe complectens, libera ab omni corporis mole, ab errore aliena, impaſſibilis, intãgibilis, ipſa ſibi aſſiſtens, purgans, atq; ſeruans omnia: cuius radij ſunt bonũ, veritas, principale lumen, primaq; animarum forma. AESC. Deus quid eſt? TR. Quod nullum ex his eſt, horum tamen omnium, vt ſit cauſa, præſens quiddam cunctis, præſens etiam vnicuiq;, neq; quicquam permittit nõ eſſe. omnia ex iis, quæ ſunt, procreantur. de nihilo autem nihil prouenit. nam quæ minimè ſunt, naturam nullã habent,

qua fieri valeant, contrà ea, quæ ſunt, naturam non habent, per quam aliquando non exiſtāt. AESC. Quid igitur ais deum eſſe aliquando? TR. Deus profectò mens non eſt. at verò, vt ſit mens, cauſa eſt. nec ſpiritus, ſed cauſa, qua ſpiritus extat. nec lumen, ſed cauſa, qua lumen exiſtit. Vnde deum colere oportet duobus iis cognomentis, quæ ſoli competunt illi, cæterorum verò nulli penitus congruunt. Etenim ex iis, qui præter ipſum appellantur dij, ſeu dæmones, ſiue homines, nullus tam bonus eſſe poteſt, quàm deus vnicus. is enim ipſum bonum eſt, nec aliud quicquam præter bonum. reliqua omnia ab ipſa boni natura ſecreta ſunt. Corpus quidem, & anima locum habent nullum, quo bonum capiant. tam ampla enim eſt bonitas, quàm exiſtentia rerum omnium tum corporalium, tum etiam incorporalium, ſenſibilium, & intelligibilium, id bonum eſt, id eſt deus. Caue itaq; nequando dixeris aliud quicquam bonum: profanus enim hic foret error. Neq; etiam dixeris deum aliud quiddam præter ſolū bonum. in eandem quippe impietatem incideres. Sermone igitur ab omnibus bonum pronūtiatur. quid tamen ſit, ab omnibus nō intelligitur. iccirco Deus nō cognoſcitur

ab

ab omnibus. Verũ propter ignorantiam, tum deos, tum etiam nonnullos homines bonos nominant. nunquã tamen esse boni possunt, nec etiam fieri. Reliqui igitur dij cuncti immortales, honorati nomine Dei. Deus autẽ bonũ non secundum honorationẽ, sed ipsa sui natura. Vna enim dei natura est, ipsum scilicet bonũ vnum quidẽ est in vtriusq; nominibus, vnde cuncta genera profluũt. bonus enim porrigit vniuersa, nec accipit quicquã. Deus exhibet omnia, capit nihil. igitur Deus bonũ, ac bonum Deus. Altera dei appellatio pater est: ob eã causam, quia omnia gignit. patris enim officiũ est generare. Quapropter præstans id in vita, censetur studium, atq; ipsum apud sapientes, procreatio liberorum. extrema verò omnium calamitas, & impietas accidit illi, qui absq; filiis è vita decedit. qua de causa, dæmonibus dat pœnas post obitum. Supplicium denique huiuscemodi est, vt sterilis anima in corpus quoddã per iudicium migret, cui nec maris, nec fœminæ natura insit, quod quidem à sole eleuatum est, atq; connexum. Igitur ô Æsculapi, cum homine, qui nullos genuit filios, nullum habeto commerciũ: infelicitatis tamen eius miserere, cùm noueris, quæ hunc mala post interitũ maneant.

neant. Tot igitur tibi, & talia dicta sint ô Æsculapi, ex quibus præcognitio quædam omnium naturæ colligitur.

COMMENTARIA.

Secundus differit deum rationali modo soli homini intelligibilem esse, & ex centro, polo, loco & rerum formis, venatur ipsum deum, circa quem, in quo, & à quo mouentur omnia, stabilem, immobilemq́;, & iugiter sibiipsi idem semper permanere, & nihil in orbe vacuum esse posse, verum ea, quæ inania esse videntur, fæcundiore etiam plenitudine, summam æmulari plenitudinem. Mox quid non sit deus, quàm quid sit, afferre facilius Aesculapio suis responsionibus insinuat. deum tamen esse absolutum bonum, & patrem, cuius officium est omnia gignere. quod de interna generatione, & quæ in ipsa dei natura manet, intellectum, diuinæ religionis pietatem affert. Quod nomen boni soli deo conuenire contendit, huic Euangelicæ veritati consonat, Quid me vocas bonum? nemo bonus nisi solus Deus. Et quod de extrema sine liberis decedentium calamitate subiungit, velatus sermo est. Non enim id de corporeo, sed animæ partu concipere, cuius liberos, filiósque virtutum partus putato, & masculam ad deum, deique diuinissimas potestates contemplandas sapientiam. quod apertè innuit, cùm inquit,

inquit, Supplicium denique huiusmodi est, vt sterilis anima in corpus quoddam per iudicium migret, cui nec maris, nec fœminæ natura insit, quasi apertè diceret, per quod nunquam operetur bona, neque boni vnquam quicquam sit susceptura. Vos ergo summopere sterilitatem animæ fugite, & prolem, quæ vos aliquando beatos effectura sit, gignite: patrisq; semper gignentis fœcunditatem quoad potestis, hoc pacto vestræ mentis imitamini fœcunditate. Hæc Æsculapij summa.

Mercurij sermo sacer. III.

GLoria omnium deus: diuinum, diuina natura principium vniuersorum, deus, mens, natura, actus, necessitas, finis, & renouatio. Erat enim vmbra infinita in abysso, aqua insuper, & spiritus tenuis intellectualis, per diuinam potentiam in chaos inerant. Floruit autem splendor sanctus, qui sub arena, & humida natura elemēta deduxit, diiq; omnes seminalem naturam deligebant. Cúmque indistincta fuissent, leuia postmodum in excelsam regionem prouolarunt, grauia sub arena humida resederunt. Distinctis, libratisq; rebus, quę igneo spiritu vehebantur, emicuit cœlum septem in circulos. Dij in astrorum ideis, cum signis eorum con-

ſpiciebantur. Dinumeratæ ſunt ſtellæ ſecundũ eos, qui inhabitant illas, deos. ambitus amplior, curſu ſuo, aëreo circulo, conſpirante diuino ſpiritu vectus. Quiſq; deorum ex interna virtute aſcriptum ſibi opus expleuit. Nata ſunt ergo viuentia, quadrupedia, reptilia, aquatica ſimul atq; volãtia. Satio item omnis per ſemina pullulans, gramen, herba, atque germina florum, ſementem quoque regenerationis intrinſecus comprehendebant. Generatio hominum ad diuinorum operum cognitionem, teſtimoniumq́; naturæ, ad imperandum omnibus, quæ cœlo teguntur, ad bonorum diſcretionem, ad incrementum generis, numeriq́; propaginẽ. omnísque anima velata carnis vmbraculo ad cœleſtium deorum diſcurſum ſuſpiciendum, ad opera dei, & naturæ progreſſus, ad bonorum ſigna, ad poteſtatis diuinæ cognitionem, portio quædam tributa eſt ad bonorum malorumq́; iudicium, ac bonorũ varium artificium inueniendum. incipit tamen in illis viuere, ſapientiamq́; nanciſci, ad portionem continuè curſus deorũ circumeuntium. reſolui prætereа in id, in quo ampla extabunt monimẽta, admonitionéſque artificiorum ſuper terram. his electis innouatione tẽporum, herbæ, generat

nerationesq; carnis animatæ (tepefactis sementibus fructuum, opificisq; naturæ & artis) reiuuenescent. Denique vti necessitate,& renouatione deorum, cursuq; circuli numerosæ naturę diuinum, ac ipsa scilicet omnis conspiratio mundi, natura denuo florescente. etenim in ipsa diuinitate, natura etiam consistit.

COMMENTARIA.

Tertius rursum commemorat, ex informi materiæ sinu, formis ceu sanctis splendoribus illustrato, omnia ad ortum suo ordine processisse, & beatas cælorum mentes opus sibi à summo patre commissum explere. Et hominem ad geminum officium natum, ad æternorum videlicet contemplationem, & ad boni, maliq; iudicium, & rerum humanarum cum varijs artificiorum inuentis, tum prudentia moderationem. cui quidem contemplandi materiam, seque ad diuina attollendi, cælum, terra, herbæ, germina, & tota mundi conspiratio. & rerum pulcherrimus ordo, abundantissimè suggerit. est enim naturæ velut liber vnus diuinitate plenus, diuinorumq; speculum. hæc sermo sacer. Tertium tamen hunc dialogum cautè legendum admoneo. nam gentiles planè gentilitiè exponunt, & faciunt quoddam ad suos errores fundamentum, πρὸς πάντα σχέδον τὴν μα-

τελειότητος. *Ad diuinationem omnem, ad idololatriam, orgia deorum, teletas, aut verius thelo threscias, magias, theurgias, fatum, opifices deos, & huiusmodi impura, & nefaria quamplurima nobis autem vnus deus est, qui fecit cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, & qui omnia, prout vult, in tempora mutat, & transfert.*

Mercurij ad Tatium Crater, siue Monas. IIII.

VNiuersum mundum verbo non manibus fabricatus est opifex. Ipse verò sic cogita, illum præsentẽ semper agentem omnia, deum vnicum voluntate sua cuncta constituentem. Id enim eius corpus est, non tangibile, non visibile, non dimensum, non distans, nec alterius cuiusquam simile. nam nec ignis, nec aqua, nec aër, nec & spiritus. verùm ab eo hæc pendẽt omnia. bonum verò ita est, vt sibi soli id competat. Terram quoque ornatu quodam diuini operis exornare voluit. Dimisit itaque hominem mortalis animantis, mortale animal. & mundus quidem refertus animalibus viuentis mundi per intellectum, atque rationem. homo enim effectus est diuini operis contemplator, quod profectò dum admiraretur, autorem eius agnouit. Sermonem quidem ô Tati,

ô Tati, ſingulis hominibus deus imparti- uit, mentem verò nequaquam. non quòd inuiderit, quibus ne vtique inuidet, liuor quippe ab eo non prouenit: ſed illa quæ habitat cum animis hominum mente ca- rentibus. TAT. Cur ô pater non omni- bus deus mentem communicauit? TR. Quoniam voluit eam ô fili, in medio tan quam certamē, præmiumq; animarū pro- ponere. TAT. Vbinam hanc locauit? TR. Cum craterē patulum hac impleſſet, præ- conem miſit, iubens talia quędam animis hominū nuntiare. Mergat ſeipſam in hāc pateram, quæcunq; poteſt, quæ videlicet credit craterem animā ad eum, qui dimi- ſerat, rediturū, quæ've finem noſcit, cuius gratia nata fuerit. Quicunq; igitur præ- conem exaudierunt, ſeſe miſerunt in men tem, ij cognitionis participes effecti ſunt, mentemq; ſuſpicientes, in homines perfe ctos euaſere. At qui præconium neglexe- runt, ij ſermonis quidem participes, men tis autem expertes, relicti ſunt ignorātes, & cuius gratia, & à quo geniti fuerint. Horum præterea ſenſus irrationalis ani- mantis ſenſuum ſimiles, itaq; & cupidine impliciti, ea, quæ ſunt digna conſpectu, nequaquam admirantur. nam libidinibus corporis mancipati, horum cauſa natum

hominem arbitrantur. Quicunq; verò dei natura fulti sunt, ij ô Tati secundum operum comparationem, pro mortalibus immortales habentur. intelligentia sua cuncta complexi, quæ in terra sunt, & quæ in mari, & siquid est præter ea supra cœlum. Atq; adeò seipsos erigunt, vt ipsum quoq; bonum intueantur. Quód sane cùm perspiciunt, eam, qua hîc vescimur, vitã, miseriam quandam arbitrantur, despicientes vtiq;, tum etiã corporea omnia, ad vnum solum feruntur. Hic ô Tati scientiam meritus est diuinorũ, si contemplatio est intelligentia dei, diuino existente cratere. TAT. Equidem ô pater, huius crateris latice ablui cupio. TR. Nisi ô fili tuũ corpus oderis, teipsum amare non poteris. quamprimũ verò non te, sed deum ipsum dilexeris, mentem protinus consequêris. hanc denique nactus, scientiam euestigio nancisceris. TAT. Quonam pacto asseris hæc, ô pater? TR. Impossibile est ô fili, vtrisq; simul intendere, mortalibus videlicet, atq; diuinis. nam cùm duo tantùm in ordine rerum inueniantur, corporeum, & incorporeum: & illud quidẽ mortale, hoc diuinũ dicatur, electiõe vnius amittimus alterum: quotiesq; vnius cura remittitur, alterius actus intenditur. Potioris itaque optio,

optio, eligenti decora, non modò hominem, qui elegit, deũ reddidit, verũ impietatem erga deũ cęteris quoq; demonstrat. deterioris autẽ electio, hominem quidem ipsum perdit, aduersus autem deum nihil præter id vnum delinquit, scilicet quòd quemadmodum pompæ per media transeunt, ipsæ quidẽ nullius actionis compotes, cæteros autẽ impedientes: haud secus isti pomparum instar vagantur, atque oberrant, propter corporis voluptates. Cùm hæc igitur ita se habeant ô Tati, diuina officia præcedere, humana sequi debent. Deus profectò extra culpam malorum à nobis, causa venit. nam mala bonis anteponimus. Cernis ô fili quòd corpora cœlestia transcendere nos opus est, quodq; choris dæmonũ abesse, ambitumq; astrorum, eorumq; progressus superare, vt ad vnum, solumq; deum tẽdamus. insuperabile enim bonum est, sine termino infinitum, quo ad se nunquam incipiẽs, quo ad humanam cognitionem principium habens. eiusmodi tamen cognitio non eius initium est, sed nobis ipsius cogniti principium exhibet. Principium itaq; complectamur. hoc enim cognito, vniuersa celerrimè discurremus. Arduum autem est consueta, ac præsentia relinquentẽ, ad superio

perio

periora se,potioraq́; cōuertere. Illa enim, quæ oculis cernimus, nimium nos delectant:latentia diffidentiā pariunt. patētia autem sanè mala sunt,bonū occultum iis, qui manifestis incumbunt.nec enim forma eius vlla, nec figura. hac de causa sui tantū simile: cæteris horū verò dissimile. Etenim corpori incorporeū apparere non potest: huiusmodi est similis ad dissimile differentia, dissimilisq́; ad id, quod simile est posteritas. Monas,id est vnitas omniū principium radix, atq; origo, absque verò principio,nihil. Initiū autem est nō principij, sed alterius. monas ergo principiū, omnemq́; numerum cōtinet à nullo contenta, omnemq́; gignit numerum nullo numero genita. Quicquid vtiq; genitum imperfectum, diuiduum,crescēs,atq; decrescens. ei verò quod perfectum, horum nihil accidit.id sanè quod augescit, virtute monadis augetur.euanescit autem imbecillitate propria, cùm vlterius monadē capere nequeat.Hæc,tibi ô Tati pro viribus imago dei subscripta sit,quùm si diligenter consideraueris, oculisq́; internis prænoueris, crede mihi fili, ascensum ad excelsa comperies.quinetiam imago ipsa te perducet:habet enim vim certam visio, eósque, qui intuendi desiderio flagrant,
appre

apprehendit, eoq; trahit modo, quo lapis, qui magnes dictus est, ferrum.

COMMENTARIA.

Quartus nos hortatur sapientiam capessere, quae patulus est diuinae mentis crater. in quem quaecunq; anima se immergit, cognitionis particeps effecta, mentem suspicit. at verò, vt ad eam se attollat, ipsam caelos transcendere opus est, & astrorum ambitum, eorumq; progressus superare, & beatorum choros longè infrà relinquere. tunc ad vnum, solumq; deum tendit, insuperabile, & sine termino infinitum bonum: quod cùm intuetur, corpora omnia despicit, & vitam, qua hîc vescimur, miseriam reputat, solius incorporei boni desiderio intenta. Nullus tamen in diuino cratere se valet immergere, qui suum corpus non oderit, & qui non se, sed deum ipsum dilexerit, & qui non mortalia negligens solis diuinis haeserit, solis adsit, sola meditetur atq; flagret. Mox vnitatis, & numerorum analogia, ad veram monadem cogitandam, verosq; naturae numeros nos eleuat. Haec Crater.

Mercurij ad Tatium filium suum, Quòd deus latens simul, ac patens est. V.

HVnc praeterea sermonem apud te transigã ô Tati, ne praecipuũ nomen tibi

tibi desit, né ve ignores id, quod plurimis occultum, videtur esse perspicuum. nam si nusquam pateat, nihil vtiq; erit. Quodcunq; se offert aspectui, genitũ. quod verò latet, sempiternum. neq; enim opus est, vt appareat, quandoquidẽ esse nunquam desinit. ante oculos quidem id reliqua ponit, ipsum verò secretum manet, vtpote quod vita fruitur sempiterna. Etenim phantasia solũ circa quæ genita sunt, versatur, in qua præter generationem nihil existit. At vnicum id ingenitũ incomprehensibile phantasiæ. Cùm verò per ipsum cuncta clarescant, per omnia rursus atque in omnibus fulget. Hisq; præsertim apparet, quibus ipse notitiam communicare voluit. Tu igitur ô fili mi Tati, in primis piis precibus obsecra dominum patrẽ vnicũ, vnũ, & à quo vnus, vt sis illius misericordia dignus; sic tandẽ deũ tantũ percipere poteris, si vel vnus dũtaxat illius radius intelligentię tuæ benignè refulserit. sola siquidẽ intellectio latens, latẽtia perspicit: itaque si mentis oculis inspexeris ô Tati, ille tibi (crede mihi) patebit. Deus sanè totius expers inuidiæ, per singulas mũdi particulas vbiq; splendet, atq; adeò se notũ præstat, vt non intelligere modò, sed manibus etiã ipsis (vt ita dixerim) liceat

ceat

ceat attrectare. nam vndiq; nostris oculis eius obseruatur, seque obiicit, & inculcat imago. Quòd si infimum te latet, quomodo aut teipsum, aut eum inuenies? Deniq; cùm deũ videre volueris, suspice syderum ordinẽ reliquorũ, quis agè perpetuũ horum seruat ordinẽ? Ordo quidem omnis numeri, loci limitibus terminatur. Sol deus deorũ cœlestiũ præstantissimus. Soli cœlites reliqui veluti principi, regiq; parent. Sol tantus, terra simul amplior, atque mari, minores tamẽ supra se stellas innumeras cõuerti patitur. Quem timet is, quẽ veretur? O fili, diuersorũ syderũ sunt motus. Quis mensuram singulis motionis assignat? TAT. Arcturum circa idem se perpetuò vertens, totamq; trahens mundi machinam. TRIS. Quis hoc vtitur instrumẽto? quis mare suis finibus circũscripsit? quis terræ pondus sistit, ac librat in medio? Est certè aliquis ô Tati, horum autor, ac dominus. Etenim, locũ, vel numerum, vel mensurã seruare absq; autoris virtute, impossibile est. Ordo fieri à deformitate nequit. eget autem deformitas domino, qui ordinẽ præbeat. Vtinã tibi daretur, ô fili, facultas, vt alarum adminiculo in sublimem aëris plagam volares, mediamq; inter cœlũ, ac terram regionẽ sortitus,

titus, cõſpiceres terræ quidem ſoliditatẽ, maris diffuſionem, fluxum fluminũ, aëris amplitudinem, ignis arctam celeritatem. O feliciſſimum fili ſpectaculũ, ô beatiſſimam viſionem! Siquidem vno luminum motu ſeriẽ mũdi totius comprehenderes, immobilemq́; factorem concitum, latentẽ quoq; perſpicuũ cerneres: quòd ſi per ea etiam, quæ terra ſuſtinentur, fragilia, & aquæ profunditate conduntur, deũ artificem inueſtigare volueris: age fili, circunſpice humani corporis opificiũ, cuius admonitione perdiſce, quis tam pulchræ imaginis cõditor, quis oculorum pictor, quis nares, aureſque tornauit, quis labia diſtendit oris, quis neruos tetẽdit, atq; ligauit, quis irrigauit venas, quis oſſa congeſſit ſolida, quis carnem pellicula tenui circũtexit, quis digitos, articuloſq́; diſcreuit, quis fundamẽta pedum extendit, quis perforauit poros, atq; meatus aperuit, quis ſplenem coëgit, atq; compreſſit, quis pyramidem impreſſit cordi figurã, quis iecoris porrò texit fibras, quis pulmonum ſculpſit fiſtulas, quis aluo capacem amplitudinem tradidit, quis honoranda corporis membra in propatulo figurauit, quis obſcœna in obſcuro prorſus abdidit, eaq́; a ſpectu cernentium voluit ſecreta iacere.

Vide

Vide quot diuinæ artis opera in vna materia demōſtrantur, ſingulaq́; pulchra, rectéq́; dimēſa, nec non propriis inuicē officiis differentia. Quiſnam ſingula finxit? qualis mater, qualis pater? nonne hæc ſolus ipſe inuiſibilis deus, cuncta propria voluntate molitus eſt? Et cùm ſtatuam, & imaginē abſq; fabro & pictore fieri nullus aſſerere audeat, mirā mūdi huius conſtitutionē, ſine conditore conſtituiſſe putabimus? O cæcum homunculū! ô nimis impium! ô profundis obrutū ignorantiæ tenebris! Caue, inquā ô fili mi Tati, ne vnquam artificiū priues artifice: quinimmo congruo deū nomine præinuocato, patremq́; eſſe propriū eius exiſtimato. quòd ſi me quiddam audacius proferre coëgeris, huius eſſentiā eſſe dicam concipere, ac facere ſingula. quemadmodū ſine factore fieri quicquam nequit, ita deū exiſtere ſemper, niſi ſemper agat omnia, impoſſibile eſt, in cœlo videlicet, aëre, terra, mari, in toto mūdo, in qualibet particula mundi, tum in quod eſt, tum in eo, quod non extat. nihil eſt in omni natura, quod ille ipſe non ſit. eſt ille ſiquidē, quæ ſunt. eſt ea etiam, quæ minimè ſunt. Quæ quidem ſunt, deduxit in lucem, quæ nō ſunt, occulit in ſeipſo. Hic deus, nomine melior.

lior. hic occultus, hic rursus omnium patentissimus, hic menti cõspicuus, hic præsens oculis, hic (vt ita dixerim) multicorporeus. nam nihil in corporibus est, quod ipse nõ sit. omnia enim ipse solus existit. nomina insuper habet omnia, quoniam vnus est pater. Nomen quoq; nullum habet, quoniam pater est omnium. Quid ergo te laudabit, supra te an infra te positum? quò vertam oculos, vt te laudem, supràne an infrà, intus an extrà? Num modus, an locus circa te, num aliud quiddam ex omnibus? In te autem omnia, abs te omnia, præbes omnia, nihil deniq; suscipis. omnia quidẽ habes, quod autem non habes idipsum nihil. Quando verò laudabo te pater? tempus & momentũ tuum capere non valemus. Qua potissimum in re laudes cantabo tuas? num in iis, quæ creaueris, an in illis, quæ nõ creaueris potius? num in iis fortè, quæ in lucem è tenebris eruisti, an in iis, quæ latent adhuc arcano sinu recondita? Per quid tandem hymnos tuos dicabo? nũquid in laudatione tali ego ipse mei iuris existã, an potius alter efficiar? ipse profectò es quicquid ego sum, ipse es quicquid agam, ipse es quicquid deniq; dicã. Ipse enim es omnia, neq; aliud præter te quicquã. Quid sanè

non

non es ipse? Ipse omne quodcunq; genitum. Es quidẽ intelligens pater, fabricans deus, efficiens bonũ, bona faciens omnia. Materiæ nanq; purissimus aër, aëris anima, animæ mens, mentis deniq; deus.

COMMENTARIA.

Quintus docet deum latere pariter, & per singulas mundi particulas splendere. res omnes, quæ se nobis obijciunt, eius esse imagines, ita vt mirificus, perpulcherq́; rerum ordo manifestè declaret ordinantẽ. & res singulæ certis suis limitibus circunscriptæ, dominum declarent, & autorem, cui sol siderum rex, princepsq́; obsequitur, atque paret, quem timet, quèmq́; veretur, & summatim vniuersa mundi structura suum declarat artificem. Mox de diuina interna generatione confidentius iudicium affert, dei esse essentiam concipere, ac facere omnia: ita vt deum existere, nisi semper omnia agat, impoßibile sit. est enim sic diuinus logos omnia, vt nihil omnium, in quo corporeum, incorporeumq́; ens, atq; nihil, in idem conspirant, atq; coincidunt deinde Mercurius in diuinarum laudum cantibus, dialogum finit, & terminat.

Quòd in solo deo bonum est, alibi verò nequaquam ad Aesculapium.

 Bonum

BOnum ô Aesculapi in nullo ponitur, nisi in vno deo, immo ipsum bonum deus ipse semper. Quamobrẽ essentiam omnis motionis, atque cognitionis, esse deum oportet. Hac essentia orbatum nihil. hæc circa se stabilem actum nullius egenum, infinitum superabũdanter porrigentem possidet. Vnum id vniuersorum principium, bonum porrigens, & effundens bonum. quoties nomino bonum, id, quod omnia bona, & quod bonum semper, intellige. hoc vnico deo adest. neque enim cuiusquam indigus est, vt adeptionem illius appetendo malus fiat, neq; iactura cuiusquam in eum vnquam, vt post damnum dolore afficiatur. Maior enim portione mali, nec est illo validius aliud, à quo expugnetur. in hũc iniuria incidere nulla potest, qua irritatus, lacessitús ve excandescat. Nihil eius iugũ subterfugit, quo contẽptus indignetur, atq; irascatur: nec est sapientius eo quicquam, quod illi æmulationem incutiat. Itaq; cùm hæc illi non accidant, nihil eius naturæ præter ipsum bonũ restitit. Quemadmodũ verò nihil eorum, quæ mala sunt, in hac insunt essentia, ita in nullo alio bonũ inuenitur. In singulis enim reliqua insunt singula, tum in paruis, tum in magnis, tum etiã in iis,

iis,quæ ſecundum vnum, & in ipſo quoq; animali maximo omnium, atq; potētiſſimo,quod vtiq; paſſionibus ge[illegible]ita replet. Nam generatio, paſſio quædā eſt.vbi autem paſſio,nullo modo bonū.vbi bonum, nō paſſio ponitur vlla:vbi dies, nullo modo nox:vbi nox,neq; etiam dies: quapropter in generatione bonū eſſe non poteſt. reſtat itaq; in eo,quod ingenitū. Vt autē materiæ conceſſa eſt omniū participatio, ſic quoq; boni participatione, mūdus bonus.bonū dico, inquantū ipſe etiā omnia efficit,qua quidē ex parte bonus eſt mundus, in reliquis omnibus nō bonus.paſſibilis enim ac mobilis eſt,& omnium prętерea cauſa paſſionum.In homine inſuper cōparatione mali, bonū. Id quippe, quod nō nimis malū,quodq; minus malū,bonū in hominibus appellamus. quo fit, vt bonum noſtrū nihil aliud ſit, quā mali portio minima. Vnde illud etiam ſequitur,vt bonum huiuſmodi,à malo ſeparatum eſſe non poſſit. Inquinatur enim hoc bonum, admiſtione malorū. infectum verò, vlterius bonū non permanet:ſin minimè permanet,malum efficitur.In ſolo igitur deo bonum ipſum exiſtit. Quare ſolum boni nomen homini adeſt ô Aeſculapi, natura boni nequaquam. neque enim id ca-

pere potest materiale corpus confectũ vndiq; & oppressum prauitate, laboribus, doloribus, cupiditatibus, iracũdia, deceptionibus, stultisq; opinionibus, ac nugis. Deterrimum tamen omnium id censeo Aesculapi, quòd vnumquodq; eorum, quæ dixi, summum creditur esse bonum. Fugiendum in primis malum est, ventris luxus malorũ omnium fomes: hinc error, hinc boni priuatio. Et quidẽ ingentes deo gratias habeo, qui de natura boni cogitanti mihi sententiam hanc certã infudit, quòd in mundo bonũ esse non possit. si quidem mundus congeries est malorum. Deus autem boni vel bonum, dei exuberans plenitudo, supereminentia quippe bonorum circa essentiam syncerè fulgentis, atq; purissimè. neq; forte sunt essentiæ dei. Audiendum sanè id assero ô Aesculapi, essentiam dei (si vllam deus habet essentiam) ipsum bonum esse. Pulchrum verò, & bonum in mundo, aut in mundi partibus inuenire non licet. Nam quæcũq; sensus mouent, idola sunt, & vanæ quædam admirationes. quæ verò sensuum organa subterfugiunt, ad pulchrum, bonumq; pertinent. Vtq; acies oculi deum non cernit, sic neque pulchrum, bonumq; cognoscit. Hæ siquidem partes dei sunt, integerrimiq;

miq; illius propriæ, cognatæ, inseparabiles, præcipueq; dilectæ: & vt has ipse deus amat, sic ab his ipse deus amatur. si deum percipere poteris, pulchrum quoque, bonumq; percipies, perfulgēs omnibus illustratū à deo. Pulchritudo enim sine comparatione, sine imitatione bonum. Deus enim comparationem, imitationemq; nullam admittit. Quemadmodū ergo deum pulchrum, bonumq; noueris, ita sanè & cæteris viuentibus cum deo conferri nequeant nunquam communicandum. Si deum quæsieris, pulchritudinem ipsam quęres. Quæ tandem ad id ferat, vnica via est, pietas cognitioni coniuncta. Quapropter ignari mortales, & à pietatis semita deuij, hominem quoque bonum nominare non verentur, cùm boni notitiam veram habere nullam posſit, sed malis irretitus, & illaqueatus sit, malūq; bonum esse censeat, insanabiliterq; malis vtatur, eorumq; iacturam, priuationemq; formidet, omnibus deniq; machinamentis, viribúsque contendat, ne vnico solùm malo prematur, verùm & in numerū mala, magnitudinemq; augeantur. Talia sunt, ô Æsculapi, decora hominum, atque bona, quæ nec fugere, nec odisse valemus. omnium nanq; difficillimum id existit, ob

 eam

eam potiſſimum cauſam, quia nos illis vti oportet, atque veſci, illisq́; orbati vitam agere nullo modo poſſimus.

COMMENTARIA.

Sextus hoc contendit, in ſolo deo bonum, boniq́; naturam, hoc eſt ipſam bonitatem reperiri, pariter & pulchri potentis, ſapientisq́; naturam. In mundo autem ſolum boni nomen eſſe, & errorem cæcos homines arguit. vitia abhorrere monet, & quæ via nos ad ipſam bonitatem, ipſamq́; pulchritudinem perducat, edocet, pietas ſcilicet cognitioni coniuncta, ad quam ignari mortales à pietatis ſemita deuij, pertingere valeant nunquam. Hæc ſextus.

Quòd ſummum malum eſt hominibus ignorare Deum. VII.

QVò ruitis mortales ebrij, qui merum ignorantiæ combibiſtis? cùm id ferre nequeatis, euomite. viuite ſobrij, oculis mentis inſpicite. Quòd ſi minus poteſtis omnes, ſaltem qui poſſunt, id agant. Ignorantię peſtis omnem terram ſubuertit, animamq́; corrumpit corporis vinclis incluſam, neque ſinit eam ſalutis iter aſciſcere. ne permittite vos in lacũ corruptionis, mortisq́; ſubmergi. Reſpirate iam, reſpirate, ad fontem vitæ recurrite, illumq́;, qui vos introducet in adytũ veritatis, capeſſite.

pessite. ibi fulgidum lumen nullis immistum tenebris, ibi nullus ebrietate delirat, sed omnes sobrij vigilant, atque mentis oculis eum, qui videri vult, acutius intuentur. is nec auribus percipitur, nec cernitur oculis, neque sermone profertur: sola mens eum prospicit, sola mens prædicat. In primis autē oportet vestem, quam circumfers, exuere, indumentum inscitię, prauitatis fundamentū, corruptionis vinculum, velamen opacum, viuam mortem, sensitiuum cadauer, sepulchrum circūuertile, domesticum denique furem, qui dum blanditur, odit: dum odit inuidet. huiusce modi est, quo circumtegeris, vmbraculum inimicum. Ad seipsum te deorsum raptat, ne fortè conspiciens veritatis decorem, atque proximum bonum, huius oderis prauitatem: néve huius insidias, quas in te assiduè machinatur, aliquando præsentias. hoc aciem interiorum sensuum hebetat, & obtundit: crassa illam materia suffocat, abominabili, fastidiosaq; ebriat voluptate, ne audias vnquā, néve perspicias ea, quæ iure & audienda sunt, & in primis inspicienda.

COMMENTARIA.

Septimus conqueritur ignorantiæ pestem,

 qua

quæ omnem terram euertit, animamq; corrumpit, corporis vinclis inclusam, & ignorantes hortatur resipiscere, & corpus mortale indumentum iubet nos exuere, à quo præcipites in ignorationem, mortemq; raptamur, & nos in adytum mentis reuocare, quæ sola eum perspicit, qui neque auribus perspicitur, neq; cernitur oculis, neq; sermone profertur. Hæc septimus.

Nihil eorum, quæ sunt, interitus, sed mutationes, decepti homines interitum nominant. Ad Tatium. VIII.

DE anima, & corpore, ô fili, dicendum, quonam modo immortalis anima, quantaq; sit agendi virtute in concretione, dissolutioneq; corporis. Mors ad horum nullum attinet. θάνατος enim, id est mors, conceptus quidem est mortalis appellationis, vel vanum quiddam, vel per ablationem primæ literæ, θάνατος, id est mors pro eo quod dicitur ἀθάνατος, id est immortalis. θάνατος enim interitum significat. at nihil eorum, quæ in mundo sunt, interit. Si enim secũdus deus est mũdus nec nõ immortale viuens, impossibile est immortalis animantis partẽ aliquam interire. Quæcunq; mũdo insunt, mundi sunt membra, homo præsertim animal rationale. Primus omnium verè sempiternus,

nũs,immortalis,ingenitus deus, omnium autor. Secundus deinde ad illius imaginem,mũdus à Deo genitus, & ab eodem ſeruatus,nutritus,& immortalitate donatus,velut à proprio patre , viuens quidem ſemper,& immortalis:eſt enim ſemper viuens quidẽ,ſemper & immortalis,etenim ſemper viuens, & ſempiternum hoc inuicem differunt,quia ſempiternum quidem ab altero factum non eſt:ſin autem fiebat à ſeipſo, non ab aliquo factum fuit, quia fit ſemper. Sempiternum enim quatenus ſempiternum eſt omne, pater autem ille ſui ipſius ſempiternus, at verò mundus à patre ſemper viuẽs, immortalisq; factus. Quantumq; materiæ fuerat ſubiectũ patri,pater ipſe corporeum agens, & in molem cõgregans, id totum ſphæricum reddidit, imprimens qualitatem materiæ exiſtenti immortali, rationeq; materiæ ſempiternum habenti. Plenus autem ideis omnibus qualitates pater inſerens in ſphæram, velut in gyrum omni qualitate circunſcripſit. Exornare autem voluit id, quod poſt ipſum eſt, quaſi immortalitate fulciens omne corpus, ne materia ab huius congreſſu diſcedere volens, in ſuam deformitatem iterum reſoluatur. quando enim incorporea erat materia, ô fili, defor

formior erat. Habet hæc quoque materia qualitates quaſdam exiguas reuoluta creſcendi pariter, & decreſcēdi natura, quam homines mortem vocant. Huiuſcemodi autem confuſio circa terrena viuētia. Cœleſtium quippe corpora, vnum atque eundem ſeruant ordinem, quem ſcilicet primū à patre ſuo ſortita ſunt. Seruatur autem ipſe à reſtitutione cuiuſq; indiſſolubilis. Reſtitutio verò conſtitutionis corporum terrenorum, ipſáq; diſſolutio in corpora indiſſolubilia, & immortalia reſtituitur. atq; ita ſenſus priuatio fit, non deſtructio corporum. Tertium quoque animal homo ad imaginem mundi genitus, ſecundum patris voluntatem ſeſe habens, præter cætera terrena viuentia non modò cum ſecundo deo cognationem habet, verumetiam intelligentiam primi. Secundum planè deum vtpote corporalem, ſenſus comprehendit. Primum verò deum, vt incorpoream, bonamq; mentē, mēte conſurgit. TAT. Id ergo animal, nónne deſtruitur? TRISM. Melius melius ominare, ô fili, ac inſuper meditare quid deus, quid mundus, quid animal immortale, quid animal diſſolubile. Scio quoq; mundum à deo ſimul, atq; in deo, hominē verò à mundo, & in mundo conſiſtere: principium

cipium autem, comprehensioq; omnium, & constitutio Deus.

COMMENTARIA.

Octauus edocet in primis cælestia corpora iugiter vnum, eundemq; tenorem seruare, quem primum à suo patre sortita sunt. Et mortem, interitumq; primùm circa terrena viuentia corpora apparere, sed penè mortis nomen, atque corporum interitus vanum esse: corpora siquidem ipsa mutantur non intereunt. verum qualitates ipsas idearum idola, simulacraq;, quibus deus ipsam exornare voluerat, immortalis materia permutat. Et homo immortale animal, sed dissolubile, vniuersæ naturæ vinculum, atque nodus, partim corporeus, partimq; incorporeus, mentisq; capacior altæ, instar mundi genitus est, vt sensibilem mundum comprehenderet, & mente ad optimam mentem, felici contemplatione assurgeret. Hæc octauus.

Quòd in solo Deo pulchrum, ac bonum, alibi verò nequaquam, Ad Æsculapium. IX.

HEri, ô Æsculapi, perfectam edidi orationem, in præsentiarum autem necessarium esse arbitror, vt de sensu breuiter disseramus. Sensus, ac motus in hoc potissimum discrepare videntur, quia hic quidem secundum materiam, ille autem secun

ſecundum eſſentiã eſt. mihi tamẽ vterque conuenire videtur, neq; diſtingui in hominibus ratione. Intus animantibus ſenſus nunc vnitus eſt, in hominibus autẽ intelligentia. Ab intelligentia quidem intellectus differt, quemadmodum à diuinitate deus. Diuinitas enim à Deo, intelligentia verò ab homine prouenit. Hæc ſermonis eſt ſoror, aut vtraque ſibi inuicem inſtrumenta. Nam neque ſermo abſque intellectione pronuntiatur, neq; intellectio abſque ſermone prodit in lucem. Quamobrem ſenſus, & intelligentia in homine, tanquam connexa conſpirant inuicẽ. Neque enim ſine ſenſu intelligere, neq; ſine intellectiõe ſentire vllo modo poſſumus. Intellectionem tamen abſq; ſenſu intelligere poſſibile eſt, inſtar eorum, qui in ſomnis phantaſmata vident. tãtum quoque videntur vtræq; operationes in ſomniorũ viſionibus externis, ſenſum autem ex ſomno in vigiliã ſuſcitari. In animam præterea corpus, homoq; vnitur: quotiéſque vtræque ſenſus particulæ ſibi conſentiũt, tunc intellectio cõcepta mẽte diſponitur. Mens omnes notiones cõcipit. bonas quidẽ, quoties à deo ſemẽ infunditur: cõtrarias aũt, cùm à dæmonibus quibuſdã ſpermata iaciũtur. Nulla profectò mũdi pars

eſt

eſt dæmonum pręſentia deſtituta, horum lumen ab ipſo deo totum deſcendit. Dæmon denique transfuſus in hominem, ſemina propriæ notionis inſpergit. Mēs autem conſperſa ſeminibus prægnans, inde parit adulteria, ſtupra, homicidia, parricidia, ſacrilegia, diuinorum cōtemptum, iugulationes, euerſiones vrbium, peſtes hominum, & reliqua omnia quæcunq; malorum ſunt opera dæmonum. Dei planè ſemina pauca, at illa quidē magna, pulchra, bona, virtus ſcilicet, tēperantia, pietas. pietas autē dei cognitio. Deum qui recognoſcit, bonis refertus omnibus, notiones diuinas aſſequitur. notiones inquam haud multorum ſimiles. Qua de cauſa, ſi qui huic ſe cognitioni dedicant, nec ipſi vulgo placent, nec vulgus illis. inſanire demū putantur, riſumq; reportant: interdum etiam odio habentur, contumeliis afficiūtur, vitaq; priuantur. Improbitatem enim hîc habitare diximus, terramq; illius eſſe prouinciam : terram dico non mundum totum, vt impij quidam obloquuntur. Veruntamen homo deo deuotus, quamprimùm diuinam prægustauerit viſionem, obliuioni reliqua omnia tradit. atq; etiā, quæ reliquis hominibus mala ſunt, huic vt bona contingunt, cōſulenti prudenter,

&

& ad scientiam singula referenti, quodq; mirandum est, mala semper in bona penitus conuertenti. Sed iam ad sermonem de sensu iterum redeamus. humanũ est, sensum cum intellectione coniungere. nam omnes (vt suprà retuli) homines intellectione feruntur. Cæterum secundum materiam vnus, alter secundum essentiam. Qui enim prauitatis seruus est materialis, à dæmonibus quoq; (vt diximus) intelligẽdi semẽ accepit. At si qui bonitatis animæ cõpotes sunt, horum natura deus ipse vtitur. Deus enim omniũ author, efficiens autem omnia, sibiipsi consimilia reddit. Quædã tamẽ genita bona in operationis vsu sterilia. Mũdi nanq; reuolutio generationes exagitans, qualitates efficit quasdã, inficiens, maloq; fœdans: quasdam defensans, bonoq; purgans. Mundus ô Æsculapi sensum, motumq; possidet, non humano sensui, motuiq; consimilem, sed potentiorẽ sanè, atq; admodum simpliciorem. nã sensus, & intelligentia mundi, id vnum est, cuncta scilicet facere, ac resoluere. Diuinæ voluntatis organum, hac potissimum ratione constructum, vt à deo semina suscipiens vniuersa, eaq; toto sinu recondens, omnia quidem componendo producat, omnia rursus auferat diuidendo.

do. Atque inſtar agricultoris periti, quodcunq; nimis adultum eſt, amputat, vt ſtatutis tẽporum interuallis, reuireſcat. Nec eſt quicquam, cui vitã mundus ipſe non præſtet. ſimulq́; vitæ locus eſt, eſt atq; etiã inſtitutor. Corpora verò ex materia in differentiam conſtant: horum quędam ex terra, quædam ex aqua, ex aëre alia, ex igne quoq; permulta, vniuerſa certè compoſita. Quædam tamen congeſta magis, nonnulla verò ſimpliciora. Illa grauia, hæc leuia. Velocitas autem agitationis, illius varietate generationẽ qualitatis inducit. ſpiratio enim crebra exiſtẽs, corporibus qualitatẽ vnà cùm ſuperabundantia vitæ ſuppeditat. Deus igitur Coſmi, id eſt mundi pater. Coſmus autẽ eorum, quę in coſmo, & Coſmus quidem Dei filius. Quæ verò in coſmo, ſub coſmi ditione conſiſtunt. ac iure Coſmus appellatus eſt: omnia ſiquidem varietate generationis κοσμεῖ, id eſt exornat, necnõ indeſinenti vitæ operatione, perpetua neceſſitatis celeritate elemẽtorum, commiſtione, ordine genitorum. Ipſe igitur coſmus, id eſt ornatus neceſſitate ſimul & meritò nominatus eſt, animantium omniũ ſenſus & intellectio, quę ex externis influunt ab eo, quod continet inſpirata. Coſmus autem quæcũq; ab ipſa

origine suscepit à deo, perpetuò seruat. Deus profectò, nõ, vt quibusdam videtur, sensu, mẽteq; captus est. illi enim miseria pressi, perperam obloquuntur. Quæcunq; sunt, ô Æsculapi, in deo simul atq; à deo pendentia, partim per corpus agẽtia, partim mouentia per essentiã animalem, alia per spiritum viuificãtia, alia verò receptacula defunctorum. Rectius autẽ dicemus deum talia non habere, sed vt veritatẽ liquidam exprimamus, ipsum esse cũcta fatebimur. Nec ea quidem ab extimis capere, ad extima nihilhominus porrigentem, id est sensus, & intellectio dei. Vnde nulli vnquã futurum est tempus, in quo existẽtium aliquid in nihilum euanescat. Quoties verò existentia dico, dei dico thesaurum: nam existentia ipse Deus amplectitur. Extra hunc nihil est, extra nihil, ipse. Hæc tibi ô Æsculapi intelligenti, vera videbuntur: ignoranti autem, incredibilia. Intelligere enim, ipsum credere est: at non credere, proculdubio ignorare. sermo siquidem meus ad veritatem vsq; cucurrit. Mens quoque ampla, & à sermone ad certum quiddam deducta, veritatem attigit: denique comprehendens omnia, eaq; inueniens consona illis, quæ interpretabatur, euestigio credidit, & in ipsa fide decora

cora feliciter requieuit. Quæ igitur de diuinis dicuntur, intellecta creduntúr quidem, non intellecta negantur. Hęc autem de intelligentia dicta sufficiant.

COMMENTARIA.

Nonus homines erudit, qui cùm intellectione vtantur omnes, materiales tamen ex dæmonum spermatibus, quorum præsentia nulla pars mundi destituta vacat, concipiunt, & prægnantes tandem adulteria, stupra, homicidia, paricidia, & omne flagitiorum genus pariunt. atqui essentiales, spiritualésque viri omne virtutum ornamentum seminatore deo cõcipiunt, & omne bonum virtutis officium pariunt. Sunt enim dei semina pauca, at illa quidem magna, pulchra, & bona, & vitiorum innumerosæ multitudini longè præstantiora: quæ tamen qui sectantur, nec ipsi vulgo placent, neque vulgus ipsis: insanire demum putantur, risúmque reportant, quòd terra sedes improbitatis sit, & prouincia. Mundus tamen ea lege formatus est, vt à deo semina suscipiens vniuersa, diuinitatis dignum fieret organum, & omnia in miro pulchræ ordinationis decore procederent ad ortum, in quo perseuerent, suúmque tandem nanciscantur exitum. quod profectò fieret, nisi inimicus veniens, in medio

tritici superseminaret Zizania. Vos ergo seligite diuina semina spiritales facti, & malorum semina dæmonum, qui nos materiali affectione dormiētes occupare vigilant, canti nunc effugite. Hæc Nonus.

Mercurij Trismegisti Clauis ad Tatium. X.

HEsternum ô Æsculapi sermonē ascripsi tibi: vnde æquum est hodiernum Tatio dedicare, eoq; magis id operæ pretium, quo disputatio præsens, omnium ad illum à nobis antedictorum compendiaria quædam summa futura est. Deus & pater, & bonum ô Tati, naturā eādem, imo eundem actum habent. Illa siquidem augmenti, diuinationisq; appellatio est, quę circa mutabilia, & immutabilia, id est humana, & diuina versatur. quorum vnumquodque ille vult esse. alibi verò actum (quēadmodum in aliis demōstrauimus) diuinorum atq; humanorum, quæ quidē in hoc intelligere necesse est. huius actus voluntas est, huius essentia velle cuncta subsistere. Quid est Deus, & pater, & bonum, nisi ipsum esse horum omnium nōdum existentium. quinetiā existentia ipsa horūdem sunt, id Deus, id pater, id bonū, cui nihil aliud ex omnibus applicatur. Mundus enim ac sol eorum, quæ sunt secund

eundum participationẽ pater, non tamen viuentibus vitę, bonitatisq; causa. quòd si hoc ita se habeat, comprehensus agitur à voluntate boni, sine qua nec esse vnquam, nec fieri potest. Cùm filiorum pater, tum procreationis, tum etiam alimenti, per solum appetitum boni suscipiens (nam bonum actiuũ est) id alteri conuenire quàm illi nequit. quod cùm accipiat nihil, vniuersa vult esse. Non dico ô Tati vniuersa facit: faciens enim, longo quodam tempore deficiens, at indignum est. Siquidẽ interdum facit, interdum cessat, egenũ quidem & quantitatis, pariter & qualitatis, nonnunquam qualia, & quanta disponẽs, aliâs horum contraria. Deus autem & pater, & bonum, eo ipso quòd omnia est. Tale igitur ei quidem ista præcipere potest. etenim hoc vult esse, & est. Et ipsum maximè verò ipsi, nam cętera omnia propter ipsum. Proprium quippe boni, ô Tati, sese notum præbere. id bonum est ô Tati.

TAT. Visionis pater, bonæ & pulchræ nos participes reddidisti. vnde meæ mentis oculus visione quasi iam expiatus est.

TR. Neque verò quemadmodum solis radius, fulgore nimio corrũpit oculos, caligantesq; reddit, sic ipsius boni cõspectio. illustrat enim, atq; oculi lucem eo magis

exauget, quo quis capere magis potest intelligibilis splendoris influxum. Velocior est, & acutior diuina lux ad penetrãdum, innocẽtiaq́;, & immortalitate singula complens. Qui nitorem hunc à corpore vberius haurire possunt, obdormiunt sæpenumero à corpore ad aspectum pulcherrimum. quemadmodum Cœlum, & Saturnus nostri progenitores assurgunt. TAT. Vtinam & nos pater. TR. Vtinam ô fili. Adhuc tamen imbecilliores sumus ad conspiciendum. Tunc autem poterimus mentis oculos eleuare, bonumq́;, decoremq́; incomprehensibilem prospicere, cùm nihil de illo prorsus dixerimus. eius cognitio diuinum silentium est, & intenta omniũ applicatio. Qui id intelligit, nil potest aliud cogitare. Qui id intuetur, nil præter ipsum aliud intueri. Qui id audit, nil audire post ipsum, neq; corporis etiã sui mẽbra mouere. vniuersis profectò corporis sensibus, motibusq́; solutus, intrepidus agit. nam qui totum circunlustrat, vndique mentem totam quoq; irradiat, animam abstrahit totam à corpore, totam in essentiam deniq; dei transfigurat. Impossibile enim ô fili animam hominis in corporis fęce iacentem, diuinã assumere formam. Neque licet etiam dei pulchritudinem

nem contueri, nisi quis antè in deum fuerit reformatus. TAT. Quonam pacto id dicis ô pater? TR. Omnis animæ distributio ô fili. TAT. Mutationes autem quonam modo interim distribuens? TRIS. Num in iis, quæ generatim diximus, audisti, quemadmodum ab vna mũdi totius anima, vniuersæ profluunt animæ per omnem mundum tanquã distributæ circũcurrentes? Harũ vtiq; animarum mutationes permultæ: partim sanè in melius, feliciusq;, partim autem in contrarium. Nam reptilium quędã in aquatilia transmutantur, aquatiliũ animæ in terrestria migrãt: terrenorũ in volatilia scandunt, aëreorum vertũtur in homines, hominũ deinde immortales animæ in dæmones transeunt, demum in deorum chorum feliciter reuolant. Chori deorũ gemini, vagantiũ vnus, non vagantium alter, atq; hæc est suprema animæ gloria. Anima verò in corpus humanum delapsa, si quidẽ mala perseuerauerit, non gustat immortalitatis quicquã, neq; bono etiam fruitur. reuoluto autem itinere in reptilia præcipitans. Hæc vtiq; adiudicatio, pœnaq; est animæ malæ, prauitas animæ, ignorantia. Anima naturæ rerum, boniq; inscia, orbata oculis, corporis sese passionibus implicat. Anima, ca-

codæmonis, id est mali dæmonis ritu cor rupta, seipsam ignorans abiectis corporibus, mōstrisq; deformibus seruit. Corpus suū velut onus infestū circunfert, nō præsidens corpori, sed ob ignorantiā subiugata. contra verò virtus animæ cognitio est. eruditus enim re vera, bonus, pius, diuinus. TAT. Quis hic est ô pater? TR. Qui nec loquitur, nec audit multa, qui duobus sermonibus, seu dicēdis, siue audiēdis intēdit, & pugnat in tenebris. Nam deus & pater, & bonū, nec lingua pronūtiatur, neque percipitur auribus. Cùm hæc igitur ita se habeāt in omnibus, quæ sunt ex eo, quod seorsum ab illo esse nequeūt, sensus insunt. Inter cognitionē autē, ac sensum multū interest. Sensus enim superātis motus existit cognitio: sciētiæ, terminus. Sciētia dei donū. siquidem vnaquæq; scientia incorporea mente vtens, vt organo, mens autē corpore: quamobrem vtraq; in corpora, tum intelligibilia, tum etiā materialia recurrunt. Ex oppositione enim, & contrarietate cōstare omnia necesse est, neq; aliter se habere possibile est. TAT. Quis igitur materialis iste deus? TR. Mundus, pulcher quidem, non tamē bonus. etenim ex materia constat, passionibusq; subiicitur: primusq; est eorum, quæ patiūtur: secund

cundus autem eorum, quæ ſunt. Indigus
præterea ſuapte natura, factus aliquando
ſemper exiſtẽs in generatione,atq; geni-
tus,qualitatũq;, & quãtitatũ omniũ geni-
tura.Mobilis enim.Omnis autẽ materia-
lis motio,generatio dici debet.Intelligibi
lis quoq; ſtatus,hoc pacto motũ materia-
lem agitat.Quoniã mundus ſphæra eſt,id
eſt caput, nec ſuprà materiale quicquam.
quemadmodũ neq; aliud ſub pedibus in-
telligibile,at materialia cũcta.Mens verò
caput in circulũ agitatũ,id eſt,ſecundũ na
turã capitis motum.quotcũq; igitur cõti-
gua ſunt,capitis illius pelliculæ, quæ ſanè
anima eſt,immortalia nata ſunt,quaſi cor
pus ſit in anima conſtitutũ, animamq; ha
bentia plena ſunt corpore. Verũ quicquid
à pellicula procul,in qua ſunt,quæ magis
participant anima,corpus exiſtit.totũ ve-
rò animal eſt. Itaq; mundus ex materiali
quodam , & intelligibili compoſitus eſt.
Mundus animal primũ, homo ſecũdum,
poſt mundum animal , primũ autem ani-
malium reliquorum.quodcunq; verò ani-
mæ munus conceditur aliis, homo quoq;
poſſidet.neque ſolùm non bonus,ſed ma-
lus etiam , vtpote mortalis perpenditur.
Mundus enim non bonus , quia mobilis.
non tamen malus , quoniam immortalis.

Homo autē tum quia mobilis, tum etiam quia mortalis, malus esse censetur. Anima hominis in hunc vehitur medum. Mens in ratione, ratio in anima, anima in spiritu, spiritus in corpore. Spiritus per venas, arteriasq́;, sanguinemq́; diffusus, animal vndique ciet, molemq́; corporis suspensam sustinet, atque circunfert. Vnde decepti quidam humorem sanguinis animam existimarunt: hos planè latuit, quia in primis oportet spiritum ad animam vsque manare. deinde sanguinem coalescere, venasq́;, & arterias cauas extendi, demum resolui animal, eamq́; mortem corporis esse. Ex vno autem principio cuncta dependent, principium ex vno, atque solo. Et principium quidem mouetur, vt rursus extet principium. ipsum tamen vnum præstat, nec ab vnitate decedit. Tria igitur hæc sunt. Deus pater bonum, & mundus, & homo. Mundum Deus habet, mundus hominem. Mundus dei filius, homo genitura mundi. Neque enim ignorat Deus hominem, sed curam eius habet, ab eoq́; cognosci se vult. Hæc vnica salus homini, cognitio dei, hæc ad olympum ascensio. Ex hoc vno duntaxat anima bona, neque interdum quidem bona, aliâs autem mala, at secundum ne-

ceſſitatem. TAT. Quomodo id aſſeris ô mi Triſmegiſte? TRISM. Hoc inquam aſſero, animam pueri contẽplari ſeipſam, nondum ex natura ſua propter corpus egreſſam, nondum corpus omnino compactum eſt, ac ſeipſam vndique pulchram conſpicere. Nam haud corrupta eſt adhuc à corporis paſſionibus, mundi totius anima, tuncq́; dependens. Cùm verò compactum eſt corpus, animamq́; in ſui molem diſpergit, ac diſtrahit, tunc illa obliuioni ſubiicitur, pulchriq́; , ac boni viſione priuatur. Obliuio autem ipſa improbitas eſt. Idémque accidit iis , qui egrediuntur ex corpore. Recurrente enim anima in ſeipſam, ſpiritus in ſanguinem, anima in ſpiritum contrahitur. Mens à velaminibus libera & diuina exiſtens ſuapte natura igneum ſortita corpus , per loca omnia circunuagatur, animámque iudicio iuſto, ac merito ſupplicio derelinquit. TAT. Quo pacto id ais ô pater? TRISM. Mens quidem ab anima , anima verò à ſpiritu ſeparatur. Indumentum mentis anima. Indumentum animæ ſpiritus. Cointelligere oportet ô fili cum dicente auditorem , atque conſpirare, auditumq́; acutiorem voce dicentis habere. Harum ô fili veſtium conuolutio in corpore terreno

reno conficitur. si quidem nudam secundum se mentē in terra sistere mole penitus impossibile. neq; enim potis est terrea fæx mentem adeo diuinam suscipere, neq; tantum numen partibili cōfirmatum corpore sustinere. Assumpsit ergo mens animam velut amictum. Quinetiā anima diuina existēs, vehiculo spiritus vtitur. Spiritus animal totum percurrit. Itaque cùm primùm mens à terreno corpore soluitur, proprium mox subit amictum, igneum videlicet corpus, quo sanè quandiu circuntecta est, in terreum corpus turgescere nequit. Terra nanq; ignem minimè sustinet, tota siquidē ab exigua scintilla cremaretur. Qua de causa terrenæ moli circunfusus est humor, quasi quoddam ad combustionem ignis obstaculum: qui cùm acutissimus, ac velocissimus, sic omnium diuinorum conceptum, singulorum comprehendit elemētorum corpora: etenim ipse cœlorum artifex, igne potissimū ad suam fabricam vtitur. Opifex quidē totius vtitur omnibus: omnis autem faber iis, quæ sunt circa terrā: orba nanq; igni mens hominis, ad humanamq; dispositionē duntaxat idonea, diuina cōstruere nequit. Humana certè anima, non omnis quidē, sed pia, beataq;, diuina. Postquā verò huiusmodi

modi anima per mortem à carcere corporis est exempta, cùm omnis subierit virtutis, pietatisq; mãdata, certè aut mens, aut deus efficitur. Certamen autem religiosæ pietatis hoc est, recognoscere deum, iniuriam inferre nemini, anima tamen impia in natura propria remanet, ac seipsam nimium cruciat, corpus quærit, quod ingrediatur, terrenũ & humanum. Aliud quippe corpus quàm humanum, animam non capit humanam: neq; fas est in corpus animæ ratione carẽtis, animã rationalẽ corruere. Lex enim diuina generationẽ tam nefariã prohibet. TAT. Quo igitur modo cruciatur, ô pater, hominis anima, quódve suppliciũ huius animæ grauius? TRIS. Impietas, ô fili mi Tati. cuiusnã ignis ardentior flãma, quàm impietatis est? Quænam fera mordax ita corpus lacerat, vt impietas laniat animã? Nónne vides quot malis animus premitur impius? En sic fili vociferatur impius animus: Vror: absumor: quid agam nescio: deuorãt me miserum mala vndiq; confluentia: non video quicquam: heu miser, nõ audio. Tales afflicti sunt animi voces: talis naturæ congrua mulcta: non qualẽ tu fortè fili, & alij quidam arbitrantur, quibus videtur anima nostra postquam est humanam exuta figur

figuram, in corpora degenerare brutorũ. Hic enim impius error, verùm castigationis eius, modus alter. Mens vtiq;, cùm dęmon efficitur, ad obsequium dei iubetur igneum capessere corpus: inde in animam transfusa nefariam, eam flagellis verberat peccatorum: his animus verberatus iniquus, ad neces, conuicia, obiurgia, rapináſque varias sese vertit, ad ea denique, per quæ delinquunt homines, vniuersa delabitur: at cùm in sanctam mens influit animam, extollit illam ad sapientiæ lumen. Hæc anima postmodum nũquam somni torpore languescit, sed & verbis pariter & operibus humano fert opem generi, iuuátque modis omnibus, suum semper æmulata parentem. Quamobrem oportet ô fili nos agẽtes deo gratias obsecrare, vt bonæ mentis participes efficiamur: in melius quidem anima migrat, in deterius nunquam. Est etiam animarum communio quædam. deorum animæ communicant hominum animis. Deus se communem singulis exhibet. præstantior enim cunctis ille. cuncta autem illo sunt imbecilliora. mundus deo, homo mundo, homini brutum subiiciatur. Deus super omnia est, & circa omnia. Dei radij, actus existunt. mundi radij, sunt natu-

ræ:radij verò hominis artes,atq; ſcientiæ. Per mundum exercentur actus,iiq; in hominẽ per mundi radios naturales deſcendunt: naturæ per elementa: hominis per artes,atque ſcientias.Hæc vtiq; mundi totius adminiſtratio, ex vnius natura dependens, perq; vnam materiam rectè diſcurrens,qua nihil validius,nihil diuinius, nihil denique magis vnitum. Hominum ad deos, ad homines deorum cõmunio. Iſte bonus eſt dæmon:anima, quæ hoc plena eſt, beata eſt, miſera verò vacua. TAT. Quánam ratione id ais ô pater? TRISM. Scito mi fili, quia anima omnis habet ipſum bonũ pro mente. de hac enim præſens nobis eſt ſermo,non de miniſtro huius,quẽ ſuprà diximus, ex iudicio demiſſum ad inferos. Anima mentis præſentia deſtituta,nec agere quicquam, nec dicere potis eſt. Sæpe verò mens extra animam, quo quidẽ in tẽpore, nec audit, nec videt anima, ſed animali ſimilis eſt ratione carenti. Tanta eſt potẽtia mẽtis, quæ animã huiuſmodi deſerit implicitam corpori, & ab eodẽ tractã ad infera. Talis anima fili mi mentem nullam habet,ideoq; nec hominem hunc appellare fas eſt. Homo ſiquidẽ animal eſt diuinũ, nec eſt cum terrenis brutis, ſed cũ diis cœleſtibus comparand

parandus. Quinimo si audendum est verum fateri, homo verus vel cœlicolis est præstantior, vel saltem pari sorte potitur. etenim quicunque cœlitum descendit ad terram, cœli limitẽ deserit. homo autem ascendit in cœlum, illudq; metitur: nec eum fugit quę ima sunt, quæ've sublimia, ac reliqua omnia diligẽter inquirit. quódque maius est, terram quidem haud dimittens in cœlum attollitur, tam ampla est humanæ naturæ potestas. Quamobrẽ audendum est dicere, hominem quidem terrenum, deum esse mortalem: deum verò cœlestem, immortalem hominem. itaque horum virtute duorum, hominis scilicet ac mundi, gubernantur singula. vni demum cuncta subiiciuntur.

COMMENTARIA.

Decimus deum omnia absolutè esse constanter asserit, quæ singula singulatim participatione contrahunt. attamen deum patrem esse, & bonum eo ipso, quòd ipse omnia est. Mox de animæ in silentio raptu discutit. vbi quæ mentis oculis cernuntur, neque reuelare fas, neque reuelandi concessum est arbitrium. Quod autem de animalium transformatione subiungit, non verborum fictionem, sed fictionis allegoriam sequendam esse eiusdem Mercurij sequens sermo declarat, cùm inquit: Aliud

enim

enim corpus, quàm humanum, animam non capit humanam: neque fas est in corpus animæ ratione carentis, animam rationalem corruere. lux enim diuina generationem tam nefariam prohibet. Et paulo post subiungit: Talis naturæ congrua mulcta, non qualem tu forte fili, & alij quidam arbitrantur, quibus videtur anima nostra, postquam est humanam exuta figuram, in corpora degenerare brutorum. Hic enim impius error, quòd ei animam pueri causatur seipsam comtemplantem. hoc viderint qui mentem intelligentiamq́; abditam defendunt. Hæc & similia Clauis.

Mens ad Mercurium. XI.

DEsine tandiu differere ô Trismegiste Mercuri. sile iam, antedictorum reminiscere: etenim sensum tibi meũ nõ pigebit exprimere, eoq́; magis, quo multæ & variæ inter mortales de mundo, deoq́; opiniones pererrant. TRIS. Equidẽ, vt ingenuè fatear, huius rei veritatẽ nondum teneo ipse. ergo mi domine purã exprime veritatem. nam vnicum te elucidare talia posse confido. MENS. Audi me igitur ô fili. tempus, deus, & vniuersum sic se habent. Deus æternitas, tempus generatio, Deus æternitatem, æternitas mundum,

mundus tempus, tẽpus generationem effi cit. Dei quasi essentia est, bonũ, pulchrum, beatitudo, sapientia, æternitas: essentia, ipsum idem. mundi ordo, temporis transmutatio, generatio, mors, & vita. actus dei, mens, & anima. æternitas, perseueratio, atque immortalitas, mundi institutio, & restitutio temporis. augmentũ & diminutio, generationis deniq; qualitas. Aeternitas ergo in deo, in æternitate mundus, tempus in mundo, in tempore generatio. æternitas extat circa deum, mundus in æternitate mouetur. tẽpus terminatur in mũdo, generatio cõplectitur in tempore. Sors itaq; omniũ deus, essentia verò æternitas. Opus æternitatis est mundus factus quidẽ non aliquãdo, factus autem semper ab æuo. Cùm verò nunquã cesset æuum, nunquam cessabit & mundus. Cumq; sit mũdus ęternitate cõprehensus, nulla mũdi pars interit. TRIS. Dei verò sapientia quid est? MENS. Bonum, pulchrum, beatitudo. omnis virtus, & æuum. vnde immortalitatem præstat æuum, perseuerantiam materiæ tradens. Origo enim materiæ pendet ex æuo, quemadmodũ ex deo æuum. Generatio quidem, ac tempus naturæ geminæ, & in cœlo sunt & in terra. in cœlo sanè immutabilia sunt hæc

duo,

duo,atq; immortalia : in terra mutabilia, corruptioniq́; obnoxia : Aeternitatis anima deus est,anima mundi æternitas, terræ anima cœlum.Deus in mente,mens in anima,anima autẽ in materia : omnia verò ista per æuum, totum hoc corpus, in quo corpora omnia ; anima mente, deoq́; plena,intima mũdi replet, cõplectitur extima,vitã omnibus hæc suggerit, extrinsecus quidem,ingẽti huic,perfectoq́; animali mundi, intrinsecus autem cæteris, quæ insunt mundo viuentibus.Supraq́; in cœlo quod idem est, omnia sistens : infrà verò in terra, generationẽ agitans. Mundum profectò cõtinet æuum, siue per necessitatem, seu prouidentia, vel natura:& siquid aliud quis cogitat, vel etiam cogitabit vnquam, id omne deus agit. Actio dei potestas insuperabilis, cum qua nec humanam, nec diuinam vllam comparare quis audeat. Caue igitur ô Mercuri, nequid infernorum, nequid etiam supernorum dei simile censeas : nam à veritate penitus aberrares : nihil quippe simile est ei,quod dissimile, solumq́;, & vnum est. Neque cuipiam putes eandem, quæ deo, vim adesse : quid enim post illum tale, & ad immortalitatem,& ad qualitatis transmutationẽ ? quid autem præter hoc aliud

deus efficiet? neq; enim otiosus est deus: nam otiosa forent omnia: cuncta siquidẽ plena sunt deo: otium verò in nullis mũdi partibus reperitur: nomen profectò vanum est otium, tum secundum id, quod agit, tum etiam secundum id, quod agitur: vniuersa fieri necesse est ac semper fieri secundum loci cuiusq; naturam. Agens non vni præsens est tantùm, sed omnibus: nec vnum duntaxat, verùm vniuersa producit: nam efficax existens in seipsa potestas, in iis, quæ facta sunt, minimè sufficiens est: sub ipsa enim sunt opera ab illo progenita. Agè contẽplare, pro me subiectum tuo conspectui mundũ, atq; eius diligenter circunspice formam, inuiolabile corpus, quo nihil antiquius per omne quidem adultum, ac vires. Inspice præterea mundos septẽ suppositos, ornatu mirifico fabricatos, ordine sempiterno, cursu suo differẽter complentes æuum plena lumine singula, ignis verò in illis nullo modo. Amicitia enim contrariorum, dissimiliumq; cõmistio, lumen instituit illustratũ ab actu dei, bonorũ omniũ genitoris, totius ordinis principis, septemq; mundorũ ducis æterni: lunam verò cæteris præcurrentem, naturæ organum, inferiorem materiam transmutantem, terram in mundi

medio

medio sitam, pulchri mundi subsellium, nutrimentum terrenorum omnium, eandemq; nutricem. Meditare numerũ mortalium, immortaliumque viuentium, medium verò quasi confinium vtrorumque, mortalium videlicet, atq; immortaliũ, lunam ipsam circumeuntem. Anima rursus omniũ plena propriis ab ea motibus agitata, partim quidẽ circa cœlũ, partim verò circa terram: nec ea, quæ dextra sunt, ad sinistra, neq; læua ad dextra. Item nec superna ad infera, neq; infera iterum ad superna. Quòd autẽ hæc omnia genita sint ô dulcissime mi Mercuri, nequaquã nunc opus est vt me disserente perdiscas: nam corpora sunt, habentq; animã, & mouentur. hæc autem in vnũ cõgredi absq; congregantis virtute impossibile est. Oportet igitur aliquem esse talem, ac penitus vnum. Nam cùm multi, variiq; sint motus, & dissimilia corpora, vnus autem ordo velocitatis in omnibus, impossibile est duos, aut plures esse factores: neque enim ordo vnus probaretur in multis. Præterea qui inter illos imbecillior esset, potentiori nimirum inuideret. ex quo seditio quędam exoriretur. Itaq; si vnus eorum actor mutabilium animalium extitisset, cuperet quoq; immortalia gignere, quẽadmodum

genitor immortaliũ affectaret mortalia: quinetiã vna existente anima vnaq; materia ad quem illorum potissimum fabricatio pertinet? Quòd si ad vtrumq;, ad quem prouincia maior? sic autem cogita, omne corpus viuens, seu mortale siue immortale, ex materia constat & anima: omnia sanè viuentia corpora animata sunt, non viuentia verò nuda penè in omnia. Anima quoq; similiter secundũ seipsam suo propinqua parenti, vitæ causa est: vitæ autem causa est quilibet immortalium. Quonam igitur modo mortalia viuentia differunt à mortalib⁹? itemq; ab immortalibus immortalia? esse itaq; horũ omnium actoris præ cæteris est præcipuum. Nam anima vna, vita vna, vna quoq; materia. Quisnã iste, quis alter præter vnicum deum? Num alteri cuipiam quàm soli deo conuenit procreare viuentia? Vnus itaq; deus, mundum vnũ est confessus, Solem vnum, vnicam Lunã, vnam quoq; diuinitatẽ. Ipsum verò deum, vnũ quidem credimus esse. Vnus igitur, singula facit in multis. Num censes arduum quiddam, & laboriosum deo vitam animam, immortalitatem, mutationemq; efficere? Tu enim tot, tantaq; potes, vides, audis, odoras, gustas, tangis, loqueris, graderis, spiras, intelligis. Neq;

alter est in te, qui videt, quíve audit alter. Nec loquitur vnus, graditur alius, hic odorat, ille gustat, hic spirat, intelligit ille: at vnus hæc omnia præstat, neq; etiã possibile est illa sine dei natura fieri. Vt enim qui cessat ab iis, non est amplius animal, sic qui ab illorum cõstructione cessaret, minimè deus esset. id autem suspicari nefarium. Quòd si cõcessum nihil in rerum natura consistere, cui non insit naturalis quidam agendi vigor, simulq; certi operis executio, quantò magis asseuerandum est deo, non deesse potestatem omnium, & effectũ? nam quicquid otiosum, imperfectum. imperfectũ dicere deum, nefas. facit igitur omnia deus. Nunc mihi id paululum temporis, ô Mercuri, totus adesto, ipsum te mihi dedito, opus dei confestim intelliges. Hoc opus adesse necessarium erat, vt essent ea, quæ fiunt, quæ'ue fiebãt, & quæ fient in posterum. Id autem, ô suauissime mi Mercuri vita est, id verò pulchrum, id autem bonum, id deniq; deus. Sin autẽ petieris, vt hæc tibi per exempla operum ante oculos ponam, aduerte quid tibi accidat generare volenti. non tamen illius hoc simile: ille siquidem non diffunditur voluptate, nõ habet operis adiutorẽ. Suapte natura efficax, vi propria operans

uersatur, in opere semper existens ipse, quodcũque fecerit vnquam. Si à quodam influxum suum ille subtraxerit, deficiente vita in mortem corruent vniuersa. Cùm verò viuant omnia, vnaq; sit vita cunctorum, vnus est deus. Rursus si omnia viuentia sunt, & quæ in cœlo videntur, & quæ iacent in terra, vna profectò vita cunctorum manet ex deo, atq; ipsa & ipse est deus. ab vno fiunt omnia conditore. Vita verò est vnio mentis, & animæ: mors autẽ non pernicies concretorum, sed vnionis pluriũ dissolutio. Imago ergo dei æuum, æui mundus, mundi sol, solis autẽ homo. At verò mutationem quandam, populi mortem esse arbitrantur, ob eam causam, quia moles resoluitur corporis, & vita se reuocat in occultum. Equidem, ô dilecte Mercuri, mundum quidem mutari hac te doceo ratione, quia quædam illius particulæ in occultũ iugiter abeunt, nunquam tamen interire illum existimato. Hæ profectò mundi sunt passiones, reuolutio scilicet, atque occultatio. Reuolutio quidem cõuersio, occultatio autem renouatio est. Omniformis præterea mundus formas haud sanè aduentitias, peregrinasq; suscipit. Verũ ipse eas in seipso coagitat, etiam omniformis mũdi similis erit: at si vnicam

formam habuerit,in hoc erit mundo dete rior.Quid itaque dicemus ad hęc?ne obſe cro in ambiguo reſiſtamus. Quòd enim in diuinis ambiguum, nōdum cognitum: vnam igitur habet ideam:huius autē idea propria, cùm aſpectū fugiat oculorū,incorporea eſt,formasq́; per corpora ſingula exprimit. Neq; vlla te prorſus admiratio teneat, quia ſit quædam incorporalis idea:eſt enim qualis idea ſermonis, & inſcriptionibus apices : videntur enim per multū excedere:planè tamen ex natura,leuesq́; ſunt.Meditare autem quod nunc dicetur audentius, quodq́; verius etiā aſſeretur, quēadmodum homo nequit ſine vita viuere.ita nec deus viuere poteſt, niſi bona producat: Hæc enim dei vita, hic eius actus, agitare ſingula, vitamq́; omnibus inſpirare. Quædam verò eorū,quæ ſuprà diximus,certam quandam requirūt intelligentiam. Conſidera in hoc exēplo quid potiſſimū ſignificare velim. Omnia ſunt in deo, non tanquam in loco poſita, Locus enim corpus eſt immobile,atq; ea quę poſita ſunt,motu carent. Locatur quippe aliter in corpore, aliter in phantaſia. Cogita ſingula continentē, cogita nihil eſſe, quàm incorporalis natura capacius, nihil velocius,nihil validius, ipſumq́; omnium

capacissimum, velocissimum, potentissimum. Sic iterum à teipso incipiens meditare, atq; animæ tuæ pręcipito, quę citius, quàm pręcipies euolabit. Iubeto inquam, vt transeat in oceanum, illa prius quàm iusseris ibi erit, inde, vbi nunc est, nequaquam discedẽs. Iubeto iterũ, vt in cœlum volet, nullis pennis egebit, nihil eius obstabit cursui, non solis incendium, non ætheris amplitudo, nõ vertigo cœlorum, non syderum reliquorum corpora, quin penetrãs omnia, ad supernũ corpus vsque transcẽdat. Quinetiam si volueris globos omnes trãsire cœlorum, quodq́; superius est, inuestigare, id quoque tibi licebit. Aduerte quanta sit animæ tuæ potestas, quãta celeritas. Túne potes ista, deus nõ possit? Hoc igitur pacto contemplare deum, vt in seipso intelligẽtias omnes habẽtem, habentemq́: seipsum ceu mundum penitus vniuersum, nisi te deo æquaueris, deũ nunquam intelliges: nam simile semper à simili suo cognoscitur. Extende teipsum in magnitudine sine termino, emerge ex corpore, totũ supergredere tempus, æternitas esto: sic deum deniq; noueris, impossibile nihil in teipso supponens. Teipsum immortalem puta, comprehẽdere cuncta potentem, scientiam omnem, atq; omnem

pari

pariter artẽ: omni ſublimitate ſublimior eſto, omni fundo profundior, ſenſusq; factorum tuorum ſingulos in te colligito, ignis, aquæ, aridi, humidi, adeſto ſimul mundi partibus omnibus, cœlo, terræq; mariq;, per omnẽ ætatẽ, extra corpuſculi tui vtrẽ habitato, per mortem nihil interire putato. Cuncta hæc ſimul cõprehendito, loca, tẽpora, moles, qualitates, & quãtitates, ſic deum intelligere poteris. Contrà, ſi animã tuam in corpus demerſeris, ipſamq; abieceris, iisq; te verbis in cœnũ proſtraueris, neq; ſcio quicquam, neq; ſcire etiam valeo, vaſtum horreo maris fundum, in cœlum volare nequeo, non noui quid nunc ſim, nõ noui quid ſim futurus in poſterũ, quid tibi cum deo? neq; enim potes, cùm ſis malus, corporiſque fœtidi ſeruus, ipſum pulchrum, bonumq; percipere: extrema verò prauitas, non recognoſcere deum. At verò cõfidere, atq; ſperare ſe, bonum aliquando reperire poſſe, via quędam diuina eſt, ad bonum recto tramite ducens, faciliſq;, & peruia, paſſim procedenti tibi ſemper occurret, ambulanti, nauiganti, die, nocteq; loquenti, pariter atque tacenti: nihil eſt enim in rerum natura, quod non aliquam præ ſe ferat diuinitatis imaginẽ. TRIS. Nónne inuiſibilis

deus?

deus? MENS. Religiosius loquere Trismegiste: nam quis illo lucidior? Ille quippe omnia ob eam causam fabricauit, vt eũ per singula cerneres. Hæc dei bonitas, hęc eius virtus est, illũ fulgere per omnia. nihil est vel in incorporeis etiam inuisibile, mens ipsa intellectione videtur, deus autem in operatione conspicitur. Hęc hactenus enodata tibi sint Trismegiste, cætera omnia ipse per te iam perscrutaberis, neque falsa veritatis imagine decipieris.

COMMENTARIA.

Vndecimus de mente, diuino sermone plenus declarat æternitatem à deo, mundum ab æternitate, tempus à mundo, transmutationem à tempore, à transmutatione mortem, atque vitam pendere, insuperabili dei potestati nullam potentiam, nec diuinam, nec humanam, nec supernorum, nec infernorum comparabilem esse, quem vnicum esse cum rationibus, tum analogijs, grauissimè permonstrat: qui cùm otiosus esse nequit, semper omnia facit: quod de æterna verbi generatione dictum rectè concipias: ait enim quòd opus diuinum adesse necessariũ erat, vt essent ea, quæ fiunt, quæ fiebant, & quæ fient in posterum, id vita est, id pulchrum, id bonum, id denique deus, & vita cunctorum: sed quid hoc nisi quod altius

Euan

Euangelistæ tuba cecinit, cùm inquit: In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Hoc erat in principio apud deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. quod factum est, in ipso vita erat. Cunctorum ergo vita, à deo manat, atque ipsa deus est. Quò fit, vt ea vera mors, verusq́; is non sit rerum interitus, qui vulgò putatur, verùm ea, qua viuentium vita in abditum se reuocans, res deserit. Mira profectò proportione ad eum comprehendendum vtitur, qui omnem effugit proportionem, qui comprehensus incomprehensibilis manet, & qui omnibus incognitus, omnibus in rebus se præstat cognoscibilem. Vos ergo quicunque pij huc toti nunc adeste, & mentis sermonibus vestram mentem inclinate, vt eum tandem cognoscatis, qui omnia ob eam causam fabricatus est, vt eum per singula cerneretis. Hæc Mens.

Mercurij ad Tatium de communi. XII.

MEns quidem, ô Tati, ex ipsa dei essentia, si qua tamen est eius essentia, nascitur. Hæc qualiscunq; sit, sola seipsam syncera comprehendit. Mens igitur ab essentia dei nequaquam diuisa, sed illi potius eo modo connexa, quo Solis corpori lumen.

lumen. Hæc mens deus est in hominibus, atq; idcirco nonnulli ex hominum numero dij sunt, eorumq; humanitas est diuinitati quàm proxima: etenim bonus dęmon deos quidem pręducat immortales, homines autem mortales deos. In animalibus autem irrationabilibus, mens illa natura est. Nam vbicunque anima, ibi quoque mens: quemadmodum vbicũque vita, ibi etiam anima in viuentibus, absq; rationis discursu, anima est vita vacua mẽtis: mens quippe adiutrix est hominum animarum, eas in bonum proprium reuocans. In animalibus ratione carentibus, cùm natura cuiusq; operando congreditur, in animis hominũ resistit interdum, atq; repugnat. Anima siquidẽ infusa corpori, à voluptate, atque dolore continuo deprauatur, ex corporis enim commistione voluptas, & dolor, ceu riuuli quidã scaturiunt, in quos madens anima suffocatur. Quibuscunque igitur animis mens præsidet, suo illa fulgore illustrat, earum moribus, malisq; resistens: quemadmodum verò medicus eruditus ægrotãtis corpus doloribus afficit, vrendo illud, atque secando, recuperandæ valetudinis gratia: eodem modo mens voluptuosam affligit animam vt radices voluptatis euellat: ab hac enim omnis ani-

mæ morbus: morbus animę grauissimus, impietas est, opinio autem nō ad bonum prorsus vllum, sed ad malum potius allicit. At verò mens illa repugnans, sic animæ bonum procurat, vt sanitatem corporis medicus. Quotcunq; hominum animę mentem nequaquam sortitæ sunt gubernatricem, eadem, quæ & brutorũ animæ, patiuntur. Dimittit eas mens cupiditatum imperio, ad quarum expletionem ardenti quodã impetu perferuntur, rituq; ferarum immoderatè & irascuntur, & cupiunt. Quodq; deterius est nec finem imponunt libidini vllum, nec malorum inueniunt, passionumq; terminum. Hisce velut lictorem, vt vindicem deus legem proposuit. TAT. Hic, ô pater, disputatio illa de fato, quam in superioribus imperfectam reliquimus, reuiuiscit. Nam si decretum sit quosdam adulteros, quosdam fore sacrilegos, cur aliquis inde mulctatur, quando quidem cōpulsus fati necessitate deliquerit? TRIS. Omnia sunt fati opera fili: absque illo nihil est corporaliũ, non bonum sine illo quicquam potest, non malum fieri sine illo. Decretum est, eum, qui turpe quid commiserit, pati. ille ob id committit, vt patiatur inde quodcunque patitur, quando commiserit. Cæterùm de fati, ac

delicto

delictorum ſuppliciis , in aliis diximus. Præſens verò nobis eſt ſermo de mente, quid mens valeat , quàm differens in hominibus, ac brutis ſit eius inſtinctus. atq; iterum quomodo in brutis quidem non eſt mens ipſa benefica, in homnibus autẽ libidinis impetum cohibet,iracundiæ reſtinguit ardorem, ex quo ſequitur , vt inter homines,irrationales quidam, nõnulli rationales exiſtant. Cuncti verò homines fato,generationi,trãſmutationi ſubiiciuntur : initium quippe finisq́; fati duo hæc, generatio, ſcilicet , ac tranſmutatio. Et homines vniuerſi id quidem patiũtur, quod inſtituit fatũ. Verùm rationales illi, quibus diximus mentem ceu gubernatricẽ aſſiſtere, non eodem modo, quo cæteri patiuntur , imò ab improbitate alieni,exiſtentesq́; non mali, patiuntur minimè malum. TAT. Quomodo rurſus hæc ais, ô pater ? TRIS. Adulter nónne malus? homicida nónne malus ? Homo non adulter patitur,ſed quemadmodum adulter. Non homicida , ſed quemadmodum homicida. Qalitatem tranſmutationis effugere impoſſibile eſt, ſicut & generationis effectum, prauitatem verò mentẽ habenti vitare licet. Quamobrem ego mi fili bonũ ſemper dęmonem audiui dictãtem,

qui

qui si literis quæq; monimēta mandasset, mira quædā in dies humano generi emolumenta conferret. Solus ille mi fili, tanquam ipse pro me genitus Deus, vniuersa cōspiciens, diuina in nos effudit oracula. Nunc equidem audiui sic aliquando prædicantē, vnū omnia sunt, præsertim intelligibilia corpora: viuimus potentia, actu, æternitate. Mens huius bona, quemadmodum & eius anima bona: cùm id ita se habeat, nihil est intelligibilium ab intelligibili distās. Potest præterea mēs princeps omnium, atq; anima Dei, quæcunq; vult efficere: hæc ille. Tu igitur ista considera, & ad hunc, quem inferam, sermonem de fato, mente, arrectisq; auribus adsta. Si diligēter litigiosas captiunculas enitaueris, inuenies absq; dubio, quòd mens anima Dei dominatur omnibus, tum etiam legi, ac cæteris vniuersis. neq; aliquid illorum, quæ ad fatum spectant, impossibile menti. Ideoq; humanus animus fato superior, non tamen, quæ fato subiecta sunt, negligit. atque ista sunt oracula boni dæmonis optima. TAT. Verè diuinè, atque etiam commodè tractasti hæc ô pater. At illud insuper mihi declares obsecro. Mētem in brutis operari naturæ modo dixisti, cum illorum affectibus cooperātem. Affectus

autem irrationalium (vt arbitror) passiones sunt:mens ergo passio quędam est,sic enim passionibus conformatur. TRISM. Euge fili bone, quàm generosè rogas,æquum est vt tibi respondeam. Omnia,quę insunt in corporibus incorporea, patibilia sunt,imo passiões propriè sunt. Omnis motus corporeus, in corpora quoq; mouetur à mente.motus autem passio. Vtraque ergo,tum quod mouetur, tum etiam quod mouet,patiuntur: hæc quidem dominans,illud verò subiectum. Cùm verò separatur à corpore,à passionibus liberatur,imo nihil vsquam impatibile fili,cuncta enim patibilia. Sed passio,& patibile in hoc maximè differũt, quòd vnum agit, alterum patitur: corpora verò secundum seipsa etiam agunt, aut enim immobilia sunt, aut mouẽtur:vtrum verò sit horum, passio est. Incorporalia autem operantur semper, proptereaq; patibilia sunt. Neq; te appellationes moueant.operatio enim, ac passio idem,vocabulo tamẽ magis honorando vti nil obest. TAT. Perspicuam de his rationem reddidisti ô pater. TR. Illud præterea considera ô fili, quòd duo hæc soli ex omnibus animalibus homini Deus ipse largitus est, sermonem scilicet, atque mentem. quæ quidem

eiusd

eiuſdē (ac immortalitas) pręmij eſſe cēſentur. Iis quiſquis ad id, quod decet, vtitur, nihil ab immortalibus diſcrepat. Quin etiā corporis ſolutus cōpedibus, ab vtriſque ducetur in chorū beatorū ſimul, atq; deorum. TAT. Cætera præter hominem animantia, nónne ſermone vtuntur? TR. Non fili, ſed voce. permultum intereſt vocem inter, atque ſermonem: ſermo cunctis communis hominibus, vox autem propria cuiuſque hominis, propria etiam cuiuſq; generis animantium. TAT. O pater, diuerſa genera hominū, diuerſis vtuntur ſermonibus. TRISM. Diuerſis ô fili, vnus etiam ſermo, qui per interpretationem huc, atque illuc tranſlatus, vnum denique verbū exiſtere reperitur. Verbum idem apud Aegyptios, Perſasq;, & Græcos. Sed videris mi fili, verbi virtutem, & amplitudinem ignorare. Beatus Deus, dęmon bonus, animā eſſe in corpore, mentem in anima, in mente verbum pronuntiauit, Deum autem horū patrem aſſeruit. Verbum itaq;, imago, ac mens Dei eſt: eſt corpus quidem ideæ, idea vęrò anima eſt, puriſſimaq; materiæ portio aër, aëris anima, animę mens, mētis deniq; Deus. Deus verò circa omnia, ſimul atque per omnia, mens circa animā, anima circa aërem, aër

circa materiam. Necessitas autem, prouidentiaq;, & natura, organa mundi sunt, ordinisq; materiæ. Etenim intelligibiliũ vnumquodq; essentia, essentia verò illorum ipsum idem. At eorum, quæ mundo insunt, corporum, vnumquodq; est multitudo. Corpora composita ipsum idem habentia, atque inuicem mutuò transeuntia, immortalitatem ipsius eiusdem perpetuò seruant. In cæteris corporibus, quæ composita sunt, corporis cuiusq; numerus est, absque numero constitutionem, vel compositionem, vel dissolutionẽ fieri impossibile est: vnitates quippe gignunt, atque augent numerũ, rursusq; solutæ, in se numerum retrahunt. Materia quidẽ vna, totusq; hic mundus, magnus est Deus, imago maioris, vnitus illi, patris ordinẽ, voluntatẽq; seruans, vitæ totius integra plenitudo: neque est in eo quicquam per omnem æternitatẽ, restitutionemq; paternam seu ad totum, siue ad partem spectãs, quod non vita fruatur: neque est vitæ expers in mundo quicquam, nec fuit antè, nec erit. Viuẽtem enim voluit, pater eius, quãdiu est, esse mundum, vnde Deũ hunc esse necesse est. Quomodo possunt ô fili in Deo, in totius imagine, in plenitudine vitæ, esse quædam vita carentia? Priuatio vitæ

vitæ corruptio est, corruptio verò pernicies. Quonam igitur pacto, pars vlla eius, quod incorruptibile est, corrumpi, vel dei quicquam destrui potest? TAT. Nónne ô pater animalia, quæ in mũdo sunt mundi partes, intereunt? TR. Rectius loquere fili. Erras enim in nomine: non moritur in mundo quicquam, sed composita corpora dissoluuntur: dissolutio mors non est, sed mistionis resolutio quædam: soluitur autem vnio, non vt ea, quæ sunt, intereant, sed vt vetera iuuenescãt. TAT. Cùm sit quædam operatio vitæ, nónne motio quædã hæc est, atq; idcirco, quid in mundo immobile? TR. Nihil ô fili. TAT. Nunquid immobilis tibi terra videtur? TR. Minimè, sed multis motibus agitata, sola tamen hæc quodammodo stabilis. An nõ ridiculum esset ipsam nutricem omnium, concipientẽ, parturientemq; singula motu carere? impossibile enim aliquid absq; motu parere. Nec minus ridiculum illud, quàm id corpus sterile nuncupare: nihil enim aliud ipsius immobilis appellatio, quàm sterile quiddam significat. Totum hoc ô fili generatim cõsidera, quod est in mundo, aut crescẽdo, aut decrescẽdo mouetur. Quod verò mouetur, id prætereà viuit: singula tamẽ viuentia, haud eadem

esse necesse est. Simul quippe mũdus vniuersus existens, totus quidem immobilis, partes autem eius agitabiles vndiq;, nihil tamen corruptioni subiectum, sed appellationes quædam falsæ homines turbant. Neq; enim generatio, vitæ creatio est, sed latentis explicatio vitæ: neque mutatio mors, sed occultatio potius. Cùm hæc igitur ita se habeant, immortalia cũcta. Materia quidẽ vitæ spiritus est, mens animæ. Ex mẽte viuẽs omne profluit. Omne igitur viuens per mẽtem, permanet immortale. Maximè verò omniũ immortalis est homo, qui Deum capit, qui diuinæ cõformatur essentiæ. huic enim soli ex omni viuentiũ genere, deus ipse congreditur, nocte quidem per somnia, die crebrius per portenta, per quæ omnia sibi futura prænũtiat, per aues, per intestina, per spiritũ, perq; Sibyllam, propter quæ verè dicitur homo scire, Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur. Illud autẽ in primis animaduertas fili mi velim, quòd vnumquodque genus viuentium reliquorum, propriam mundi prouinciam habitat: humida quidem aquam, terrestria terram, aërẽ volatilia: homo autem in omnibus vtitur, terra, aqua, aëreq;, & igni: cœlum suspicit, sensuq; illud attingit: Deus

verò circa omnia simul, atque per omnia, actus enim est omniũ,atq; potestas. nam arduum quiddam est ô fili,Deum percipere.Hunc quoties intueri volueris,aduerte mundi ordinem, atque ordinis eius ornatum.Aduerte necessitatẽ eorum, quæ sensu percipiuntur, prouidentiamq́; cunctorum,quæ facta sint antè, & quæ quotidie fiunt. Aduerte plenam vitæ materiam,talem,ac tantũ Deum cum omnibus bonis, & pulchris diis dæmonibus,atque hominibus incedentem. TAT. At istæ ô pater operationes quædam sunt? TR. Ah fili vnde hæc, nisi ab ipso Deo proficiscũtur? num ignoras, quòd quemadmodũ mundi partes sunt cœlum,aqua, terra, & aër: eodem modo Dei membra,vita, immortalitas, necessitas,prouidentia, natura,anima, mens? Horumq́; omnium participatio ipsum bonum:neque fit aliud vsquam, nec est factum, vbi Deus ipse non adsit. TAT. In materia ergo pater. TRISM. Materia fili mi seorsum est à deo,vt locus illi proprius assignetur. Quid aliud illam existimas, quàm rudẽ, indigestamq́; congeriem hanc existere posse? ne secus credas nisi formetur. Quòd si formatur, ab aliquo certè formatur:operationes enim formandi,partes Dei esse diximus.A quo

ergo vita donantur animantia singula, à quo fiunt immortalia, quæ immortalitatis munere perfruuntur, à quo mutantur, quæ mutabilia sunt, siue materiam, seu corpus nuncupaueris, Dei actus esse memento. Actumq́; materiæ, materiæ rationem: actum corporeum, corporum rationem: actum essentiæ, essentiæ rationem: idq́; omne, neque quicquam est in omni, quod non sit ipse Deus. Itaq; nec magnitudo, neque locus, neque qualitas, nec figura, neque etiam tempus circa Deum: omne enim est. Omne autē circa omnia, atque per omnia. Hoc verbum ô fili cole, atque adora. Cultus autem Dei vnus est, non esse malum.

COMMENTARIA.

Duodecimus de inferiore mente, quæ primæ mentis imago, aut vestigium quoddam est, prosequens post primæ mentis exactam determinationem, eam singulis animabus associat, sed in irrationalibus mens natura est, in hominibus autem ratio: cuius beneficio quicunque hominum destituuntur, ritu ferarum flagranti quodam impetu ad cupiditatum expletionem rapiuntur, nec finem suæ libidini statuunt vllum, nec suorum malorum inueniunt, passionúmque termin

terminum, qui fato, diuinoq; decreto patiuntur, dantq; suæ meritas ignorãtiæ pœnas. Boni contrà, quibus mens præsidet boni, pulchriq; imago, bona suscipiunt, quæ illis constituerit fatum. Minimè ergo fatum effugies: lex siquidem diuina est fatum, mala tamen, pœnasq; prauitatis asseclas fugere potes. Mercurius oraculo plenus multa discutit, sæpius oraculum infundentem audiuit. duo diuina in hominibus munera commendat, mentem, atque sermonem. Oracula boni dæmonis, vel si mauis, cœlestis spiritus diuinitus afflantis aperit, de deo, de verbo, de mundo, de materia, nihil esse in mundo vitæ expers, nihil mortale dicendum, sed potius dissolubile, quid esse sentiendum, nihil immobile. Et soli dissolubilium homini Deum varijs modis congredi, & quo pacto ex sensibilibus ad Deum percipiendum homo assurgere possit. Hæc duodecimus.

Mercurij ad Tatium filium suum, de generatione, & impositione silentij. XIII.

TAT. In communibus pater sermonibus, per ænigmata quædam, ac sine declaratione vllius adiunctionis, de deitate tractasti, asserens ante regenerationem saluum fieri neminem. Equidem, dum ascendebas in montem, supplex tibi

tunc astiti, obsecrans, vt mihi regeneratio-
nis rationem aliquãdo reserares: id enim
solùm restabat tunc mihi discẽdum. Tunc
demum spopondisti te reuelaturum, cùm
à mundo forem alienatus. Ecce iam para-
tus sum pater, à mente mea mundi dece-
ptiones excussi. tu ergo serua promissa.
Regenerationis modum vel palàm, vel
clanculum, vt lubet, edissere. Ignoro ô
Trismegiste, qua ex materia, quoq; semi-
ne natus fuerit homo. TR. O fili contem-
platiua in silentio sapientia, semen eius
verum bonum. TAT. Quonam serente
pater? hoc enim ignoro. TR. Voluntate
Dei, mi fili. TAT. Et quanti est, qui non
est genitus: expers enim intelligibilis
essentiæ. quòd si aliter se habeat, qui gi-
gnitur, Deus erit Dei filius. TR. Omne
in omni, constans ex omnibus potestati-
bus. TAT. Ænigmata fingis ô pater, neq;
patris more cum filio loqueris. TR. Hoc
genus ô fili non eruditur. verbum quo-
ties vult, sub insinuatione quadam in Dei
memoriam reducitur. TAT. Impossibilia
infers, ac nimium violenta, quapropter
his cupio contradicere. TR. Admodum
discrepas à paterno genere Tati. TAT. Ne
inuideas mihi pater, legitimus enim sum
filius. Agè precor, regenerationis modum
me

me doce. TR. Quid dicam fili? quod dicam præter hoc nõ habeo quicquã, quòd verum cerno spectaculũ, ex Dei benignitate mihi iam oblatũ, vnde in corpus ſum immortale tranſlatus, ſumq́; non ille, qui prius fueram,ac mẽs nuper effectus. hoc myſteriũ non docetur. Vide hoc elemẽto formato, per quod videre licet,per quod neglecta eſt à me prima cõpoſita ſpecies, non quòd ſim coloratus, tactumq́; ac terminum habeam. ab iis enim in præſentia rum alienus ſum. TAT. In furorem me, inſanumq́; mentis œſtrum ô pater nimiũ concitaſti, in præſentiarũ me ipſum haud video. TRISM. Vtinam fili chariſſime tu quoq; teipſum non dormiens tranſcurriſſes,inſtar eorum, qui ſomno in ſomniis occupantur. TAT. Dic age, quis eſt regenerationis autor? TR. Dei filius homo, vnius voluntate Dei. TAT. Nunc mutũ ô pater,ac ſtupidum reddidiſti:ipſe quoque à priſtino ſtatu mentis alienatus, eandem aſpicio imarum rerum charactere magnitudinem, in eoq́; mendacium. Mortalis enim ſpecies per dies ſingulos trãſmutatur,hæc ad tempus, vtpote falſa in augmentum, detrimentumq́; vertitur, quid ergo verum Triſmegiſte? TR. Quod non perturbatum,non determinatum,nõ color

coloratum, non figuratum, nõ concisum, nudum, perspicuum, à seipso comprehensibile, intransmutabile bonum, ac penitus incorporeum. TAT. Insanio iam re vera mi pater, cumq; sapientem abs te sperassem me fieri eiuscemodi cognitione, sensus obtusi sunt. TR. Sic accidit fili. Nam sursum latum, vt ignis, & deorsum latum, vt terra, & humidum, velut aqua, necnon spirans, vt aër, quomodo ipsum sensu percipies, non durum, non molle, non densum, non penetrabile? solum potentia, atq; actu cõsiderandum. qui verò potest, oret, vt generationẽ, quæ in deo est, intelligat. TAT. Impotens ego sum pater. TR. Absit hoc ô fili. recurre in teipsum, & consequeris. velis, ac fiet. Purga sensus corporis, solue te ab irrationalibus materiæ ipsius vltoribus. TAT. Num vltores intra se sunt? TR. Non pauci ô fili, sed horribiles, ac multi. TAT. Ignoro ô pater. TR. En fili, hæc vna est vltrix, ignorantia: secunda, tristitia: tertia, inconstantia: quarta, cupiditas: quinta, iniustitia: sexta, luxuries: deceptio, septima: octaua, inuidia: fraus, nona: decima, ira: vndecima, temeritas: duodecima verò, malitia. hæ quidem sunt numero duodecim: sub his plures aliæ continentur, quæ per corporis

carc

carcerem inclusum, tristem hominem sensibus pati cogunt: absunt autẽ istæ ab eo, qui est dei fretus clementia. Atq; ita constat regenerationis modus, ac sermo. Deinceps sileto mi fili, deumq; silendo laudato, eoque pacto diuina clementia nunquam à nobis aberit. Gaude deinceps mi fili, nam potestate diuina in contemplationem es veritatis eleuatus. Descendit in nos cognitio dei, hac accedente, repulsa est ignoratio. Descendit in nos cognitio gaudij, hac præsente tristitia penitus aufugit, in eosq; se vertit, qui ad eam parati sunt capiendam. Potestatem voco ad gaudium perducentem constantiam, cuius vis procul dubio suauissima est. Complectamur igitur eam libentissime fili: ea enim, cùm primùm aderit, mollitiem omnem prorsus expellet. Quartã verò nunc continentiam voco, vim vniuersarum victricem cupiditatum. Gradus hic ô fili, iustitiæ fundamentum existit. Aduerte autem quo pacto à cunctis operibus iniustitiam expulit, iusti quidem effecti sumus, absente iniustitia fili. Sextam voco potentiam in nos descendentẽ, communitionem scilicet aduersus excessum, hac deniq; discedente, inuoco veritatem, aufugit mox deceptio, veritas adest. Vide quomodo ab-

solut

ſolutũ eſt bonum, veritate præſente. Liuor enim diſceſſit à nobis. veritatis enim innatum eſt bonum, cum vita ſimul & lumine, nec vltra iræ vindex acceſſit. Verùm vltrices omnes repentino quodam impetu reiectæ ſunt. Intellexiſti fili regenerationis ipſius modũ, denario præſente numero, intellectualis generatio compoſita eſt, quæ duodenariũ numerũ reiicit. Idq́ue ex ipſa generatione ſpeculati ſumus. Quicunq; igitur propter benignitatem generationis, que ſecundum deum eſt, ſenſum amittit corporeum, ſeipſum cognoſcit ex diuinis compoſitũ, factusq́; indecliuus, diuina potẽtia tota mente lætatur. TAT. O pater concipio non oculorum intuitu, ſed actu mentis, qui per vires intimas exercetur: in cœlo ſum, in terra, in aqua: in aëre, in animalibus ſum, in arboribus, in corpore, ante corpus atq; poſt corpus. At id præterea mihi dicas velim, quomodo vltrices tenebrarum numero duodecim, à decem poteſtatibus repellũtur. Quis modus Triſmegiſte? TRISM. Tabernaculũ iſtud ô fili, eſt ex zodiaco circulo conſtitutũ, qui ex duodenario numero conſtat illo. Numeriq́; vndecim ſunt, vnus omniformis ſecundum ideas naturæ, ad hominis peruagationem, atq; circuitum. Itaque

difiugatæ quodammodo ſunt ab inuicem vltrices illæ, in agendo tamen quodãmodo coniugatæ, vt ecce inſeparabile eſt ab ira temeritas. Merito ergo ſecundũ rectã rationem eatenus interuallum, quatenus à poteſtatibus decem, id eſt à denario numero repelluntur. Denarius ô fili, animæ genitor eſt. Vita verò, & lux, ibi vnitæ ſunt, vbi vnitatis ipſius numeri ſunt ex ſpiritu nati: itaq; vnitas ſecundũ rationem denarium cõplectitur, rurſusq; denarius vnitatem. TAT. Eia pater vniuerſum video, meq; ipſum in mẽte cõſpicio. TRIS. At hæc eſt regeneratio ô fili, non adeſſe vlterius corpori, quantitate dimenſo. Ob hanc profectò rationem, regenerationis myſterium protuli, ne ſimus calũniatores totius aduerſus multos, quos deus ipſe vult. TAT. Reſponde ad hæc ô pater, corpus iſtud ex potentia conſtitutũ, num aliquando diſſoluetur? TRIS. Caue ne id vlterius audeas. Impoſſibilia profers, ac penitus erras, mentisq; oculis ita loquendo, impietate nimia profanaris. Senſibile naturæ corpus ab eſſentiali generatione procul admodũ diſcrepat, vnum quidem diſſolubile, indiſſolubile alterum. Illud mortale, hoc immortale. An verò ignoras, quòd & deus, & vnus filius natus es?

TAT.

TAT. O quàm vellem ô pater, analogiam illam per hymnũ, quem dixisti audisse te à potestatibus, dum ipse in octonario essem. TRISM. Octonarium ô fili cecinit ipse Pimander. Vnde te decet vmbraculũ soluere: purus enim ille Pimãder, mens diuinæ potentiæ, non plura mihi, quàm scripta sint, aperuit, existimãs me reliqua scrutaturum, hortatus me est ad decora officia, ex quo omnes, quæ in me vires sunt, concinunt. TAT. O pater audire hæc, & intelligere velim. TRISM. Quiesce fili, quiesce inquam, audies iam harmonicam cantilenam, regenerationis hymnũ, quem nunquam sic facile propalarem, nisi tibi conducturum considerem. Non docetur hoc, sed occulitur in silentio. Vide me fili bone, obserua singula diligẽter. Sic enim te quoq; decet orantem sub dio, occidente sole ad austrum, oriẽte verò ad eurum faciem vertere. Vniuersa mundi natura hunc audiat hymnum: Audi terra, audite turbines imbrium, ô siluæ silete, cantaturus sum creatorem omnium, totumq; & vnum. Audite cœli, quiescite venti, circulus immortalis dei orationem istam exaudiat. Cano iam creatorem omnium, terrarum distributorem, cœlum æquilibrantem, iubentem ex oceano aquam vndique

fluere

fluere dulcem ad hominum alimentum, iubẽtem ignem fulgere supernè ad actiones hominum, atq; deorum. Agamus illi omnes vna voce gratias, trananti cœlos, naturamq́; creanti. Hic mentis est oculus, hic potentiarum benedictionem libenter excipiet. O meæ vires, laudate ipsum vnũ & omne. Consonate voluptati meæ omnes animi vires. Cognitio sancta, quæ tuo lumine fulget, per te lumen intelligibile cãtans, gaudio mentis exulto. Omnes potentiæ mecum vnà concinite. Constãtia canta mecum. Iustitia mea, per me iustum canat. Communio mea, totũ ipsum laudet, per me canat veritas veritatem. Bonum nostrum, bonum denique canat. O vita, ô lux, à vobis in nos benedictio currit. Gratias habeo tibi pater, actus omnium potestatũ. Gratias ago tibi deus, omnium potestas actuum. Verbum tuum per me te laudet, per me mundus verborum recipit sacrificium hoc, meæ vires clamãt, totum cantant, voluntatem tuam perficiunt. Tua voluntas abs te in totum, sacrificium verborum, ab omnibus excipe. O vita, totum, quod est in me, salua. O lux totum illumina, spiritus deus. Verbum tuum me regit spiritifer opifex. Tu solus es deus. Homo tuus hæc clamat, per

G ignem,

ignem,perq́; aërem, per aquam,perq́; terram,per ſpiritum,perq́; creata. Ab æternitate benedictionē inueni, qua deſyderio in voluntate tua quieſcam. TAT. Noui pater hunc hymnū abs te ex volūtatis affectu cantatum, vnde mundū attigi, in eū. TRIS. Intelligibilē dic mundū fili. TAT. Intelligibilem dico pater. Ex tua ſiquidē cantilena, illuſtrata mihi mens eſt, quo fit, vt ipſe quoque ardeam amore canendi. TRIS. O fili mi Tati, ne ſine propoſito laudes cantato diuinas. TAT. Ex mente cantabo mi pater. TRISM. Quæ ſpeculor infundo tibi, generationis progenitor Tati. TAT. Deo verborum offero ſacrificia. ô deus tu pater, tu dominus, tuq́ue mens, accipe ſacrificia verborum, quæ requiris à me, te volente perficiuntur omnia. TRISM. Offero fili hoſtiam patri deo gratam, orationiq́; tuæ intentus eſto. TAT. Gratias habeo tibi pater, quòd iſta mihi prædicare volueris. TRIS. Gaudeo fili, quòd tibi bona quamplurima ex veritate, quæ ſanè ſunt immortalia opera. id à me diſcēs, ſilentiū virtutis annuntia, nulli communicans, regenerationis myſterium, ne tanquam calumniatores quidam reputemur. Etenim vterq; noſtrum ad ſufficientiam meditatus eſt, ego

quid

quidem discens, tu verò condiscens, ex quo teipsum, patremq; nouisti.

COMMENTARIA.

Tertiusdecimus est de arcano regenerationis mysterio, antè quàm saluus fiebat nemo, cuius regenerationis autor est dei filius homo, vnius voluntate dei, mysterium, quod non docetur, sed occulitur in silentio, & in silentio à sanctis veneratur. Tu Christiane cætera legito, & si noua regeneratione in deo per dei filium es reformatus, depulsis ignorantia, tristitia, cupiditate, iniustitia, luxuria, deceptione, inuidia, fraude, ira, temeritate, malitia, horribilibus duodecim tenebrarum vltricibus: decem oppositis dei pietate assecutis potestatibus tota mente exulta, deo reformatori toto mentis vigore gratias agere memento, totus eius amore flagra, totus spiritus factus, & à spiritu regenitus, pietatis hymnum concine, & regenerationis immaculatus pietatem retine. totus in deum parentem, & regenerationis autorem eius filium conuersus, hunc ex hoc tertiodecimo fructum consecutus, vel saltem ad tam piè cogitandum mentis tuæ benignitate excitatus.

Mercurij ad Æsculapium Epilogus. XIIII.

QVoniam filius meus Tatius (te absente) naturam omnium discere voluit, cunctari verò me noluit ipse, vt pote iunior, ac nuper accedens, ad cuiusq; cognitionem, coactus sum plurima dicere, vt facilis illi foret, atque expeditus intuitus, operæpretium esse censui, vt ex multis eligens potiora, summatim nunc tibi disputationem præcedentem repetam. Licet enim tecũ, vtpote rerum naturæ perito, per mysteria quædã percurrere. Quæ sensu percipiũtur, facta sunt omnia, fiũtq; quotidie. genita non à seipsis, sed ab altero fiunt. Multa sunt genita, sensu patentia singula, differẽtiaq;, nec omnino similia, quæcunq; gignuntur procedunt ab altero. Est ergo quis factor istorum, atque is ingenitus, vt genitis antiquior sit. Genita enim diximus ab alio fluere. Nihil autem præter ingenitum, genitis esse potest antiquius. Factor quippe potentior est, & vnicus, solusq; re vera sapiens vniuersa, cùm nihil omnino ipsum præcedat. Dominatur quoq; multitudini, magnitudini, actioni, continuitati, genitorumq; omniũ differentię. Præterea genita visibilia sunt: inuisibilis ille, ob id verò facit, vt visibilis fiat, semper igitur facit. Dignum est intelligere, intelligendo mirari, admirando

se

ſe beatum vocare, patrem legitimũ recognoſcentem. Quid enim dulcius parente legitimo? Quis iſte? Quomodo eum reperiemus? an illi appellationem dei, ſoli decens eſt atribuere vel factoris, vel patris? an tria pariter cognomenta? Deum ergo cognominato propter potentiam, factorẽ propter actum, patrem deniq; propter bonum. Eſt enim poteſtas à genitis admodum differens, actus autẽ in productione cunctorum. Quamobrem ſermonis varietate, vanitateq́; dimiſſa, duo hæc in primis meditari oportet, genitorem ſcilicet, ac genitũ: horũ nihil eſt mediũ, nec quicquam præter hæc aliud. Cùm ergo omnia intelligere volueris, horũ recordare duorũ, eaq́; eſſe vniuerſa memẽto, nihilq́; tibi erit ambiguum, nec ſupernorum, nec infernorum, ſeu diuinorum, ſeu mutabiliũ, aut patentium, aut eorũ, quæ in tenebris deliteſcunt. Duo nempe cuncta ſunt genitor ac genitũ, nec ſecerni alterum ab altero poteſt: neq; enim genitorem abſq; genito eſſe poſſibile eſt, vtrũq; illorum idipſum exiſtit. Itaq; neutrum diſiũgi licet ab altero, quemadmodũ neutrum à ſeipſo diuidi: ſiquidẽ ipſum faciens, nihil præter ipſum, quod facit, eſt aliud, ſimplex enim eſt, vt ſemper eſt, ita ſemper eſt agens,

idemq; sibiipsi, & in existendo pariter, & in agendo. Nihil autem, quod genitũ, à se ipso genitũ est: non ergo seorsum factum à faciẽte: qui horum vnum subtrahit, perdit & alterum. Vnus quippe natura propria, naturam semper alteram respicit. Si itaq; duo concessa sunt, efficiens & effectum, vnita quidem sunt inuicẽ: sic tamen vt vnum præcedat, alterum verò sequatur: præcedens sanè deus efficiẽs, sequens verò id, quod est effectum. Quicquid id deniq; sit, neq; diffidat quispiam iis, quæ diximus, varietate rerũ perterritus, quasi tam diuersorum constructio vel ardua sit, vel indigna maiestate diuina. Vnica enim deo gloria, omniũ constitutio: atque id est velut corpus dei effector. Ab ipso profectò factore, nihil malum, nihilq; turpe. Hæ siquidem passiones sunt creata sequentes opera, quemadmodum æs rubigo, animata corpora limus. At neq; faber ferrarius induxit rubiginem, neq; animati corporis genitor cœnum, ac sordes: eodemq; modo, nec deus etiam malum. Generationis autẽ perseueratio, malũ surrepere cogit, eaq; de causa mutationẽ deus rebus instituit, & ceu quãdam generationis ipsius purgationẽ. Pręterea eidem pictori figurare licet cœlum, terram, mare,

deos,

deos,homines,bruta,arbores, ac vita carentia: deo verò,vni, talium deerit agendorum facultas? O dementem, ô cæcum, & totius diuinæ cognitionis expertem! Nihil est magis, ô Æsculapi, ridiculum, quàm quod huic accidit:nã dum se deum venerari fatetur, ex eo, quod creandi negotio,curaq; liberet, deum ipsum prorsus ignorat, quodq; deterius est, mortalium illi passiones ascribit, inuidiã, superbiam, ignorantiam, imbecillitatem. Nisi enim faciat omnia. aut superbus est, aut potius imbecillis,quorum vtumq; nefariũ. Deus enim vnicam,propriamq; naturam habet, idq; bonum est. Bonus autem, nec superbus est,nec impotẽs. Ipsum verò bonum, deus est.Bonum quippe,ipsa vis omnium agendorum. Quodcunq; genitum, à deo genitum, id est à bono, & ab eo,quod omnia potest. Vide quomodo ille quidem facit, quomodo etiam illa fiunt. quod si comprehendere velis, licet magnam rationem, perpulchram, atque simillimam intueri.Aspice precor agricultorem,semina in terræ gremiũ diffundentem, hîc triticum,ordeum alibi,alibi verò reliqui generis semina,aspice eundẽ vites,malosq;, & ficus repastinantem, atq; amputantem. Eodemq; modo deus ipse in cœlum qui-

dem ſerit immortalitatem, in terram verò mutationem, in totum deniq; mũdum vitam, atq, motum. Hęc autem haud multa ſunt, ſed pauca, certoq́; numero determinata. Cuncta enim quatuor ſunt, ac deus & generatio, quibus omnia comprehenduntur.

COMMENTARIA.

Quartuſdecimus hæc aſſerit, quæ ſenſu percipiuntur, facta eſſe omnia, atque continuè fieri: nam quemadmodum ab alio fluunt, qui omnibus omnipotens rebus dominatur, ita quoque ea continuè ſuſtinet, ne ſua natura ſui prona caſus ruant in nihilum, cuius ſola cognitio felicem facit, atque beatum, qui deus, omnium factor, atque pater eſt, & ſolus ipſe genitor, & cætera omnia genita, interq́; genitorem, & genitum nullum intercipi poteſt medium: & hæc duo, vniuerſa ſunt: ſunt enim duo omnia, genitor, atque genitum Præterea hoc aſſerit, malum à deo non pendere (vt neque à ferrario fabro, ferri rubigo) ſed creata ſequi opera. Et ex humana nos arte ad diuinam artem concipiendam eleuat, & deum ipſum in cælo immortalitatem ſerere, in terra mutationem, in toto verò mundo vitam, atque motum. Hæc Epilogus. Hæc pauca per modum argumentorum ſubiecimus, quam

quamuis ingenuè fateamur ſingulum quenque dialogorum maiorem declarationis operam deſiderare, & longè præſtantius, quàm noſtra modiculæ vires ſuggerāt ingenium. Prodeat tamen Mercurius hic de diuina poteſtate nūc in lucem ad dei honorem, & ad illuſtrationē legentium, ex ijs præſertim, qui ex gentilibus prodierunt omnibus ſeculis inſigni ſermonum pietate conſpicuus, cui deinceps librum eiuſdem de voluntate diuina ſubiungamus.

MERCVRII TRISMEGISTI ASCLEPIVS, LVCIO APVleio *Madaurenſi Philoſopho Platonico interprete.*

*

CAPVT I.

ASclepius iſte, pro ſole mihi eſt deus: deus te nobis, ô Aſclepi, vt diuino ſermoni intereſſes, adduxit, eiq; tali, qui meritò omnium antea à nobis factorum, vel nobis diuino numine inſpiratorum, videatur eſſe religioſa pietate diuinior: quem ſi intelligens videris, eris omnium bonorum, tota mente

plenissimus, si tamen multa sint bona, & non vnum, in quo sunt omnia: alterum enim alteri9 cōsentaneū esse dignoscitur, omnia vnius esse, aut vnū esse omnia, ita enim vnum alteri connexum, vt separari alterum ab altero non possit. Sed de futuro sermone, hoc diligēti intētione cognosces. tu verò, ô Asclepi, procede paulū, atq; nobis, qui intersit, euoca. Quo ingresso, Asclepius etiā Amnonē interesse suggessit. Trismegistus ait, nulla inuidia Amnonē prohibet à nobis: etenim ad eius nomē multa meminimus à nobis esse scripta, sicuti etiā ad amātissimum, & charissimū filiū, multa de physica, exoticaq; quāplurima. Tractatū hunc autē tuo ascribam nomini. præter Amnonem verò nullum voca alterum, ne tātę rei religiosissimus sermo, multorū interuētu venientium, præsentiaq; violetur, tractatū autem tota numinis maiestate plenissimum, irreligiosæ mentis est multorum conscientiæ publicare. Amnone etiam adytum ingresso, sanctoq; illo quatuor virorum religione, & diuina dei completo præsentia, competenti venerabiliter silentio ex ore Hermû animis singulorū, mentibusq; pendentibus, diuinus Cupido sic exorsus est dicere.

TRIS. O Asclepi, omnis humana immortalis

lis est anima, sed non vniformiter cunctę, sed aliæ alio more, vel tempore. ASCLE. Non enim, ô Trismegiste, omnis vnius qualitatis est anima. TRIS. O Asclepi, vt celeriter de vera rationis continentia didicisti! Non enim hoc dixi, omnia vnum esse, & vnum omnia, vt quæ in creatore fuerũt omnia, antè quàm creasset omnia, nec immerito ipse dictus est omnia, cuius membra sunt omnia. Huius itaq;, qui est vnus omnia, vel ipse creator omnium, in hac tota disputatione, curato meminisse, de cœlo cuncta descendunt in terram, & in aquam, & in aëra. Ignis solùm, quod sursum versus fertur, viuificũ, quod deorsum, ei deseruiens. at verò quicquid de alto descendit, generans est: quod sursum versus emanat, nutriens: terra sola in se ipsam consistens, omnium est receptrix, omniumq; generum, quæ accipit, restitutrix. Hoc ergo toto (sicut meministi) quod est omnium vel omnia, anima, & mundus à natura comprehensa agitantur. ita omnium multiformi imaginum æqualitate variata, vt infinitæ qualitatum ex interuallo species esse noscantur, adunatæ tamen ad hoc, vt totum vnum, & ex vno omnia esse videantur. totus itaq; quibus formatus est mundus, elementa sunt quatuor,

quatuor, ignis, aqua, terra, aër, mundus vnus, anima vna, deus vnus. Nunc mihi adesto totus quantum mente vales, quantum calles astutia: diuinitatis etenim ratio, diuina sensus intẽtione noscenda, torrẽti simillima est fluuio, è summo in pronum, pręcipiti rapacitate currenti: quo efficitur, vt intentionem nostram non solum audiẽtium, verum etiam tractantium ipsorum, celeri velocitate prætereat.

COMMENTARIA.

Caput primum edocet, omnia vnius esse, & omnia vnum: vnius, vt à quo omnia: vnum, vt omnia effecta in causa sunt vnum, animam humanam omnem immortalem esse, sed id diuersa esse sorte: de cælo omnia descendere: quod descendit, generationem præstare: quod ascendit, sursumq́; tendit, solum præstare vitam, idipsum vnum, cuius sunt omnia, & quod est omnia mundum, & mundi formas omnes mouere, ex quibus coaluit mundus, ignem, aërem, aquam, & terram esse: & sicut omnia corpora, vnius mundi corpus vnum efficiunt, ita quoque vult omnes rerum formas vnam omniformem vnius mundi efficere formam, quam mundi vocat animam, quare mundus omnicorpor, atque omniformis: & hæc sunt corpus vnum, anima vna, mundus

vnu,

vnus, deus vnus, à quo diuina ratio, diuinumq; verbum, torrenti fluuio è summo in pronum præcipiti rapacitate currenti simillimum, omnia permeat, illabitur omnia, influitq; in omnia: & hæc diuina ratio, diuinumq; verbum, quidnam aliud obsecro quàm diuina sapientia, omnium artifex? quæ (vt sapiens canit) omnibus mobilibus mobilior est, & quæ cùm sit vna, omnia potest, & in se permanens omnia nouat. Hæc prima particula.

CAPVT II.

CŒlum ergo sensibilis deus, administrator est omnium corporum, quorum augmenta, detrimentaq; Sol, & Luna sortiti sunt: cœli verò, & ipsius animæ, & omnium, quæ in mundo sunt, ipse gubernator est, qui est omnium effector, deus. A supradictis enim omnibus, quorum gubernator est omnium frequens per mundum fertur influxio, & per animam omnium generum, & specierum omnium, perq; rerum naturam. Mundus autẽ præparatus est à deo, receptaculum omniformium specierum: naturam autem per species effigians, mundum per quatuor elementa ad cœlum vsq; adduxit. Cuncta dei visibus placitura, omnia autẽ desuper pendẽtia, in species diuidũtur, hoc quo dictu-

rus

rus ſum modo: Genera rerum omnium ſuas ſpecies ſequuntur, vt ſit ita totalitas, genus: ſpecies generis particula: genus ergo deorum, dæmonumq; genus: æquè & hominum: ſimiliter & volucrum, & omnium, quæ in ſe mūdus habet, ſibi ſimiles ſpecies generat: genus eſt & aliud animalis, genus ſine ſenſibus quidem, attamen non carens anima. vnde beneficiis gaudet, & aduerſis minuitur, atq; vitiatur, omnium dico, quæ in terra radicum, ſtirpiumq; incolumitate viuiſcunt, quarum ſpecies per totā terram ſparſæ ſunt. Ipſum cœlum plenum eſt deo: ſupradicta autem genera inhabitant vſq; ad loca ſpecierum, earum rerum, quarū omnes immortales ſunt ſpecies. Species enim generis eſt pars vt homo humanitatis, quam neceſſe eſt ſequi qualitatem ſui generis, vnde efficitur: vt quamuis omnia genera ſint immortalia, ſpecies tamen non omnes immortales ſunt. Diuinitatis enim genus, & ipſum & ſpecies immortales ſunt: reliquorum verò genera, quorum æternitas eſt, generis, quamuis per ſpecies occidat, naſcendi tamen fœcunditate ſeruatur. Ideoq; ſpecies mortales ſunt, vt homo mortalis, immortalis humanitas: omnibus tamen generibus, omnium generum ſpecies miſcentur:

tur: quædam, quæ antè factæ sunt: quædam, quæ de his factæ sunt: hæc autem, quæ fiunt, aut à diis, aut à dęmonibus, aut ab hominibus, omnes simillimæ generibus suis species. Corpora enim impossibile est conformari sine nutu diuino, species figurari sine adiutorio dæmonum, animalia institui, & coli, sine hominibus non possunt. Quicunq; igitur dęmonum à genere suo defluentes, in speciem fortuito cõiuncti sunt alicuius speciei generis diuini, proximitate, & consortio diis similes habentur. quorũ verò dæmonum species qualitate sui generis perseuerant, hi amantes hominum rationem, dæmones nuncupantur, similis est & hominum species aut eo amplior: multiformis enim variaq; humani generis species, & ipsa à prędicto desuper aduenieris consortio: omnium aliarum specierum multas, & propè omnium per necessitatem cõiunctiones facit, propter quod & prope deos accedit, qui se mente, qua diis iunctus est, diuina religione diis iunxerit, dæmonibus accedit, qui iis iunctus est. humani verò, qui mediocritate sui generis cõtenti sunt: & reliquæ hominum species, iis similes erunt, quorum se generis speciebus adiunxerint.

COM

COMMENTARIA.

Caput secundum. Pro præsentium iuuanda intelligentia, & quorundam sequentium latere haud quaquam debet, Mercurium longè alio significatu vti vocabulo animalis, ac nos vti consueuimus, item & animæ vocabulo: nam animam ex secundo Pimandri dialogo, motu definit: animal autem ex sequenti capite, anima definit, & corpore. quare quicquid vim motricem habet, sua quidem locutionis obseruatione, animam habet: quicquid autem animam, & corpus, animal est. animal igitur cælum, mundus, plantæ, & elementa. Verùm nostra consuetudo est, id solum vocare animal, quod sit corpus animatum, sensu præditum: & animam non solum motu definimus, sed vita, sensu, vltroneo motu, aut intellectu. Cùm itaque animal audimus, non nostro, sed suo more intelligamus. at nunc ad dialogum. Contendit cælum, cælestéque corpus ad cætera sensibilia, vt homo ad cætera animalia: homo autem cæteris animalibus, vt animalis deus, cælum verò cæteris sensibilibus, vt sensibilis deus. At deum omnium rectorem, gubernatorem omnium esse, quæ sunt in mundo nihil aliud esse crediderim, quàm deum omnibus prouidere, & omnia dispensare, per

genera,

genera per species, quorum omnium mundus est receptaculum, & vnicuique deus, vt apto instrumento, munus aliquod impartit, vt Sol, & Luna, ad rerum ortus & obitus, ad rerum augmenta, & detrimenta sunt diuinitatis organa, & homines per angelos, bruta verò per homines dispensat. At verò quod de dæmonibus dicit, species sine eorum adiutorio non figurari, & quosdam hæsisse generi diuino, & proximitate, & consortio dijs similes habitos, quosdam verò in qualitate sui generis perseuerasse hominum rationem amantes: scimus ex sacris literis, angelos, qui non seruauerunt suum principatum, reliquisse suum domicilium, & in iudicium magni dei vinculis æternis sub caligine reseruatos: qui, etsi simulent se hominum amatores, minimè tamen amant, sed ad præcipitia pertrahunt, quod à principio fecerunt: amare enim simulantes, cùm mortem hominibus intulerunt, dicebant nequaquam moriemini, sed eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Quæ igitur de dæmonibus hîc dicit, non satis accommodè videntur posse ad piam trahi intelligentiam, sed errorem gentium sequi: verùm de hominibus, qui hærent deo, diuinos euadere: qui autem dæmonibus, in sortes recipi dæmonum, dæmonibusque iungi, qui in iudicium (vt dictum est) magni dei vinculis æternis sunt reseruati, ingenuè fatemur.

temur. Nam ex Dei ore pronuntiatum esse cognoscimus, dicturum in iudicio ijs, qui in sinistra parte erunt, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius, sed quinam illi erunt, nisi qui dæmonibus in hoc mundo adhæserunt? Hæc pro secunda partitione.

CAPVT III.

PRopter hoc ô Asclepi magnum miraculum est homo, animal adorandum, & honorandum: hoc enim in naturam dei transit, quasi ipse sit Deus: hoc dæmonum genus nouit, vtpote qui cum eisdem ortum se esse cognoscat, hoc humanæ naturæ partem in seipso despicit, alterius partis diuinitate confisus. O hominum quanto est natura temperata felicius, ac diis cognata! diuinitate coniunctius, partem sui, qua terrenus est, intra se despicit, cætera omnia, quibus se necessarium esse cœlesti dispositione cognoscit, nexu secum charitatis astringit, sicque suscipit cœlum. sic ergo feliciore loco medietatis est positus, vt quæ infrà se sunt diligat, ipse à superioribus diligatur: colit terram, elementis velocitate miscetur,

tur, acumine mentis in maris profunda descendit: omnia illi lucent, non cœlum videtur altissimum.quasi enim è proximo sagacitate animi intuetur. intentionem animi eius nulla aëris caligo confundit: non densitas terræ operam eius impedit: non aquæ altitudo profunda despectum eius obtundit.omnia idem est, & vbique idem est horum omnium generum, quæ sunt animalia, desuper deorsum radices peruenientes habent: inanimalium verò de imo,in superna vna radice syluescunt,quędam duplicibus aluntur elemẽtis,quædam autem simplicibus.alimenta autẽ sunt bina,animæ,& corporis, è quibus animalia constant:anima mundi inquieta semper agitatione nutritur. corporea ex aqua & terra inferioris mundi alimentis augescunt. Spiritus, quo plena sunt omnia, permistus cunctis,cuncta viuificat, sensu addito ad hominis intelligentiã,quæ quinta pars sola homini concessa est ex æthere: sed de animalibus cunctis,humanos tantùm sensus ad diuinæ rationis intelligẽtiam exornat, erigit, atq; sustollit.Sed quoniam de sensu commoneor dicere, paulo post & huius rationem vobis exponã. est enim sanctissima, & magna, & non minor quàm ea,quæ est

diuinitatis ipſius. ſed nunc vobis expediam, quæ cœperam. dicebam enim in ipſo initio rerum de coniunctione deorum, qua homines ſoli (eorum dignatione) perfruuntur. Quicunque etenim hominum tantum felicitatis adepti ſunt, vt illum intelligentiæ diuinum perciperent ſenſum, qui ſenſus eſt diuinior in ſolo deo, & in humana intelligentia. ASCL. Non enim omnium hominum ô Triſmegiſte vniformis eſt ſenſus. TRIS. Non omnes ô Aſclepi intelligentiam veram adepti ſunt, ſed imaginem temerario impetu, nulla vera ratione inſpecta, ſequentes, decipiuntur, quæ in mentibus malitiam parit, & transformat optimum animal in naturam ferè, moresq́; belluarum. de ſenſu autem, & de omnibus ſimilibus, quando & de ſpiritu, tunc totam vobis præſtabo rationem. Solum enim animal homo duplex eſt, & eius vna pars ſimplex eſt, quæ, vt Græci aiunt, οὐσιώδης, aut quam vocamus diuinæ ſimilitudinis formam: eſt autem quadruplex quod κοσμικὸν Græci, nos mundanum dicimus, ex quo factum eſt corpus, quo circuntegitur illud, quod in homine diuinum eſſe iam diximus. in quo mentis diuinitas recta ſola, cùm cognatis ſuis, id eſt mentis puræ ſenſibus,

ſibus, ſecum ipſa conquieſcat, tanquam muro corporis ſepta.

COMMENTARIA.

Tertium caput effert hominis dignitatem, in qua ſummopere recognoſcendus tantorum beneficiorum actor, ingentiq; amore, & perennibus gratiarum actionibus ſemper proſequēdus: qui tantis, tamq; excellentibus donis hominem inſigniuit. nam, vt vult, effectus eſt homo, vt in diuinam naturam tranſeat angelorum, dæmonumq; genus cognoſcens, cum angelis naſcitur, quos habet ab ipſo natiuitatis exordio præſides, & cuſtodes: naturam ſortitus immortalibus cognatam, deiq; inſignitam charactere, compoſitus ex mortali, & immortali, terrena, & ſupramundana particula: qui verò diuinitatis dotes non ignorat, terrenam deſpicit, immortali autem; & ſupramundana parte confidit, ad cælum ſuſpirat, vt qui illic meliore ſui parte, omnia ſentiat affinia: attamen in mundi medio poſitus, cætera, quibus ſe diuina ordinatione neceſſarium eſſe cognoſcit, ſecum nexu charitatis aſtringit, vt quæ infra ſe ſunt diligens, à ſuperioribus diligatur. colit terram, elementis velocitate miſcetur, acumine mentis, in profunda deſcendit, omnia illi lucent, cælum non videtur altiſſimum, quippe qui quaſi è

proximo, sagacitate animi, ipsum intuetur: intentionem animi eius aëris caligo non confundit. nō densitas terræ operam eius impedit: non altitudo aquæ profunda despectum eius obtundit: & ex animalibus cunctis, Deus humanos tantùm sensus, ad diuinæ rationis intelligentiam exornat, erigit, atque sustollit, intelligentia autem vel sola, hominis pars, ætheria, immortalis, & supramundanorum naturam sortita: attamen hominum quidam diuinum sensum adepti sunt, & fœlices quidem, qui pia mentis intentione in deum iugiter feruntur: quidam verò mundanam, & sensualem, vmbratilem quandam veræ, diuinæq; intelligentiæ imaginem: quam qui sequuntur, errant. nam hæc diuinæ intelligentiæ obumbratio in eorum mentibus, qui illam sequuntur, malitiam parit, & transformat hominem, natura quidem optimum, & diuinum animal, in naturam ferè, moréasque bestiarum. Hæc tertiæ particulæ summa.

CAPVT IIII.

ASCL. Quid ergo oportuit, ô Trismegiste, hominem in mundo cõstitui, & non ea parte, qua Deus est, eum in summa beatitudine degere? TR. Rectè quæris ô Asclepi, & nos enim deum rogamus,

gamus, vt tribuat nobis facultatem reddendæ rationis istius. cùm enim omnia voluntate eius dependeant, tum illa vel maximè, quæ de tota summitate tractantur, quam rationem præsenti disputatione conquirimus: audi ergo Asclepi, dominus & omniũ cõformator, quem rectè deum dicimus, cùm à se secundum fecerit, qui videri, & sentiri possit, eundem secundum sensibilem ita dixerim, non ideo, quòd ipse sentiat (de hoc enim, an ipse sentiat an non, alio dicemus tẽpore) sed eo quòd videntium sensus incurrit: quoniam ergo hunc fecit ex se primum, & à se secũdum, visusq; est ei pulcher, vtpote qui sit omniũ bonitate plenissimus, amauit eum, vt diuinitatis suæ partem. ergo quòd tantus, & tam bonus esset, voluit alium, qui illum, quem ex se fecerat, intueri potuisset, simulq; & rationis imitatorem, & diligentiæ, fecit hominem: voluntas etenim dei, ipsa summa est perfectio: vtpote cùm voluisse, & perfecisse vno, eodemq; temporis puncto compleat. Cùm itaque οὐσιώδη animaduerteret Deus, nõ posse omnium rerum esse diligentem, nisi eam mundano integumẽto contegeret, texit eam corporea domo: talesq; omnes esse præcepit ex vtraque natura, in vnum confundens,

miſcensq́;, quantum ſatis eſſe debuiſſet. Itaq; hominem conformauit ex animi, & corporis,id eſt ex æterna,& mortali natura, vt animal ita conformatum vtrique origini ſuæ ſatisfacere poſſit, & mirari, atque orare cœleſtia,& æterna,& incolere,atque gubernare terrena:modò autem dico mortalia,non aquam,& terram,quæ duo de quatuor elementis ſubiecit natura hominibus,ſed ea, quæ ab hominibus, aut in his,aut de his fiunt, vt ipſius terræ cultus,paſcua, ædificatio,portus,nauigationes, communicationes; commodationes alternæ, qui eſt humanitatis inter ſe firmiſſimus nexus:& pars eſt mundi,quæ eſt aqua, & terra:quæ pars terrena mundi,artium, diſciplinarumq́; cognitione, atque vſu ſeruatur, ſine quibus mundum Deus noluit eſſe perfectum:placita enim Dei neceſſitas ſequitur, voluntatem comitatur effectus. Neque enim credibile eſt deo diſpliciturum eſſe, quod placuit:cùm & futurum id, & placiturum multò antè ſciuerit.

COMMENTARIA.

Quartum cap. diſcutit, cur Deus hominem non in intelligibilium regione, ſed in mundo conſt

constituerit, & aperta est discussio. Et etiam cur ex vtraque natura, mortali, & immortali, hominem temperauerit, & visionem diuinæ similitudinis formam, quamq; ad suam similitudinem, & imaginem creauit mentem, mundano, corporeoq; contexerit integumento. & voluntatem Dei, summam esse rerum perfectionem, quam necessitas sequitur, necessitatem autem comitatur effectus. nam Deus, voluisse, & perfecisse, vno, eodemq; temporis puncto complet: quod mundum secundum Deum, & hîc & cap. sexto appellat, perinde est, ac si duitatem secundam appellas vnitatem. nam duitas vna, vnusq; binarius. sed monas absolutè vna, binarius autem non absolutè vnus, sed participatione, contractioneq; vnus, & secundus vnus. ita deus vnus, absolutè Deus: mundus autem non deus, sed participatione Deus, & sensibilium rerum pulcherrimum. Dei vestigium. Hæc pro quarta Asclepij particula.

CAPVT V.

SEd ô Asclepi, animaduerto, vt celeri mētis cupiditate festines audire, quomodo homo cœli, vel eorum, quæ in eo sunt, delectum possit habere vel cultum. audi itaque ô Asclepi, delectus dei cœli, cum iis, quæ insunt omnibus, vna est obsequiorum frequentatio, hanc aliud ani-

mal non confecit, nec diuinorum, nec animalium, nisi solus homo: hominum enim admirationibus, adorationibus, laudibus, obsequiis, cœlum, cœlestesq; delectãtur, nec immerito in hominum cœtum, musarum chorus est à summa diuinitate demissus, scilicet, ne terrenus mundus videretur incultior, si modulorum dulcedine caruisset, sed potius, vt modulatis hominum cantilenis, cõcelebraretur laudibus, qui solus omnia vt pater est omnium, atque ita cœlestibus laudibus, nec in terris harmoniæ suauitas defuisset: aliqui enim, ipsiq; paucissimi, pura mente præditi, sortiti sunt cœli suspiciendi venerabiliorem curam. Quicunq; autem ex duplici naturæ suæ confusione, interiorem intelligentiam mole corporis resciderunt, curandis elementis, hisq; inferioribus sunt præpositi: animal ergo homo non quidem eo est minor, quòd ex parte mortalis sit, sed ex eo fortè aptius, efficaciusq; compositus ad certã rationem mortalitate auctus esse videatur, scilicet quoniam vtrunq; nisi ex vtraque natura sustinere non potuisset, ex vtraq; formatus est, vt & terrenum, & diuinum posset habere delectum: rationem verò tractatus istius ô Asclepi, non solùm sagaci intẽtione, verũ etiam cupio te animi

mi viuacitate percipere: est enim ratio plurimis incredibilis, integra autem, & vera percipienda sanctioribus mentibus, itaque hinc exordiar.

COMMENTARIA.

Quintum cap. instruit, musicã suauitatem, ad concinendas dei, cælestiúmque laudes, hominibus indultam, quod & prophetas diuino spiritu plenos præcipere cognoscimus, cùm iubilare, cùm psallere deo, cùm laudare dominum in tympano, in choro, in chordis, in organo præcipiunt: hic enim musarum, totiusq; musicæ optimus finis. Litera de se conspicua.

CAPVT VI.

AEternitatis dominus, deus primus est, secundus est mundus, homo est tertius. effector mundi, deus, & eorũ, quæ insunt omniũ, simul cuncta gubernando, cum ipso homine gubernatore composita: quod est totum suscipiens homo, id est curam propriè effecit diligentiæ suæ, vt sit ipse, & mundus, vterq; ornamento sibi, vt ex hac hominis diuina compositione, mundus Græcè rectius κόσμος dictus videatur. Is nouit se, nouit & mundum: scilicet vt meminerit quid partibus conueniat suis, quibus sibi vtẽdum, quibus sibi inser

inseruiendum sit,recognoscat,laudes,gratesq́; maximas agens deo,eius imaginem venerans,non ignarus se etiam secundam esse imaginem dei : cuius sunt imagines duæ, mundus scilicet,& homo. vnde efficitur,vt, quoniam est ipsius vna cõpago, parte, qua ex anima, & sensu, & spiritu, atq; ratione,diuinus est, velut ex elementis superioribus ascendere posse videatur in cœlum.parte verò mundana,quæ constat ex igne,& aqua, & aëre, mortalis restet in terra, vt naturæ suæ omnia mũdana vidua,desertaq́; dimittat : sic enim humanitas ex parte diuina,& ex parte mortalis est effecta in corpore consistens : est autem mensura eius vtriusq;, id est hominis:ante omnes religio,quam sequitur bonitas:ea demũ tunc videtur esse perfecta, si etiam cupiditatum,omnium alienarum rerum sit despectus, virtute munita.sunt enim ab omnib' diuinæ cogitationis partibus aliena omnia, quæcũq; terrena corporali cupiditate possidentur:quæ meritò possessionum nomine nuncupantur,quoniam non nata sunt nobiscum, sed postea à nobis possideri receperunt. omnia ergo huiusmodi ab homine aliena sunt, etiam corpus,vt & ea, quæ appetimus, & illud,ex quo appetentiæ nobis est vitium,

desp

despiciamus: vt enim animũ rationis ducit intentio, homo hactenus esse debuit, vt contemplatione diuinitatis, partẽ, quæ sibi iuncta mortalis est, mundi interioris necessitate seruandi, despiciat, atque contemnat: nam vt homo ex vtraq; parte possit esse plenissimus, quaternis eũ vtriusq; partis elemẽtis animaduerte esse formatum, manibus & pedibus vtrisque binis, alliisq; corporis mẽbris, quibus inferiori, id est terreno mundo deseruiat. illis verò partibus quatuor, sensus, animi, memorię, atq; prouidentiæ, quarũ ratione, cũcta diuina norit, atq; suspiciat. vnde efficitur, vt rerũ diuersitates, qualitates, effectus, quãtitates, suspiciosa indagine homo sectetur. Retardatus verò graui, & nimio corporis vitio, has naturæ rerum causas, quæ veræ sunt, propriè peruidere non possit, hunc ergo sic effectum, conformatumq;, & tali ministerio, obsequioq; præposito à summo deo, eumq; competenter, mũdè mundum seruãdo, deum piè colendo, dignè & competenter in vtroq; dei voluntati parentem, talem quo munere credis esse munerãdum (siquidem cùm dei opera sit mundus, eiusq; pulchritudinẽ, quæ diligentia seruat, atque auget, operamq; suam cum dei voluntate coniungit, cùm spec

ſpeciem, quam ille intentione diuina formauit, adminiculo ſui corporis, diurno opere, curaq́; cõponit) niſi eo, quo parentes noſtri munerati ſunt? quo etiam nos quoque munerari, ſi fuerit diuinæ pietati complacitum, optamus piiſsimis votis, vt emeritos, atq; exutos mundana cuſtodia, nexibus mortalibus abſolutos, naturæ ſuperioris partis, id eſt diuinæ, puros, ſanctosq́; reſtituat. ASCLE. Iuſtè, & verè dicis ô Triſmegiſte: hæc enim merces, piè ſub deo, diligẽter cũ mundo viuẽtibus. ſecus enim, impieq́; qui vixerint, & reditus denegatur in cœlũ, & cõſtituitur in corpora alia, indigna ſancto animo, & fœda migratio: vt iſte rationis ſermo proceſsit ô Triſmegiſte, futuræ æternitatis ſpe animæ, in mũdana vita periclitantur. ſed aliis incredibile, aliis fabuloſum, aliis forſitan videatur eſſe deridendũ. Res enim dulcis eſt, in hac corporali vita, qui capitur de poſſeſsionibus fructus. quare animam ob torto (vt aiunt) detinet collo, vt in parte ſui, quæ mortalis eſt, inhæreat, nec ſinit partẽ diuinitatis agnoſcere, inuidens immortalitati malignitas: ego enim tibi quaſi prædiuinãs dixero, nullũ poſt nos habiturum delectum ſimplicẽ, qui eſt philoſophiæ, quæ ſola eſt in cognoſcenda diuinitate

tate frequens obtutus, & ſancta religio: multi etenim eam multifaria ratione confundunt. Quomodo ergo multi incomprehenſibilem philoſophiam afficiũt, aut quemadmodũ multifaria ratione confundunt? TRIS. O Aſclepi, hoc modo in varias diſciplinas, nec cõprehenſibiles, eam callida cõmentatione miſcẽtes, Arithmeticam, Muſicã, Geometriam. Puram autẽ philoſophiam, eamq; tantùm diuina religione pendentẽ, tantum intendere in reliquas oportebit, vt apocataſtaſes aſtrorũ, ſtationes præfinitas, curſumq; commutationis, numeris cõſtare miretur. Terræ verò dimẽſiones, qualitates, quãtitates, maris profunda, ignis vim, & horum omniũ effectus, naturã cognoſcens, miretur, adoret, atq; collaudet artẽ, mentemq; diuinã. Muſicen verò noſſe, nihil aliud eſt, niſi cũctarum rerum ordinem ſcire, quæq; ſit diuina ratio ſortita. Ordo enim rerũ ſingularũ, in vnum omniũ artifici ratione collatus, concentũ quendã melo diuino dulciſonum, veriſsimumq; conficiet. ASCLE. Quid ergo homines poſt nos erũt? TRIS. Sophiſtarũ calliditate decepti, à vera, pura, ſanctaq; philoſophia auertentur. ſimplici enim mente, & anima, diuinitatẽ colere, eiusq; facta venerari, agere etiã dei volun

voluntati gratias, quæ est bonitatis sola plenissima, hæc est nulla animi importuna curiositate, violata philosophia. & de his sit hucusque tractatum.

COMMENTARIA.

Sextum cap. differit, deum absolutè primum esse deum: mundum, secundum, non absolutè sed participatione deum. vt qui sit prima absoluti dei imago: hominem, tertium, diuinitatis participatione deum, & secundam dei imaginem. deus autem non imago, sed imaginum omnium veritas. hominem, anima, sensu, spiritu, ratione, tanquam superioribus elementis, posse in cœlum ascendere. qua verò igne, aëre, aqua, terra coalitus est, mortis obnoxium, terræ mundana omnia diuina illa parte viduata relinquere. Mensuram, ad cuius modum viuere debet homo, religionem esse, quam sequitur bonitas, & quæ perfecta tandem esse videtur, cum cupiditates omnium alienarum rerum virtute munita despicit, possessiones, corpus, & ea omnia, quæ appetimus, & ipsum denique appetitionis sensum. homo enim hactenus esse, diciq; debet, vt sua fert sententia, quatenus rationis intentio animum ducit: adeoq; vt diuinitatis contemplatione, eam partem, quæ mortalis est, sibi quidem mundi inferioris necessitate seruandi, adiuncta

cta contemnat, atque despiciat. de posteris Aegyptijs diuinat Asclepius, nullum post eos futurum, qui puram, & de cognoscendo deo adipiscatur philosophiam. Mox Hermes redit, ad quid terræ dimensiones, id est geometriam, qualitates, quantitates, maris profunda, & ignis vim, horumq; omnium naturam, id est vniuersam de numeris, cælestibus globis, rebusq; naturalibus philosophiam, discere hominem oporteat, sane vt admiretur, adoret, collaudet artem, mentemq; diuinam, horum omnium artificem. hanc enim puram esse philosophiam, atque tantum diuina religione pendentem, hanc musicam, hunc concentum, nosse cunctarum rerum ordinem, quem quæque res, diuina ratione sortita est, atq; in vitium ad omnium artificem rationem collatum, concentum quendam diuino melo dulcissimum, verissimumq; efficere, & philosophiam nullam animi importuna curiositate vitiatam, simplici mente, & anima, diuinitatem colere, eiusq; facta venerari, agere etiam dei voluntati gratias, quæ est bonitatis sola plenissima. Confirmatq; Asclepij vaticinium. Hæc sexta partitio.

CAPVT VII.

DE spiritu verò, & de his similibus, hinc sumatur exordium. fuit deus, & hyle,

hyle, quam græcè credimus mundum, & mundo comitabatur ſpiritus,ſed nõ ſimiliter vt deo. nec deus ſunt hæc, de quibus mundus eſt.iccirco non erant,quãdo nata non erant.ſed in eo iam tunc erant, vnde naſci habuerũt.Non enim ea ſola nõ nata dicuntur, quæ necdum nata ſunt, ſed ea, quæ carent fœcunditate generandi, ita vt ex eis nihil naſci poſſit. Quæcunq; ergo ſunt,quibus ineſt natura generãdi, hæc & generabilia ſunt,quę de his naſci poſſunt, tametſi ea ex ſe nata ſunt:neq; enim dubitatur ex iis, quæ ex ſe nata ſunt, facilè naſci poſſe ea,de quibus cuncta naſcũtur. Deus ergo ſempiternus,deus ęternus,nec naſci poteſt,nec potuit:hic eſt,hic fuit,hic erit ſemper: hæc ergo eſt, quæ ex ſe tota eſt,natura dei.Hyle autem,vel mundi natura, & ſpiritus, quamuis nata videantur à principio,tamen in ſe naſcẽdi,procreandiq; vim poſſident, atq; naturam fœcunditatis:etenim initium in qualitate naturæ eſt, quæ & conceptus, & partus in ſe poſſidet vim,atque naturam. Hæc itaque ſine alieno concepto eſt, ſola generabilis: at verò ea, quæ vim ſolã concipiendi habent,ex alterius commiſtione naturæ, ita diſcernenda ſunt, vt hic locus mundi cum iis, quæ in ſe ſunt, videatur eſſe non natus,

tus,

tus, qui vtiq; in se vim totius naturæ habet:locum autẽ dico, in quo sunt omnia: neque enim hæc omnia esse potuissent, si locus deesset, qui omnia sustinere potuisset. Omnibus enim rebus,quæ fuerunt, prçcauendũ est loco:nec qualitates enim, nec quantitates,nec positiones, nec effectus dignosci potuissent, earũ rerum quæ nusquã sunt:sic ergo & mundus quamuis natus non sit, in se tamen omniũ naturam habet, vtpote qui omnibus iis ad concipiendũ sinus præstat fœcundissimos: hoc ergo est totum qualitatis,materiæq;,quæ creabilis est, tametsi creata non est. sicut enim natura materia qualitatis fœcunda est, sic & malignitatis eadẽ est, æque fœcunda. Nec ego dixi ô Asclepi,& Amnon (quod à multis dicitur)num poterat deus incidere,atq; auertere à rerum natura malitiam? quibus respondendum nihil omnino est.Vestri tamen causa & id prosequar, quod cœperam,& rationẽ reddam:dicunt enim ipsi,deum debuisse omnifariã mundum à malitia liberasse:ita enim in mũdo est,vt quasi membrũ ipsius videatur esse: prouisum cautumq; est (quantum rationabiliter potuisset) à summo deo, tunc cùm sensu,disciplina, intelligentia, mentes hominum est munerare dignatus. his

enim rebus, quib' ceteris anteſtamus animalibus, ſoli poſſumus, malitiæ fraudes, dolos, vitiaque vitare. ea enim qui antè quàm iis implicitus eſt, ex aſpectu vitarit, is homo eſt diuina intelligentia, prudentiaq; munitus: fundamentum enim eſt diſciplinæ, in ſumma bonitate conſiſtens: ſpiritu autem miniſtrantur omnia, & vegetantur in mūdo, & quaſi organum, vel machina ſummi dei voluntati ſubiectus eſt. Itaque hactenus intelligatur à nobis mente ſola intelligibilis ſummus, qui dicitur deus, rector, gubernatorq; ſenſibilis dei eius, qui in ſe complectitur omnē locum, omnem rerum ſubſtantiam, totamq; gignentium, creantiumque materiam, & omne quicquid eſt, quantūcunq; eſt. ſpiritu verò agitantur, ſiue gubernantur omnes in mundo ſpecies, vna quæq; ſecundum naturam ſuam à deo diſtributam ſibi. Hyle autem vel mundus omnium eſt receptaculum, omniumque agitatio, atque frequentatio, quorum deus gubernator, diſpenſans omnibus rebus mundanis, quantum vnicuique neceſſarium eſt, ſpiritu verò implet omnia, vt cuiuſque naturæ qualitas eſt. Eſt enim caua mundi rotunditas in modum ſphæræ, ipſa ſibi qualitatis, vel formæ ſuæ cauſa, inuiſibilis

tota:

tota:quippe cùm quencunq; in ea ſummũ ſubter deſpiciendi cauſa delegeris locum, ex eo in imo quid ſit videre non poſſis: propter quod multis locis inſtar, qualitatemque habere creditur, per formas enim ſolas ſpecierũ, quarum imaginibus videtur inſculpta, quaſi viſibilis creditur: cùm depicta mõſtratur, re autẽ vera eſt ſibiipſi inuiſibilis ſemper: ex quo eius imum vel pars (ſi locus eſt) in ſphæra græce ᾅδης dicitur. ſiquidem ἰδεῖν græcè videre dicitur, quo viſu imũ ſphæræ careat, vnde & ἰδέαι dicuntur ſpecies, quòd ſint inuiſibilis formæ: ab eo itaq; quòd viſu priuãtur, Græcè ᾅδης, ab eo, quod in imo ſphæræ ſunt, Latinè inferi nuncupantur. Hæc ergo ſunt principia, & antiquiora, & quaſi initia, vel capita omnium, quæ ſunt, in his, aut per hæc, aut de his. ASCL. Omnia ergo ipſa, vt dicis, quæ ſunt ô Triſmegiſte mũdana (vt ita dixerim) ſpecierum omniũ quæ in ſunt, in vniuſcuiuſq; ſicuti eſt, tota ſubſtãtia. TRIS. Mundus itaq; nutrit corpora, ſpiritus animas. ſenſus autem (quo dono cœleſti ſola felix ſit humanitas) aut mentem: neque enim omnes, ſed pauci, quorum ita mens eſt, vt tanti beneficij capax eſſe poſſit, vt enim ſole mundus, ita mens humana iſto clareſcit lu-

mine,& eo amplius. Nam ſol quicquid illuminat,aliquando terræ & lunæ interiectu,interueniente nocte,eius priuatur lumine:ſenſus autem cùm ſemel fuerit animæ commiſtus humanæ, fit vna ex bene coaleſcente cõmiſtione natura,ita vt nunquam eiuſmodi mentes caliginum impediantur erroribus. vnde iuſte ſenſus,deorum animas eſſe dixerunt: ego verò nec eorum dico omnium,ſed magnorum quorunque,& principalium.

COMMENTARIA.

Caput ſeptimum continet de geneſi mundi, de Hyle, mundiq́; materia, de ſpiritu comitante, & de loco, velatam philoſophiam. Omnia mundana in mundo eſſe: mundum in deo: continens, locum appellat: proinde, locum mundi natum eſſe non vult: mundum autem natum eſſe, & non natum: natum quidem, ſi creaturarum opificium reſpicis: at non natum, ſi opificij reſpicis veritatem. Hyle enim & ſpiritus, mundus ſcilicet, & vis quædam diuina per omnia means, atq; diffuſa, in mundi opificio non erant quando nata non erant, ſed in eo (inquit) iam tunc erant, vnde naſci debuerunt: ſed in quonam erant, niſi in diuino illo verbo, per quod omnia facta ſunt? & in quo, & quod factum

factum est, vita erat, & vnde tandem factum prodijt quicquid est factum. Hylen fœcundam esse æque qualitatis, quæ rationem boni habet, & æquè fœcundam malitiæ, quòd boni, maliq; æquè sit capax, ceu terra eadem, salutarium, & noxiarum herbarum fœcunda est, idq; habet terra, tanquam proprietatis suæ membrum, sic & Hyle. Attamen deum in hominibus prouidisse (quantum rationabiliter oportuit) sensu, licet disciplinam, intelligentiam, aduersus huiusmodi materialem proprietatem, ne malitia nostram hylen occuparet, ceu noxia quædam herba desertam, neglectam, incultamq; terram. Insuper de spiritu in omnia diffuso, de inferis, de sensu, qui est superiorum mentium in humanas mentes illapsio, ceu radiorum lucis in oculos, paucula quædam disceptat. hæc septima particula.

CAPVT VIII.

ASCLE. Quos dicis rerum capita vel initia primordiorum, ô Trismegiste? TRISM. Magna tibi pando & diuina nudo mysteria. cuius rei initium facio, exoptato fauore cœlesti. Deorum genera multa sunt, eorumq; omnium pars intelligibilis, alia verò sensibilis pars. intelligibiles dicuntur, non ideo quòd puten-

tur non ſubiacere ſenſibus noſtris(magis enim ſentimus eos,quàm eos,quos viſibiles nuncupamus) ſicuti diſputatio perdocebit, & tu ſi intendas, poteris peruidere. ſublimis enim ratio, eoq; diuinior vltrà hominum mentes, intentionesq; conſiſtens, ſi non attentiore aurium obſequio, verba loquẽtium acceperis, tranſuolabit, & transfluet, aut magis refluet, ſuiq; fontis liquoribus miſcebit ſe. Sunt ergo omnium ſpecierum principes dij, hos ſequuntur dij, quorum eſt princeps ὀσία. hi ſenſibiles vtriuſque originis ſuæ conſimiles, qui per ſenſibilem naturam cõficiunt omnia. altera per alterũ vnuſquiſq; opus ſuum illuminans. cœli vel quicquid eſt, quod eo nomine comprehenditur, ὀσιάρχης eſt Iupiter: per cœlum enim, Iupiter omnibus præbet vitam.ſolis ὀσιάρχης eſt lumen. Bonum enim luminis, per orbem ſolis nobis infunditur. XXXVI. (quorũ vocabulum eſt Horoſcopij) in eodem loco ſemper defixorum ſyderum, horum ὀσιάρχης vel princeps eſt,quem Pãtomorphon,vel Omniformem vocant,qui diuerſis ſpeciebus,diuerſas formas facit.ſeptem ſphæræ, quæ vocantur erraticæ, habent ὀσιάρχας, id eſt ſuos principes, quam fortunam dicũt,& εἱμαρμένην, quibus immutantur

tantur

tantur omnia, lege naturę ſtabilitate firmiſſima, & ſempiterna agitatione variata. aër verò organum eſt, vel machina omnium, per quam omnia fiunt. eſt autem vſiarches huius ſecūdus. mortalibus mortalia, & his ſimilia. His ergo ita ſe habentibus ab imo ad ſummum ſe mouētibus, ſic ſibi connexa ſunt omnia pertinentia ad ſe naturaliter, vt mortalibus mortalia, ſenſibiliaq; ſenſibilibus annexa ſint: ſumma verò gubernationis, ſummo illi domino paret, vt non multa, at potius vnum: ex vno etenim cuncta pendentia, ex eo potius defluentia, cum diſtantia videntur, creduntur eſſe plurima diuiſim. adunata verò, vnum vel potius duo, vnde fiunt omnia, & à quo fiunt, id eſt de materia, de qua fiunt, & ex eius voluntate, cuius nutu efficiuntur alia. ASC. Hæc iterum ratio, quæ eſt, ô Triſmegiſte? TRIS. Talis, ô Aſclepi. Deus etenim vel pater, vel dominus omnium, vel quocunq; alio nomine ab hominibus ſanctius, & religioſius nuncupetur, quod inter nos, intellectus noſtri cauſa, debet eſſe ſacratum, tāti eius numinis contemplatione, nullo ex iis nominibus eum definitè nuncupauimus. ſi enim vox hæc eſt ex aëre ſpiritu percuſſo ſonus, declarans omnem hominis volun-

tatem, vel sensum, quem fortè ex sensibus mẽte perceperit, cuius nominis tota substantia paucis composita syllabis, definita atq; circunscripta est, vt esset in homine necessarium vocis, auriumq; cõmercium, simul & sensus, & spiritus, & aëris, & omnium in his, & per hæc, an cum his nomen est totum dei? non enim spero totius maiestatis effectorem, omniumq; rerum patrem vel dominum, vno posse quamuis è multis composito nomine nuncupari. hunc verò vno nomine, vel potius omni nomine (si quidẽ is sit vnus, & omnia sit) necesse aut omnia esse eius nomen, aut ipsum omnium nominibus nũcupari. hic ergo solus, vt omnia, vtriusque sexus fœcunditate plenissimus, semper voluntate sua prægnans, parit quicquid voluerit procreare. Voluntas eius est bonitas omnis. hæc eadem bonitas omnium rerum est. ex diuinitate eius, natura nata, vt sint omnia, sicut sunt, & fuerunt, & futuris omnibus dehinc natura ex se nascendi sufficiat. hæc ergo ratio, ô Asclepi, tibi sit reddita, quare, & quomodo fiant omnia vtriusque sexus. ASCL. Ergo deum dicis ô Trismegiste. TRISM. Non solũ deum ô Asclepi, sed animalia omnia, & inanimalia. impossibile enim est aliquid eorũ,

quæ

quæ ſunt, infœcundum eſſe. fœcunditate enim dempta ex omnibus, quæ ſunt, impoſſibile erit ſemper eſſe, quæ ſunt. Ego enim & naturam, & ſenſum, & mundum dico in ſe continere hanc naturam, & nata omnia in ſe conſeruare. procreatione enim vterq; plenus eſt ſexus, & eius vtriuſq; cōnexio, aut (quod eſt verius) vnitas incomprehenſibilis eſt, quam ſiue Cupidinem, ſiue Venerem, ſiue vtrunque poteris rectè nuncupare. hoc ergo omni vero verius, manifeſtiusq́, mente percepto, quod ex omni illo loco totius naturæ deo, hoc ſit cunctis in æternum procreandi inuentum, tributumq́; miniſterium, cui ſumma charitas, lætitia, hilaritas, & cupiditas, amorq́; diuinus, innatus eſt. & dicendum foret quanta ſit eius miniſterij vis, atque neceſsitas, niſi ex ſui contemplatione vnicuique ex intimo ſenſu nota eſſe potuiſſet. ſi enim illud extremum temporis, quo ex cerebro ad ritū peruenimus, vt vtraque in vtranq; fundat natura progeniem, animaduertis, vt altera alterius auidè rapiat ſemen, interiusq́; recōdat. deniq; eo tempore ex commiſtione communi, virtutem marium etiam fœminæ adipiſcuntur, & mares fœmineo corpore lateſcūt. Effectus itaq; huius tā blādi, neceſſarijq; miniſterij

in

in occulto perpetratur,ne vulgò irridentibus imperitis, vtriusque naturæ diuinitas ex commistione sexus cogatur erubescere.multò magis etiam,si visibus irreligiosorum hominum subiiciatur. sunt autem non multi, aut admodum pauci, ita vt numerari etiam in mundo possint, religiosi.vnde contingit in multis remanere malitiam,defectu prudentiæ,scientięq́; rerum omnium, quæ sunt. ex intellectu enim religionis diuinæ, qua constituta sunt omnia,contemptus, medelaq́; nascitur vitiorum totius mundi. perseuerante autem imperitia,atq; inscitia, vitia omnia conualescũt,vulnerantq́; animam insanabilibus vitiis,quæ infecta iisdem, atq; vitiata, quasi venenis intumescit, nisi eorũ, quorum animarum disciplina, & intellectus, summa curatio est. si ergo solis, & paucis hoc proderit, dignũ est hunc prosequi,atq; expedire tractatum,quare scilicet solis hominibus intelligentiam,& disciplinam suam,diuinitas sit impartiri dignata. audi itaq; deus pater, & dominus, cùm post deos,& homines efficeret ex parte corruptiore mundi, & ex diuina, pari lance cõponderans, contigit vitia mundi corporibus commista remanere, & alia propter cibos, victumq́; quem necessariò habemus

habemus cum omnibus animalibus communem. quibus de rebus necesse est cupiditatum desideria, & reliqua mentis vitia, animis humanis incidere. diis verò vtpote ex parte mundissima naturę effectis, & nullis indigentibus rationis, disciplinæq; adminiculis, quãuis immortalitas, & vnius semper ætatis vigor ipse sit eis prudentia, & disciplina, tamen propter rationis vnitatem, pro disciplina & intellectu ne ab his essent alieni, ordinem necessitatis lege conscriptum, æterna lege constituit. hominem ex animalibus cunctis de sola ratione, disciplinaq; agnoscens, per quæ vitia corporum, homines auertere, atque abalienare potuissent, ipsos ad intentionem, spemq; immortalitatis prætendit. denique & bonum hominem, qui posset immortalis esse, ex vtraq; natura composuit diuina, atque mortali, & sic compositum per voluntatem dei hominem, etiam constitutum est esse meliorem diis, qui sunt ex sola immortali natura formati, & omnibus mortalibus. propter quod homo diis cognatione coniunctus, ipsos religione, & sancta mente veneratur. diiq; etiam pio affectu, humana omnia respiciunt, atque custodiunt: sed de hominibus paucis istud dictum est, pia mente præditis

ditis. de vitiosis verò nihil dicendum est, ne sanctissimus sermo, eorum contemplatione violetur.

COMMENTARIA.

Caput octauum hæc complectitur de vsiarchis, substantialibusq́; principibus, quos deos appellat: cæli vsiarcham appellat Iouem. vsiarcham solis, lumen. triginta sex ponit horoscopios, id est horarum speculatores, syderum semper in eodem loco defixorum: horum autem principem Pantomorphon, id est omniformem. septem sphærarum erraticarum principes, ponit fortunam & fatum. ponit & aëris vsiarcham. sed hæc dæmonum figmenta esse videntur, & vana quædam inuolucra ad gentilitios errores pertrahentia, & quæ in his diutius immorantes vanescere cogunt potius, quàm perficiunt. Hinc ad summi dei redit contemplationem, ineffabilis, & innominabilis, aut qui omnium nominatur nominibus, fœcunditate plenissimi, à quo omnia id habent, vt nihil esse possit infœcundum. hinc amor ille procreandi, & ingens naturæ studium, nihil prorsus fœdum, nihil dedecorum in se habens, dum religiosè cogitetur, & de eo talis habeatur sermo, tracteturq́; non minus religiosè. est

enim

enim id indultum, ad diuinæ fæcunditatis æmulationem. verùm quia maxima pars hominum mysteria ignorat, diuinas leges profanat, & belluarum more, insanè, irreuerenter, & quasi furibundi, & amentes illa tractant. idcirco de talibus nunc vix aut cogitari, aut loqui præ verecundia quicquam audendum, quod inordinata illa, & hominum illa erga venerabundam dei ordinationem irreuerentiæ, sese sensibus, cogitatibusq; ingerunt, non autem illa pulchra, sancta, incontaminataq; dei ordinatio: & quia paucis concessum est, puros habere sensus, censeo paucis de talibus cogitandum esse, atque loquendum. Mox subiungit, deum solis hominibus intelligentiam, disciplinamq; esse impartitum, quo vitia, particula eius immortalis, & diuina deuitare posset. quæ alioqui admistione corporeæ molis incurreret facile. nam ratione corporis, & dissolubilis particulæ, necesse est hominum animis, cupiditatum desideria, & reliqua mentis vitia incidere. Hæc octaua particula.

CAPVT IX.

ET quoniam de cognatione, & consortio hominum, deorúmque, sermo nobis inducitur, potestatem hominis, ô

Asclepi,

Asclepi, vimq; cognosce. dominus & pater, vel (quod est summum) deus, vt effector est deorum cœlestium, ita homo effector est deorum, qui in templis sunt, humana proximitate contenti, & non solùm illuminantur, verùm etiam illuminant, nec solùm ad eum proficit, verumetiam cõfirmat deos. Miraris, ô Asclepi, an nunquid diffidis, vt multi? ASCLE. Confundor, ô Trismegiste, sed tuis verbis libenter assensus, felicissimum hominem iudico, qui sit tantam felicitatem consecutus. TRISM. Nec immeritò miraculo dignus est, qui maximus est omnium deorum. Genus enim omnium sine cõfusione manifestum est, de mundissima parte naturæ propagatum. signaq; eorum, sola pro omnib⁹ esse quasi capita: species verò deorum, quas conformat humanitas, ex natura vtraque conformata est. ex diuina, quæ est prior, multoq; diuinior, & ex ea, quæ intra homines est, id est ex materia, qua fuerunt fabricatæ, & non solùm capitibus solis, sed membris omnibus, totóque corpore configurantur. Ita humanitas, memor naturæ, & originis suæ, in illa diuinitatis imitatione perseuerat. vt sicuti pater, ac dominus, vt sibi similes essent, deos fecit æternos, ita humanitas deos

suos

ſuos ex ſui vultus ſimilitudine figuraret. ASCL. Statuas dicis ô Triſmegiſte? TR. Statuas, ô Aſclepi, vidéſne, quatenus tu ipſe diffidas? ſtatuas animatas, ſenſu, & ſpiritu plenas, tanta, & talia facientes, ſtatuas futurorum præſcias, easq́; fortè vates omnes ſomniis, multisq́; aliis rebus prædicẽtes, imbecillitates hominibus facientes, easq́; curãtes, triſtitiamq́; pro meritis. An ignoras ô Aſclepi, quòd Ægyptus imago ſit cœli, aut quod eſt verius, tranſlatio, & deſcenſio omnium, quæ gubernantur, atq; exercentur in cœlo? &, ſi dicendum eſt verius, terra noſtra totius mundi eſt tẽplum: & tamen quoniam præſcire cuncta prudentes decet, iſtud vos ignorare fas non eſt. futurum tempus eſt, cùm appareat Ægyptios incaſſum pia mente diuinitatem ſedula religione ſeruaſſe, & omnis eorũ ſancta veneratio in irritum caſura fruſtrabitur. è terris enim ad cœlum eſt recurſura diuinitas. linquetur Ægyptus, terraq́;, quæ fuit diuinitatis ſedes, religione viduata, numinũ præſentia deſtituetur. alienigenis enim regionẽ iſtã, terramq́; cõplentibus, non ſolùm neglectus religionũ, ſed (quod eſt durius) quaſi de legibus, à religione, pietate, cultuq́; diuino ſtatuetur. proſcripta pœna, prohibi-

tio erit. tunc terra iſta, ſanctiſſima ſedes delubrorum, atq; templorũ, ſepulcrorum erit, mortuorumq́; pleniſsima. O Ægypte, Ægypte, religionum tuarum ſolæ ſupererunt fabulæ, & æquè incredibiles poſteris ſuis, ſolaq́; ſupererunt verba lapidibus inciſa, tua pia facta narrãtibus. & inhabitabit Ægyptum Scythes aut Indus, aut aliquis talis, id eſt vicinia barbara. diuinitas enim repetet cœlum, deſerti homines toti morientur, atque ita Ægyptus deo, & homine viduata deſeretur. Te verò appello ſanctiſsimum flumen, tibiq́; futura prędico. torrenti ſanguine plenus, ad ripas vſque erumpes. vndæq́; diuinæ non ſolùm proluẽtur ſanguine, ſed totæ rumpentur, & viuis multò maior erit numerus ſepultorum. ſuperſtes verò qui fuerit, lingua ſola cognoſcetur Ægyptius, actibus verò videbitur alienus. Quid fles ô Aſclepi? & his amplius, multoq́; deterius, ipſa Ægyptus ſuadebitur, imbueturq́; maioribus malis, quæ ſancta quondam, & diuinitatis amantiſsima deorum in terra, religionis ſuæ merito, ſola ſeductio ſanctitatis, & pietatis magiſtra, erit maximæ crudelitatis exemplum, & tunc tædio hominum, non admirandus videbitur mundus, neq; adorandus: hoc totum bonum,

quo

quo melius nec eſt, nec fuit, nec erit, quod videri poſsit, periclitabitur, eritq; graue hominibus, ac per hoc contemnetur, nec diligetur totus hic mundus dei opus immutabile, glorioſa conſtructio, bonũ multiformi imaginum varietate compoſitum, machina voluntatis dei, in ſuo opere ſine inuidia ſuffragantis in vnum omnia, quæ venerari, laudari, amari deniq; à videntibus poſſunt, multiformis adunata congeſtio. Nam & tenebræ præponentur lumini, & mors vita vtilior iudicabitur. nemo ſuſpiciet cœlum. religioſus pro inſano, irreligioſus putabitur prudens, furioſus fortis, pro bono habebitur peſsimus. anima enim & omnia circum eam, quibus aut mortalis nata eſt, aut immortalitatem ſe conſecuturam eſſe præſumit, ſecundum quod vobis expoſui, non ſolùm riſus, ſed etiam putabitur vanitas. ſed mihi credite, etiam periculum capitale conſtituetur in eum, qui ſe mentis religioni dederit. noua conſtituentur iura, lex noua. nihil ſanctum, nihil religioſum, nec cœlo, nec cœleſtibus dignum audietur, aut mente credetur. fit deorum ab hominibus dolenda ſeceſsio, ſoli nocentes angeli remanent, qui humanitati commiſti, ad omnia audaciæ mala miſeros (manu iniecta) com-

pellent in bella, in rapinas, in fraudes, & in omnia, quæ ſunt animarũ naturæ contraria. tunc nec terra conſtabit, nec nauigabitur mare, nec cœlum aſtrorum curſibus, nec ſyderum curſus conſtabit in cœlo. omnis vox diuina, neceſſaria taciturnitate muteſcet. fructus terræ corrumpentur, nec fœcunda erit tellus: & aër ipſe, mœſto torpore langueſcet. hæc, & talis ſenectus veniet, mundi irreligio, & inordinatio, & irrationabilitas bonorum omnium. cùm hæc cuncta contigerint ô Aſclepi, tunc ille dominus, & pater Deus primipotens, & vnius gubernator mundi, intuens in mores, factaq; voluntaria, voluntate ſua, quæ eſt dei benignitas, vitiis reſiſtens, & corruptelæ omnium errorem reuocans malignitatem omnem vel alluuione diluens, vel igne conſumens, vel morbis peſtilentibus vbique per diuerſa loca diſperſis, finiens, ad antiquam faciem mundũ reuocabit, vt & mundus ipſe adorandus videatur, atque mirandus. & tanti operis effector, & reſtitutor Deus, ab omnibus, qui tunc erunt, frequentibus laudum præconiis, benedictionibusq; celebretur. hæc enim mũdi genitura, cunctarum reformatio rerum bonarum, & naturæ ipſius ſanctiſſima, & religioſiſsima reſtitutio

ſtitutio peracto temporis curſu, quæ eſt & fuit ſine initio ſempiterna. voluntas etenim dei caret initio, quę eadẽ eſt, & vbiq; eſt ſempiterna. ASCL. Dei enim natura conſilium eſt voluntatis, bonitas ſumma, conſilium ô Triſmegiſte. TR. O Aſclepi, voluntas cõſilio naſcitur, & ipſum velle eſt ex voluntate. neque enim impensè aliquid vult, qui eſt omnium pleniſsimus: & ea, quæ vult, habet. vult autem omnia bona, & habet omnia, quæ vult. omnia autem bona & cogitat, & vult. hoc eſt autẽ deus eius boni imago mundus. ASCL. Bonus ô Triſmegiſte. TR. Bonus ô Aſclepi, vt ego te docebo. ſicuti enim deus omnibus ſpeciebus, vel generibus, quæ in mundo ſunt, diſtributor, diſpenſatorq; eſt bonorum, id eſt ſenſus animæ, & vitæ, ſic & mundus præſtitor eſt, & tributor omnium, quæ mortalibus videntur bona, id eſt alternationis partium, temporalium fructuum, natiuitatis, augmentorum, & maturitatis, & horum ſimilium: ac per hoc Deus ſupra verticem ſummi cœli conſiſtens, vbique eſt, omniaq; circunſpicit. ſic eſt enim vltra cœlum locus ſine ſtellis, ab omnibus rebus corpulẽtis alienus. diſpenſator, qui eſt inter cœlum, & terrã locum obtinet, quem Iouẽ vocamus. terræ verò,

& mari dominatur Iupiter Plutonius, & hic nutritor eſt animantium mortalium, & fructiferarum. horum omnium viribus, fructus, arbuſta, & terra vegetantur: aliorum verò vires & effectus, per omnia quæ ſunt, diſtribuuntur. Diſtribuentur verò qui terræ dominentur, & collocabuntur in ciuitate in ſummo initio Ægypti, quæ à parte ſolis occidentis condetur. ad quam terra, maríque feſtinabit omne mortale genus. ASCL. Modò tamen hoc in tempore, vbi iſti ſunt ô Triſmegiſte? TR. Collocati ſunt in maxima ciuitate in monte Libyco. & hæc euſque narrata ſint.

COMMENTARIA.

Caput nonum hoc vniuerſum, profanum eſt, quod & rectè coarguit Auguſtinus in libro de Ciuitate Dei. idololatriam probat, miris laudibus effert, prædicat, caſum eius deplorat. deum quendam ſupra cæli verticem ponit cuncta circunſpicientem, intra verò eum locum, qui cælo, & terra continetur, Iouem ponit diſpenſatorem. Plutonicum autem Iouem, terræ, mariq; diſpenſatorem, quaſi alius Deus ſit in cælo, alius in aëre, alius in terra, atque mari: quæ vniuerſa ingentem continent errorum impietatem,

pietatem, nam ex diuinis eloquijs, castè, purè, & sanctè sumus edocti, quòd Dominus ipse est deus, in cœlo sursum, & in terra deorsum, & quòd non sit alius, aduersus verò idola, & idolorum latriam sapientia, & diuiniloqui prophetæ nos cautè præmonent, ne tanta impietatis macula inquinemur, ne tanto fœdemur errore. nam idolum ipsum quidem maledictum est, & qui fecit illud. & rursus: Infandorum idolorum cultura omnis mali causa est, & initium, & finis. similíque modo, odio sunt Deo impius, & impietas eius. nam quod factum est, cum illo, qui fecit, tormenta patientur. hæc, & pleraque alia de idolis, & idololatria ex Sapientia. Et in Leuitico Deus ipse ex se præcipit: Ego dominus Deus vester, non facietis vobis idolum, & sculptile: nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum. Et de idolis Aegypti, præcipit in Ezechiele: In idolis Aegypti nolite pollui. ego Dominus Deus vester. Et de cessatione, per eundem dicit: Disperdam simulacra, & cessare faciam idola de Memphis, & dux non erit amplius de terra Aegypti. Quas autem Mercurius dicit idolorum, statuarúmque animas, sensúmq; & spiritũ, imbecillitates hominibus facientes, eaq; curantes, malos proculdubio cognoscimus esse spiritus, & indubitata fide eos esse, de quibus

Propheta ore veridico dicit: Omnes dij gentium dæmonia. Hæc pauca aduersus Mercurij, & huius nonæ particulæ impuritatem satis sint. nam ad eos habemus sermonem, qui veri dei cognitione sunt imbuti, quem (vt sapiens dicit) nosse consummata iustitia est, & eius iustitiam, & virtutem scire, radix immortalitatis. Lazarelus hunc locum ad analogiam trahit, quasi idola apostoli sint: fictor homo, Christus: virtus desuper indita, spiritus sanctus: Aegyptus tenebræ gentium, & persecutio discipulorum, apostolorum, & martyrum. lapides inscripti pia facta narrantes, posteritatis corda, non opera, sed sola verba fidei retinentia. hæc excogitata piè, sed ad literam fortè violenta. lapsum Hermetis cum Augustino & in hoc, & in tertiodecimo capite sentio. Id enim Gentium vates (vt Balaam, vt Sibyllæ) videntur habere: vt lucem patiantur, & tenebras, & lucida, & opaca vaticiniorum interualla, puraq; interdum & nonnunquam impura. Hæc pro capite nono.

CAPVT X.

DE immortali verò, & mortali, modò disserendum est. multos enim spes, timorq; mortis veræ rationis ignaros, excruciat. mors enim efficitur, dissolutione

lutione corporis labore defessi, & numeri cōpleti, quo corporis membra in vnam machinam ad vsus vitales aptantur. moritur enim corpus, quando hominis vitalia ferre posse destiterit. hæc ergo est mors, corporis dissolutio, & corporalis sensus interitus. de qua solicitudo superuacua est. Sed & alia necessaria, quam aut ignorantia, aut incredulitas contemnit humana. ASCLE. Quid est ô Trismegiste, quod aut ignorant, aut esse posse diffidunt? TR. Audi ergo ô Asclepi. cùm fuerit animæ à corpore facta discessio, tūc arbitrium, examénque meriti eius transiliet in summi dæmonis potestatem: isq; eam, cùm piam iustamq; præuiderit, in suis competentibus locis manere permittet. Sin autem delictorum illitam maculis, vitiisq; oblitam viderit, desuper ad ima deturbans, procellis, turbinibúsque aëris, ignis & aquæ sæpe discordantibus tradet. atque inter cœlum & terram mundanis fluctibus, in diuersa semper æternis pœnis agitata, raptabitur, vt in hoc obsit animæ æternitas, quod sit immortali sententia, æterno iudicio subiugata. Ergo ne his implicemur, verendum, timendum, cauendumq; esse cognosce. incredibiles enim pòst delicta cogentur

credere, non verbis, ſed exemplis: nec minis, ſed ipſa paſſione pœnarum. ASCL. Non ergo Triſmegiſte, hominum delicta, ſola humana lege puniuntur. TR. Primo enim ô Aſclepi, terrena omnia quę ſunt, mortalia ſunt. tunc ea etiam, quæ ſunt ratione corporali viuentia, & à viuendo eadem corporali lege deficientia, ea omnia pro vitæ meritis, aut delictis, pœnis obnoxia, tantò poſt mortē ſæuioribus ſubiiciuntur, quantò inulta forſitan fuerint zelata dum viuerent. præſcia enim rerum omnium diuinitate, reddentur, perinde (vt ſunt) pro delictorum qualitatibus pœnæ. ASCL. Qui ſunt digni maioribus pœnis ô Triſmegiſte? TR. Qui damnati humanis legibus vitam violenter amittunt, vt non naturæ animam debitam, ſed pœnam pro meritis reddidiſſe videantur. contrà, iuſto homini in dei religione, & in ſumma pietate præſidium eſt. Deus enim tales, ab omnibus tutatur malis. pater enim omnium, & Dominus, qui ſolus eſt omnia, omnibus ſe libenter oſtendit. Non vbi ſit loco, nec qualis ſit qualitate, nec quantus quantitate, ſed hominem ſola intelligentia mentis illuminans. qui diſcuſſis ab animo errorum tenebris, & veritatis claritate percepta, to

to

to se sensu intelligentiæ diuinæ commiscet: cuius amore, à parte naturę, qua mortalis est, liberatus immortalitatis futuræ concipit fiduciam. hoc ergo inter bonos, malosq́; distabit. vnusquisq; enim pietate, religione, prudentia, cultu, & veneratione dei clarescit, quasi oculus vera ratione perspecta, & fiducia credulitatis suæ in tantum inter homines præstat, quantum sol cæteris astris lumine suo antestat. ipse enim Sol, non tam magnitudine numinis, quàm diuinitate, & sanctitate, cęteras stellas illuminat. secundum enim deum hunc credo ô Asclepi, cætera omnia gubernantem, omniaq́; mundana illustrantem animalia, siue animantia, siue inanimantia. Si enim animal mundus, viuensq́; semper & fuit, & est, & erit, nihil in mundo mortale est. viuentis etenim semper, vniuscuiusq; partis, quæ est in ipso mūdo, sicuti in vno, eodemq́; animali semper viuente, nullus est mortalitatis locus. ergo vitæ, æternitatisq́; ipse esse debet plenissimus, si semper eum necesse est viuere. Sol ergo, sicuti mūdus, sempiternus est, sic & ipse semper gubernator vitaliū, vel totius viuacitatis, eorumq́; frequentator, & dispensator est. Deus ergo viuentiū, vel vitaliū, quæ sunt in mūdo, sempiternus guber

nator

nator eſt, ipſiusq́; vitæ diſpẽſator ęternus, ſemel autem diſpenſauit æterna lege cunctis vitalibus vitam præſtans, hoc more, quo dicam. In ipſa enim viuacitate æternitatis, mundus agitatur: & in ipſa vitali æternitate, locus eſt mũdi. propter quod, nec ſtabit aliquando, nec corrumpetur aliquando, ſempiternitate viuendi circũuallatus, & quaſi conſtrictus ipſe mũdus. Eſt igitur diſpenſator vitæ, omnibus, quæ in ſe ſunt, & eſt locus omnium, quæ ſub ſole gubernantur, cuius mundi commotio, ex duplici conſtat effectu: viuificatur enim ipſe extrinſecus ab æternitate, viuificatq́; ea, quæ intra ſe ſunt omnia, differens numeris, & temporibus ſtatutis, atq; præfixis. cuncta per ſolis effectum, ſtellarumq́; diſcurſum. omnia temporalia, ratione, diuináque lege conſcripta. terrenum autem tempus aëris qualitate, æſtuũ, frigorisq́; varietate dignoſcitur, cœleſte verò reuerſionibus ſiderum ad eadem loca, temporali conuerſione recurrentium: & mundus eſt receptaculum temporis, cuius curſu, & agitatione vegetatur. tempus autem ordine ſeruatur. ordo & tempus innouationem omnium rerum, quæ in mundo ſunt, per alternationem faciunt.

COM

COMMENTARIA.

Decimum de morte, de examine animæ, cùm corpus excesserit, quòd magis puniantur post mortem, quibus iustè legibus humanis, præ scelerum magnitudine, vita adempta est. quòd iustis deus sit præsidio. de solis, & mundi diuinitate. ponit mūdum primum sensibilem deum, solem secundum mundum nunquam quieturum, nunquam corruptum iri. nos autem nomen dei incommunicabile, neque soli, neq; mundo tribuimus, mundumq́; credimus aliquando soluendum. intellecta igitur hæc (vt simplicia sonant Hermetis dicta) errorem gentilium præ se ferunt. participatione tamen illis ceu excellentibus operibus dei, diuinitatem tribuimus. Hæc partitio decima.

CAPVT XI.

CVnctis ergo ita se habentibus nihil stabile, nihil fixum, nihil immobile, nec nascētium, nec cœlestium, nec terrenorum. solus enim deus, & meritò solus, in se, & à se, & circum se totus est plenus, atq; perfectus, isq́; sua firma stabilitas est, nec alicuius impulsu, nec loco moueri potest, cùm in eo sint omnia, & in omnibus ipse est solus. nisi aliquis audeat dicere, sui cōmotionem in æternitate esse. sed magis

magis etiã & ipſa immobilis æternitas, in quam omniũ temporum agitatio remeat, & ex qua omnium temporum agitatio ſumit exordiũ. Deus igitur ſtabilis fuit, ſemperq́; cum eo ſimiliter æternitas cõſtitit, mundũ non natum, quem rectè ſenſibilẽ dicimus, intra ſe habens, huius dei imago. hinc mundus effectus eſt æternitatis imitator. habet autem tẽpus ſtabilitatis ſuæ vim, atq; naturã, quãuis ſemper agitetur, ea ipſa in ſe reuertendi neceſſitate: itaque quamuis ſit æternitas ſtabilis, immobilis, atq; fixa, tamẽ quoniã mobilitate tẽporis, in æternitatẽ ſemper reuocatur, agitatio, eaq́; mobilitas ratione temporis vertitur, efficitur, vt & ipſa æternitas immobilis quidẽ, ſola per tẽpus, in quo ipſa eſt, & eſt in eo omnis agitatio, videatur agitari. ſic efficitur, vt & æternitas, ſtabilitas moueatur, & temporis mobilitas ſtabilis fiat fixa lege currẽdi. ſic & deum agitari credibile eſt, in ſeipſum eadẽ immobilitate: ſtabilitatis enim ipſius in magnitudine eſt immobilis agitatio. ipſius enim magnitudinis immobilis lex eſt. Hoc ergo, quod eſt tale, quod non ſubiicitur ſenſibus, infinitum, incomprehenſibile, inæſtimabile eſt. nec ſuſtineri, nec ferri, nec indagari poteſt. vnde enim, & quo, & vbi, aut quomodo,

modo, aut quale sit, incertum est. fertur enim in summa stabilitate, & in ipso stabilitas sua, seu deus, seu æternitas, seu vterque, seu alter in altero, siue vterque in vtroque sint. propter quod æternitas, sine definitione est tēporis: tempus autē, quod definiri potest, vel numero, vel alternatione, vel per alterius ambitudinē rediēs, æternum est. vtrūq; ergo infinitum, vtrūq; videtur æternū. stabilitas enim vtpote defixa, quòd sustinere, quæ agitabilia sunt, possit beneficio firmitatis, meritò obtinet principatū: omnium enim, quæ sunt, primordia, deus est & æternitas, mūdus autē quòd sit mobilis, non habet principatum. præuenit enim mobilitas eius stabilitatē suā in lege agitationis sempiternæ, habēdo immobilē firmitatē. Omnis ergo sensus diuinitatis, similis, immobilis, ipse in stabilitate sua se commouet, sanctus, & incorruptus, & sempiternus est, & si quid melius potest nuncupari. in ipsa dei summi veritate cōsistēs æternitas plenissimus omniū sensibiliū, & totius disciplinę, consistens (vt ita dixerim) cū deo. sensus verò mundanus, receptaculū est omniū sensibilium & specierū, & disciplinarū: humanus verò ex memoriæ tenacitate, quòd memor sit omniū, quas gesserit rerū. vsq; ad huma

humanũ enim animal ſenſus diuinitatis deſcẽdendo peruenit. Deus enim ſenſum ſummum, diuinumq́; cunctis cõfundi noluit, ne erubeſceret aliorum cõmiſtione animantium. Intelligẽtia enim ſenſus humani, qualis, aut quanta ſit, tota in memoria eſt præteritorũ. per eam enim memoriæ tenacitatem, gubernator effectus eſt terræ. Intellectus autem naturæ, & qualitatis, & ſenſus mundi, ex omnibus, quę in mundo ſenſibilia ſunt poterit peruideri. æternitas, quæ ſecunda eſt, ex ſenſibili mundo, ſenſus datus, qualitasq́; dignoſcitur. at intellectus qualitatis, qualitasq́; ſenſus ſummi dei, ſola veritas eſt. cuius veritatis in mundo ne quidẽ extrema linea vmbra dignoſcitur. vbi enim quid temporum dimenſione cognoſcitur, vbi ſunt mẽdacia, vbi geniturę, vbi errores videntur? Vides ergo ô Aſclepi in quibus conſtituti, quæ tractemus, aut quę audeamus attingere: ſed tibi deus ſumme gratias ago, qui me videndæ diuinitatis tuę, illuminaſti lumine: & vos ô Tati, & Aſclepi, & Amnon, intra ſecreta pectoris, diuina myſteria ſilentio tegite, & taciturnitate celate. hoc autem differt intellectus à ſenſu, quòd intellectus noſter, ad qualitatem ſenſus mundi intelligendam, & digno-

ſcen

ſcendam mentis peruenit intentione. Intellectus autem mundi peruenit ad æternitatem, & deos noſcendos, qui ſupra ſe ſunt: & ſic contingit nobis hominibus, vt quaſi per caliginem ea, quæ in cœlo ſunt, videamus, quantum poſſibile eſt per conditionem ſenſus humani. hæc autem intentio peruidendis tantis bonis anguſtiſſima eſt. latiſſima verò cùm viderit felicitate conſcientiæ.

COMMENTARIA.

Vndecimum cap. pandit, quòd ſolus deus immobilis ſit, & ſtabilis, cætera autem mutabilia. deus infinitus, incomprehenſibilis, inæſtimabilis, & qualis ſit ignotus, de ſenſu dei ſancto, incorrupto, & ſempiterno: de ſenſu mundi: de ſenſu hominis: de differentia intellectus à ſenſu. Hæc vndecima particulæ ſumma.

CAPVT XII.

DE inani verò, quodq́; etiã magnum videtur eſſe quamplurimis, ſic ſentio, inane nec eſſe aliquid nec eſſe potuiſſe, nec futurũ vnquã. omnia enim mũdi ſunt membra pleniſsima, vt ipſe mũdus plenus ſit, atq; perfectus corporibus, qualitate, formaq; diuerſis, & ſpeciẽ ſuam habentibus, & magnitudinem, quorũ vnum

est alio maius, aut alio minus, & validitate, & tenuitate diuersa. Nã & quædã eorũ validiora faciliùs videntur, sicuti & maiora: minora verò, & tenuiora, aut vix videri, aut omnino non possunt. quas solùm res esse, attrectatione cognoscimus. vnde cõtingit multis credere hæc non esse corpora, sed esse inanes locos, quod est impossibile. sicuti enim quod dicitur extra mundũ, si tamẽ est aliquid (nec istud enim credo:) sic ab eo plenũ esse intelligibiliũ rerum, id est, diuinitatis suæ similiũ, vt hic etiã, qui dicitur sensibilis mũdus, plenissimus sit corporũ, & animaliũ, naturæ suæ, & qualitati conueniẽtium. quorum facies non omnes videmus, sed quasdã vltra modum grãdes, quasdã breuissimas, aut propter spatij interiecti longitudinem, aut quòd acie sumus obtusi, tales nobis esse videantur, aut omnino propter nimiam breuitatem, à multis non esse credantur. dico nunc dęmonas, quos credo commorari nobiscum, & heroas, quos inter aëris purissimam partem supra nos, & terram, vbi nec nebulis locus, nec ex signorũ aliquorũ agitatione cõmotio. propter quod ô Asclepi, inane nihil esse dixeris, nisi cuius rei inane sit hoc, quod dicis inane, prædixeris: vt inane ab igne, & ab aqua,

& ab

& ab iis similibus. quod etsi cõtigerit videri, quòd inane possit esse à rebus huiusmodi quãuis breue sit, vel magnum, quod inane videtur, spiritu tamen, & aëre vacuũ esse non possit. Similiter verò de loco dicẽdum est. quod vocabulũ solum intellectu caret. Locus enim ex eo, cuius est, quid sit apparet. Principali etenim nomine dempto, significatio mutilatur. Quare aquæ locus, ignis locus, aut his similiũ, rectè dicimus. sicuti enim inane esse aliquid impossibile est, sic & locus solus, quid sit, dignosci non potest. Nam si posueris locum sine eo, cuius est, inanis videbitur locus, quem in mundo esse non credo: quòd si inane nihil est, nec per se quid sit locus apparet, nisi ei aut longitudines, aut latitudines, aut altitudines, addideris, vt corporibus hominum signa. His verò sic se habentibus ô Asclepi, & vos, qui adestis, scitote intelligibile mũdum, id est deum, qui mentis solo obtuitu dignoscitur, esse incorporalẽ, nec eius naturæ misceri posse aliquid corporale, id est, quod possit qualitate, quantitate, numerisq; dignosci. in ipso enim nihil tale consistit. hic ergo mundus, qui dicitur sensibilis, receptaculum omnium sensibilium specierum, qualitatum, vel corporum, quæ omnia sine

deo vegetari non possunt. Omnia enim deus, & ab eo omnia, & eius voluntate omnia, quod totum est bonum, decens, & prudens, inimitabile, & ipsi soli sensibile, atq; intelligibile: & sine hoc nec fuit aliquid, nec est: nec erit. omnia enim ab eo, & in ipso, & per ipsum, & multiformes qualitates, & magnæ quãtitates, & omnẽ mensuram excedentes magnitudines, & omniformes species, quas si intellexeris ô Asclepi, gratias acturus es deo: sin totum animaduertes, vera ratione perdisces mundum ipsum sensibilem, & quæ in eo sunt omnia, à superiore illo mundo, quasi ex vestimento esse contecta. Vnũquodq; enim genus animalium ô Asclepi, cuiuscũq; vel mortalis, vel immortalis, vel rationalis, siue sit animans, siue nõ sit, prout cuiusq; est genus, sic singula generis sui imagines habẽt: & quãuis vnũquodq; animalis genus, omnem sui generis possideat formam, in eadem tamen sui forma singula dissimilia sunt: vt hominum genus quãuis sit vniforme, vt homo dignosci ex affectu possit: singuli tamen in eadem forma sibi dissimiles sunt. species enim quæ diuina est, incorporalis est, & quidquid mente comprehenditur. Cùm itaq; hæc duo, ex quibus constat forma,

&

& corpora, & incorporalia sint, impossibile est vnamquanq; formam alteri simillimam nasci, horarum, & climatum distantibus punctis, sed immutatur toties, quot hora momēta habet circuli circūcurrentis, in quo est ille omniformis (quē diximus) deus. species ergo permanet, ex se toties pariens imagines tantas, tamq; diuersas, quanta habet conuersio mundi momenta, qui mundus in cōuersione mutatur, species verò nec mutatur, nec conuertitur. sic generū singulorum formæ sunt permanentes, in eadem forma, sibi dissimiles. ASCLE. Et mundus speciem mutat, ô Trismegiste. TRIS. Vides ergo, ô Asclepi, tibi omnia quasi dormienti esse narrata? Quid est enim mūdus, aut ex quibus cōstat, nisi ex omnibus natis? ASCL. Ergo vis dicere de cœlo, terra, & elementis. TRIS. Nanq; alia magis frequēter mutantur in species, cœlū humescēs, vel arescens, vel frigescens, vel ignescens, vel clarescens, vel sordescens, in vna cœli specie hæ sunt, quę specie alternātur species. terra verò suæ speciei multas immutationes semper habet, & cùm parturit fruges, & cùm eadem partus nutricat suos, cùm reddit omnium fructuum varias, diuersasq; qualitates, & quantitates, ac stationes, &

cursus ad omnes arborum, florum, baccarum qualitates, odores, sapores, species. Ignis etiã facit cõuersiones purimas, atq; diuinas. Solis enim & Lunæ omniformes imagines. sunt enim quasi speculorũ nostrorum, similes imaginum similitudines, æmulo splendore reddentium: sed iam de talibus sint satis dicta talia.

COMMENTARIA.

Duodecimum differit, inane, vacuumq; in rebus locum nullum habere, dæmones nobiscum circa terram diuersari, at propter nimiam subtilitatem, à nobis imperceptibiles. Heroas puriorem obtinere aëris portionem. Loci nomen solitarium inane esse, quod ad aliquid sit, sine cuius intelligentia, quid sit locus intelligi non poßit, & id omnibus relatiuis, commune est. intelligibilem astruit mundum, quo sensibilis mundus, & quæ in eo sunt omnia, quasi vestimento contegitur, vtpote qui in mundo contineatur intelligibili, vniformium generum singulorum quorumque dißimiles esse formas, vt hominum, & id secundum momenta, & horas circuli, cui præsidet Pantomorphus, quem horoscopiorum dixit superius esse deum. nos autem deum illum ignoramus, & stultitiæ relinqui

linqui

linquimus gentilium, si qui adhuc vsque adeo manifestò desipiunt, ac delirant. at nobis iuxta beatißimi Pauli sententiam, Vnus deus est pater, ex quo omnia, & nos in illo, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum species & formas, id est ideas, de quibus apud Platonem, & Platonicos, tot & tanta immutabiles quidem, & inuariabiles collocat in Pantomorpho, hinc nomen habente, quasi omniformi, & omni ideali, à quibus singulis horis, & mométis, singula eadem quidem forma, sed variè format. cætera verò mutabilia esse, & mundum, & cælum, & terram. verùm sint, qui pantomorphon Mercurij, & ideam Platonis, inter figmenta reponant. Hæc cap. duodecimi summa.

CAPVT XIII.

ITerum ad hominẽ, rationemq; redeamus, ex quo diuino dono, homo animal dictum est rationale. minus enim miranda, etsi miranda sunt, quæ de homine dicta sunt. sed omnium mirabilium vincit admirationem, quòd homo diuinam potuit inuenire naturam, eamq; efficere. quoniam ergo proaui nostri multum errabant, circa deorum rationem increduli, & non animaduertentes ad cultum, religion

gionemq́; diuinam, inuenerũt artem, qua deos efficerent. cui inuentæ adiunxerunt virtutem de mundi natura conueniẽtem, eamq́; miſcentes:& quoniã animas facere non poterant, euocantes animas dæmonum, vel angelorum, eas indiderunt imaginibus ſanctis, diuinisq́; myſteriis, per quas ſolas idola & benefaciendi, & malefaciendi vires habere potuiſſent. Auus enim tuus, ô Aſclepi, medicinæ primus inuentor, cui templum conſecratum eſt in monte Libyæ circa litus crocodilorum, in quo eius iacet mundanus homo, id eſt corpus (reliquus enim, vel potius totus, ſi eſt homo totus in ſenſu vitæ, melior remeauit in cœlum) omnia etiam nunc adiumenta hominibus præſtans infirmis numine nunc ſuo, quæ antè ſolebat medicinæ arte præbere. Hermes, cuius auitum mihi nomen eſt, nónne in ſibi cognomini patria conſiſtens, omnes mortales vndique venientes adiuuat, atque conſeruat? Iſin verò vxorem Oſiris, quàm multa bona præſtare propitiam, quantis obeſſe ſcimus iratã? terrenis etenim diis, atque mundanis, facile eſt iraſci, vtpote qui ſunt ab hominibus, extraq́; naturam facti, atq; compoſiti. vnde cõtingit ab Ægyptiis, hęc ſancta animalia nũcupari, coliq́;

liq; per singulas ciuitates eorum animas, qui ea consecrauere viuẽtes, ita vt eorum legibus incolantur, & eorum nominibus nuncupentur, per hanc causam, ô Asclepi, quòd aliis, quæ colenda videntur, atq; veneranda, apud alios dissimiliter habentur, ac propterea bellis se lacessere Ægyptiorum ciuitates solent. ASCLEP. Et horum ô Trismegiste deorum, qui terreni habentur, cuiusmodi est qualitas? TRIS. Constat, ô Asclepi, de herbis, de lapidibus, de aromatibus vim diuinitatis naturalem in se habentibus, & propter hanc causam, sacrificiis frequentibus oblectantur, hymnis, & laudib⁹, dulcissimis sonis in modum cœlestis harmoniæ concinentibus, vt illud, quod cœleste est, cœlesti vsu, & frequentatione illectum in idola possit lætum, humanitatis patiens, longa durare per tempora. sic deorum fictor est homo, &, ne putes fortuitos effectus esse terrenorum deorum, ô Asclepi, dij cœlestes inhabitant summa cœlestia, vnusquisque ordinem, quem accepit, complens, atq; custodiens. Hi verò nostri, sigillatim quædam curantes, quædam sortibus, & diuinatione prædicentes, quædam prouidentes, hisq; pro modo subuenientes, humanis quasi amica cognatione, auxiliantur.

COMMENTARIA.

Tertiumdecimum caput hoc cum capite nono simili impuritate laborat, & in quo vult Mercurius hominem esse diuinissimum, & maximè admirandum, in hoc certè homo maximè impius est, atque profanus, quòd scilicet idololatriam inuenerit, quòd dæmonicos spiritus euocatos imaginibus indiderit, ritusq; & sacrificia addiderit de Aesculapio, Mercurio, Iside, Osiride, qui ab Aegyptijs colebantur, de animalibus, quæ Aegyptij sancta habebant, de herbis, lapidibus, & aromatibus, concentibus, & hymnis, quibus propitiarent spiritibus illos statuis, imaginibusq; inditos. quod adhuc facere solent nonnulli phythonici (ô seculum infelix) qui aut in annulis, aut vasculis se spiritus clausos habere putant, genus hominum impurissimum, deo, hominibusq; infensum, ac ex aduerso constitutum inimicum, & contra hunc profanum impietatis errorem, agit beatus Augustinus, & iure quidem agit, in libro de Ciuitate Dei, & pro veritate conuincit. Hæc pro capite tertiodecimo.

CAPVT XIIII.

ASCLE. Quam ergo partem rationis εἱμαρμένη vel fata incolunt, ô Trismegiste,

megiſte, ſi cœleſtes dij vniuerſim dominantur, terreni incolunt ſingula, quam εἱμαρμένην nuncupamus? TRIS. O Aſclepi, ea eſt neceſſitas omnium, quæ geruntur, ſemper ſibi catenatis nexibus iuncta. hæc itaq; eſt aut effectrix rerum, aut deus ſummus, aut ab ipſo deo, qui ſecundus effectus eſt deus, aut omniũ cœleſtium, terrenarumq; rerum firmata diuinis legibus diſciplina. Hæc itaque εἱμαρμένη & neceſſitas, ambæ ſibi inuicem indiuiduo connexæ ſunt glutino, quarum prior εἱμαρμένη rerum omnium parit initia: neceſſitas verò cogit ad effectum, quæ ex illius primordiis pendent. has ordo conſequitur, id eſt contextus, & diſpoſitio temporis, rerum perficiendarum. nihil eſt enim ſine ordinis compoſitione. In omnibus iſtis, mundus iſte perfectus eſt. Ipſe enim mundus ordine geſtatur, vel totus conſtat ex ordine. Hæc ergo tria, εἱμαρμένη, id eſt fatum, neceſſitas, ordo, vel maximè dei nutu ſunt effecta, qui mũdum gubernat ſua lege, & ratione diuina. Ab his ergo omne velle, & nolle diuinitus auerſum eſt totũ: nec ira etenim cõmouentur, nec flectuntur gratia, ſed ſeruiunt neceſſitati rationis æternæ. quæ æternitas, inauerſibilis, immobilis, inſolubilis eſt. Prima ergo

εἱμαρ

εἱμαρμένη est, quæ velut iacto semine futurorum omnium suscipit prolem. sequitur necessitas, qua ad effectum vi coguntur omnia. Tertius ordo, textum seruans earum rerum, quas εἱμαρμένη, necessitasq; disponit. hæc est ergo æternitas, quæ nec capit esse, nec desinet, quæ fixa immutabili lege currendi, sempiterna commotione seruatur: oriturq;, & óccidit alterna sæpe per membra, ita vt variatis tēporibus, iisdem, quibus occiderat, membris, oriatur. sic est enim rotunditas volubilis ratio, vt ita sibi coarctata sint cuncta, vt quid sit volubilitatis initium ignores, cùm omnia se semper & præcedere, & sequi videantur. Euentus autem & fors, insunt omnibus permista mundanis.

COMMENTARIA.

Caput XIIII. *de fatis, quæ vocat εἱμαρμένην, necessitatem, ordinem, alij Clotho, Lachesin, Atropon. circa quæ non minus solebant ethnici ineptire, quàm circa reliquos, quos sibi finxerunt, deos noua & miripotentia fingentes numina. velocius autem de his Mercurius & parcius, & quasi ambiguè, veluti tria hæc essent, præfinitio, prædestinatioq; mētis diuina, quam necessitas rerum, vt sint, sequitur, quas demum*

demum existentes, ordo conseruat, quemadmodum diuina, æternaq; lege sancitum est, ita vt primum fatum, sit diuina præfinitio: secundum, rerum consecutio: tertium, conseruatio. & hæc tria aut diuina lex, aut seriem diuinæ legis comitantia, & definitarum, ac secundum naturam causarum, ordinem continent. atqui & fatum, in contingentibus rebus, indefinitas, præter naturam, indeterminatasq; causas etiam permittit: verùm de his alij iudicent. Et hæc pro præsenti partitione.

CAPVT XV.

DIctum est nobis de singulis, vt humanitas potuit, vt voluit, permisitq; diuinitas: restat hoc solum nobis, vt benedicentes deum orantesq; ad curam corporis redeamus. satis enim de diuinis rebus tractantes, mẽtem velut animi pabulis saturauimus. de adyto verò egressi, cùm deum orare cœpissent, in austrum respicientes erant. sole etenim occidente, cùm quis deum orare voluerit, illuc debet intendere: sicut & sole oriente, in eum, qui subsolanus dicitur. Iam ergo dicentibus, precationem, Asclepius ait submissa voce, ô Tati, suggeramus patri, iusserit vt thure addito, & pigmentis precem dicamus deo. Trismegistus audiens, atq; com-

motus,

motus, ait, melius, melius ominare, ô Asclepi. hoc enim ſacrilegiis ſimile eſt, cùm deum roges, thus, atq; cætera incendere. nihil enim deeſt ei, qui ipſe eſt omnia, aut in eo ſunt omnia: ſed nos agẽtes gratias, adoremus. hæc enim ſunt ſummæ incenſiones dei, cùm aguntur gratię à mortalibus. Gratias tibi agimus, ô ſumme, & exuperantiſſime. tua enim gratia, tantum ſumus cognationis tuæ lumen cõſecuti: nomen ſanctum, & honorandum: nomen vnum, quo ſolus deus eſt benedicẽdus religione paterna. quoniam omnibus paternam pietatem, & religionem, & amorem, & quæcunque eſt dulcior efficacia, præbere dignaris, cùm donas nos ſenſu, ratione, intelligentia. ſenſu, vt te cognoſcamus: ratione, vt te ſuſpicionibus indagemus: intelligentia, vt te cognitione cognoſcẽtes gaudeamus, ac numine ſaluati tuo gaudeamus, quòd nobis te oſtenderis totum. gaudeamus, quòd nos in corporibus ſitos, æternitati fueris conſecrare dignatus. Hæc eſt enim ſola humana gratulatio, cognitio maieſtatis tuæ. Cognouimus te, & lumen maximum, ſolo intellectu ſenſibile intelleximus te, ô vitæ vera via! ô naturarum omnium fœcũda prægnatio! cognouimus te, totius naturæ

tuo

tuo cōceptu plenissimè. cognouimus te, æterna perseueratio : in omni enim ista oratione, adorātes bonum bonitatis tuę, hoc tantùm deprecamur, vt nos velis seruare perseuerantes in amore cognitionis tuæ, & nunquam ab hoc vitæ separari genere. hæc optantes, conuertimus nos ad puram, & sine animalibus cœnam.

COMMENTARIA.

Quintumdecimum caput dialogum religiosè finit, in gratiarum actionibus: adoratione autem finita, & gratijs deo persolutis, Mercurius, Asclepius, Amnon, & Tatius quatuor viri, qui sacrum adytum impleuerant, secundum religiosum Ægyptiorum ritum se conuertunt ad puram, & sine animalibus cœnam. & hic Hermetis de voluntate dei libelli

FINIS.

Simon Morus huius
libri dominus. ~

NESCIT LABI VIRTUS.

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~